PETRI CARDINALIS PÁZMÁNY

ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS ET PRIMATIS REGNI HUNGARIAE

OPERA OMNIA

PARTIM E CODICIBUS MANUSCRIPTIS, PARTIM EX EDITIONIBUS ANTIQUIORIBUS ET CASTIGATIORIBUS

EDITA

PER SENATUM ACADEMICUM

REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS,

RECENSIONEM ACCURANTE

COLLEGIO PROFESSORUM THEOLOGIAE

IN EADEM UNIVERSITATE.

SERIES LATINA.

TOMUS II.

PHYSICA.

BUDAPESTINI

TYPIS REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS

MDCCCXCV.

PETRI CARDINALIS PÁZMÁNY

ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS ET PRIMATIS REGNI HUNGARIAE


PHYSICA

QUAM E CODICE PROPRIA AUCTORIS MANU SCRIPTO ET IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS ASSERVATO

RECENSUIT

STEPHANUS BOGNÁR

SUAE SANCTITATIS SUMMI PONTIFICIS CAMERARIUS SECRETUS, PHILOSOPHIAE AC S THEOLOGIAE DOCTOR, HUJUSQUE IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE BUDAPESTINENSI PROFESSOR P O



BUDAPESTINI

TYPIS REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS

MDCCCXCV.

PROLOGUS GENERALIS.

Habes alterum, Benevole Lector, immortalis memoriæ Petri Cardinalis Pázmány opus philosophicum, eadem, ac Dialectica eiusdem, solertissima Editoris cura recognitum atque typis mandatum. Eam autem opus isthoc disciplinarum philosophicarum tractat partem, quæ in scholis apto Philosophiæ Naturalis nomine venit, easque, pauca si demas, scrutatur auctor et solvit quæstiones, de quibus magnus ille Stagirita agit in primo philosophiæ suæ naturalis opere, quod apud veteres jam liber *Περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως*, de naturali auscultatione, iam, frequentius, 8 Libri Physicorum audit.

Volventi autem Tibi huius operis paginas constabit illico, elucubrationem hanc novum exsistere testem acris ingenii, solidæ, uberisque scientiæ auctoris, et dignitatis honore et virtutum decore eminentissimi; fateberisque in opere isthoc ipsius, quam proponit disciplinæ subtilis plane difficilisque satis, quæstiones, tam acute et solide proponi et solvi, ut illud non historicum quoddam dicas scientificorum laborum suo tempore egregiorum, novo tamen physicarum disciplinarum, miro profectu superatorum documentum, sed opus dicas plane egregium, ex quo Tibi in excolenda philosophia naturali plurima præsto sunt præsidia. Videbis auctorem non modo Aristotelis et Angelici Doctoris sapientia imbutum egregie, sed et studiose multumque versatum in scriptis aliorum insignium magistrorum, qui auctori vel priores vel coævi hoc genus philosophiæ coluere. Habes auctorem capita disciplinæ huius ingenio non mediocri scrutantem, explicantem et demonstrantem, habes auctorem quæstionibus naturæ ordinis, supernæ quoque revelationis lumen, quemadmodum par est, admoventem.

Quærenti autem cuipiam, in operis solum inscriptione hærenti, quid utilitatis ex opere e trium sæculorum tenebris eruti, hoc admi-

randi physicarum disciplinarum profectus tempore? reposuisse quidem satis esset ea, quæ magnus ille aureæ Divi Thomæ sapientiæ et Magister et Restaurator Leo XIII. P. M. in Epistola Encyclica „Aeterni Patris“ in laudem philosophiæ scholasticæ, in tanto illo, cuius meminimus, profectu, adtulerat. Juvat tamen ex ipsius quoque, quod lubentes præfamur, operis argumento petere responsum. Ubi adverte scholæ magistros et qui eorum secuti sunt vestigia, cum Aristotele sapienter illud tenuisse: *τότε γάρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας καὶ μέχρι τῶν στοιχείων;* [1] tunc cognoscere arbitramur unumquodque, cum causas primas et prima principia cognoscimus, et usque ad elementa. Hoc ducti principio veteres philosophiæ naturali navantes operam, in eius obiecto, quod est ens mobile, seu corpus naturale, prima illa scrutati sunt, atque determinarunt, quæque omni corpori naturali communia sunt, reliquis huius philosophicæ disciplinæ præmisere partibus. Audi scholasticorum principem Aristotelis Physicorum libros commentantem: „Quia ea, quæ consequuntur aliquod commune, prius et seorsum determinanda sunt, ne oporteat ea multoties pertractando omnes partes illius communis repetere; necessarium fuit quod præmitteretur in scientia naturali unus liber, in quo tractaretur de iis, quæ consequuntur ens mobile in communi, sicut omnibus scientiis præmittitur philosophia prima, in qua determinatur de iis, quæ sunt communia enti, in quantum est ens. Hic autem est liber Physicorum“.[2] Hæc enti mobili prima atque communia tractat operis nostri auctor, agendo de principiis rerum naturalium, de materia, forma et privatione, de corpore naturali, de natura, de causis in communi, de causa efficiente, materiali, formali et finali, de quantitate, tempore, loco, motu. Has autem quæstiones, etiam in eo, quem cernimus naturalium scientiarum profectu, suo valere pondere, solutionesque earum, quas Auctor veterum insistens vestigiis profert et demonstrat, et suo stare valore, et naturalium scientiarum profectui ac incremento opem allaturas, pronus ipse dabis. Unum est, quod addam, versetur hoc volumen multorum diligenti manu.

Dr. Philippus Steiner,
Episcopus Albaregalensis, Societatis Sancti Thomae Aquinatis in Budapest adunatae Protector.

[1] Aristoteles Physicorum libro 1-o, c. 1-o textu 1-o. Opp. S. Thomæ Aquinatis iussu impensisque Leonis XIII. P. M. edita. Tom. II. p. 3.

[2] L. c. lect. 1-a. n. 4. p. 4.

PROLOGUS

DE HUJUS RECENSIONIS ET OPERIS RATIONE.

Tractatus Petri Pázmány In octo libros Aristotelis de physico auditu in scriniis Manuscriptorum Bibliothecæ Universitatis Budapestinensis duplici asservantur exemplari. Unum propria auctoris manu scriptum est, qui uti nota ab ipso in margine posita perhibet, opus istud Græcii 22. Junii 1598. exarare cœpit et die 11. Martii 1599. absolvit. In alia vero nota dicit: „In scholis cœpi 13. Januarii 1599.; finivi 28. Junii 1599. lectionibus 170 in universum libros Physicorum."

Secundum exemplar probabiliter ab aliquo tirone paratum apographon est. Tegumini enim membranaceo Codicis hæc impressa sunt: „M. H. S. N. S. 1599.", ex quibus manifestum est, exemplar istud eodem anno scriptum esse, quo auctor hos tractatus Philosophiæ candidatis in schola dictavit.

Utrumque exemplar est formæ quartæ minoris et tot habent abbreviationes, quo plures vix tachygraphi adhibent cum dictantis verba festinanter in chartam conjiciunt. Autographum abundat insuper correctionibus ab auctore in textu factis, nec non supplementis et notis in margine positis, uti ex accurate reproducta imagine paginæ 18-æ autographi, post hanc præfationem posita, videre est.

De apographo vero sciendum, illud notabiliter brevius esse autographo. Non solum enim notæ marginales, et ipsius textus partes quas auctor unguis in margine signavit, omittuntur in ea omnes, sed insuper desunt et integræ aliquot quæstiones. Præterea in quibusdam quæstionibus dispositio partium absque necessitate turbata est, stilusque non sine perspicuitatis detrimento passim

mutatus. Denique occurrunt sat frequentes errores calami et abbreviationes vix enodabiles.

In præsenti ergo editione non apographi, sed autographi textum damus, eumque integrum et summa qua potuimus cura repræsentatum. Ex supplementis ne unum quidem omisimus, sed suis in locis omnia textui inseruimus; sunt enim integrantes illius partes, eumque oportune complent. (Cf. Imaginem autographi.) Porro neque unguis[1] notatas textus partes omisimus omnes indiscriminatim, sed quæ, etiamsi non absolute necessariæ, attamen aliquo sub respectu utiles videbantur, retinuimus, et nonnisi vere abundantes omisimus.

In notis autem retinendis aut omittendis hanc regulam secuti sumus. Eas quæ in se completæ sunt et plenum sensum fundunt, omnes damus in editione nostra; ast eas quæ absque completo sensu sunt, et eo tantum fine obiter adjectæ videntur ut auctoris memoriam juvent, qui ea de re mentem suam in scholis viva voce uberius aperire voluit, utpote lectoribus inutiles, omisimus. Ceterum notæ, uti inspicienti patet, potissimum ex Suaresii Disputationibus metaphysicis, vix integro anno ante exarationem præsentis operis Salamanticæ 1597. prima vice excusis desumptæ sunt, quas auctor tunc quando opus suum composuit, nondum videtur ad manus habuisse. In textu enim primitivo, sicut etiam in apographo, nunquam fit provocatio ad has Disputationes, sed solum ad tres priores tomos Commentariorum Suaresii in tertiam partem D. Thomæ, et allegationes quæ in editione nostra ex Disputationibus metaphysicis reperiuntur, sunt seriores auctoris interpolationes, quod tum earum locus (sunt enim omnes aut supra lineas, aut ad marginem scriptæ), tum diversus atramenti color arguit. Præclaras ergo Suaresii Disputationes videtur auctor post exaratum demum opus suum inspicere potuisse, quibus perlectis opportunum duxit ad illas saltem in notis reflectere, partim ut sua asserta Suaresii quoque auctoritate firmaret, partim ut eum, ubi opus erat, refelleret.

Porro ut breviter de argumento quoque aliquid dicamas, opus istud complectitur ea omnia quæ Aristoteles octo Physicorum libris docuit; quæstiones videlicet diversas de principiis et causis corporum atque eas quas de transmutationibus naturalibus scholastici move resolebant. His expeditis sequuntur disputationes copiosæ de affectionibus et proprietatibus quæ corpori naturali in genere

[1] Hos auctor pro signo omissionis adhibet, quod aliquoties etiam expresse notat.

conveniunt. Solum ea quæ Aristoteles de primo motore et ejus attributis a capite 9. lib. VIII. docet, omisit auctor, utpote de quibus disputare alterius disciplinæ est. E contra de quantitate, quæ ad omnem actionem et mutationem naturalem necessaria est, et sine cujus cognitione motus et temporis accurata consideratio fieri nequit, licet de ea Aristoteles hoc loco obiter tantum agat, auctor noster fuse disserit.

Placita illius, in genere loquendo, doctrinæ Aristotelis et divi Thomæ conformia sunt; neutri tamen duci ita adhæret, ut a vestigiis sive unius sive alterius recedere sibi nunquam licere existimaverit. Imo potius videre est, eum in seligendis opinionibus et sententiis sine respectu ad scholam cujus propriæ sunt, semper in eas propendere, quæ solidioribus rationibus niti, et ad doctrinæ revelatæ intelligentiam ac confirmationem sibi magis subservire videbantur. Hinc non solum divum Thomam, quem qualibet laude majorem venerabatur, et Thomistas, sed et Scotum et Scotistas, imo quandoque et Nominales citat cum honore, et modo cum Thomistis refellit Scoti opinionem de forma corporeitatis, modo cum Scotistis impugnat Thomistas docentes: materiam primam realiter distingui a forma, et nihilominus illam non habere in se et per se existentiam distinctam ab existentia formæ. Sed simili libertate et reliqui sui temporis celebratissimi Societatis Jesu doctores, uti Toletus, Fonseca, Bellarmin, Suarez, Vasquez etc. usi sunt, et hoc non obstante opera eorum omnium Catholicorum ore semper summis laudibus efferebantur, et nonnisi paucissimi inventi sunt, quibus ea minus accepta erant. Ii nimirum, qui studio partium abrepti ferre non poterant ut Scoti et Scotistarum, quos ipsi aspernabantur, honorifica a quopiam fiat mentio, quia Scotus, si ipsos audias, tantum ob suas sophisticas subtilitates et ob malum divo Thomæ in omnibus contradicendi pruritum celeber est; Durandus vero, Ockam, Gabriel Biel, aliique Nominales ex eo tantum noti, quod vel libros scripserint ab Ecclesia damnatos, vel quod ob frequentes errores quibus eorum opera infecta sunt semper refutari soleant. Ast tale judicium absque omni dubio falsum et valde injuriosum est. Cui non vacat Scotum legere et judicium de eo ex propria scientia proferre, videat testimonia clarissimorum virorum a Luca Wadding collecta et in Scoti vitam inserta, quæ et honorificentissima sunt, et a viris doctissimis et nulli parti addictis prolata. Quodsi porro Durandus et Ockam vel aliquis alius ex citatis quædam

reprehensione digna scripserunt, id non demonstrat eos non fuisse magno ingenio et doctrina præditos, veritatemque in nulla re attigisse. Non est ergo ut aut hos aliquando laudatos, aut Thomistas doleas interdum impugnatos, præsertim cum utrumque semper modeste et ex sincero veritatis studio fiat. Si enim neque intra hos limites ab antiquis magistris aliquando recedere liceret, de profectu scientiarum utique actum esset.

Et post hæc rogo Te Lector Benevole, ut hunc quoque secundum, post tria secula ex tenebris in lucem editum purpurati auctoris tomum, ea qua primum, humanitate excipias et attente perlegas. Non enim hoc sine multiplici Tuo emolumento futurum, confido. Vale!

Hippocrates libr. 2. Aphorismo 52.

„Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod prius visum est.“

Plinius Hist. natur. libr. 7. cap. 1.

„Quam multa fieri non posse priusquam sint facta judicantur.“

Seneca 6. Naturalium cap. 4.

„Quod inquis erit operæ pretium? (si res scilicet naturales consideremus.) Quo nullum majus est: nosse naturam. Neque enim quidquam habet in se hujus materiæ tractatio pulchrius, quam quod hominem magnificentia sua detinet, nec mercede sed miraculo colitur.“

Autographi pagina 18-a ad amussim reproducta.
Cf. pag. 24. et sequ. hujus editionis.

TRACTATUS

IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS DE PHYSICO AUDITU.

PROOEMIUM GENERALE.

Eam Philosophiæ partem, quæ in naturæ et rerum naturalium cognitione occupata est, aggredimur; jucundam illam quidem voluptatisque plenissimam, sed plurimis difficultatibus circumseptam. Prudens enim ac provida natura, suas opes, ne temerari et si prostarent ab ignavissimis etiam proculcari aliquando videret, spinetis et vepribus, velut sepibus, inclusit, ut proinde recte Seneca 7. Qu. natur. cap. 31.: rerum naturam sacra sua non simul tradere. Initiatos ait nos credimus, in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent; reducta et in interiore sacrario clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud quae post nos subibit, aspiciet. Et deinceps eleganter ostendit, nil mirum esse, si sapientia nondum opus suum impleverit, quia scilicet veritatem in fundo positam, in summa terræ et levi manu quærimus. — Antequam tamen hos octo Physicorum libros explicare incipiamus, pauca quædam, imprimis de naturali philosophia in universum, tum de his in particulari, quos præ manibus habemus Physicorum libris, præmittenda loco procœmii censui.

DE PHILOSOPHIAE NATURALIS NOMINIBUS, INVENTORE, OBJECTO, UTILITATE AC DIVISIONE.

Philosophia, si vim nominis spectes, idem est quod amor et affectatio sapientiae, ut recte ait Seneca ep. 90. Philosophiam autem, ut verbis Diogenis lib. 1. De vitis philosophorum utar, Pythagoras primus appellavit, seque philosophum apud Leontem Sicyoniorum tyrannum, ut etiam Plutarchus 1. De placitis phil. cap. 3., Augu-

stinus 14. De Trinit. cap. 1. docent; antea enim σοφία i. e. sapientia dicta, quæ nunc philosophia, et qui hanc profitebantur σοφοὶ, sapientes vel sophistæ (quod tamen nomen male postmodum audivit, ut ex Aristotele in Elenchis patet), appellati sunt. Pythagoras autem nullum hominem, sed solum Deum sapientem censuit; ex quo optime infert Augustinus 8. De civit. Dei cap. 1. quod, cum Deus sit vera ac prima sapientia, illos solos vere sapientes censeri debere, qui Deum amant. Hanc porro philosophiam, ita in genere sumptam, non eodem modo definiunt veteres, ut videre est apud Conimbricenses in Procemio Physicorum, Toletum hic cap. 1., Pererium lib. 1. cap. 1., Lactantium lib. 4. cap. 2. — Seneca enim illa ep. 90. studium sapientiæ, studium virtutis, studium corrigendæ vitæ eam esse censuit. Stoici apud Plutarchum lib. 1. De placitis phil. cap. 1. sapientiam dicebant esse, humanarum divinarumque rerum notitiam; philosophiam vero, quæ studium est sapientiæ, aiebant esse exercitationem artis, accommodatam ad sapientiam. Plato in Phædrone et Theæteto philosophiam ait esse divinarum humanarumque rerum notitiam; in Amatoribus vero, philosophiam ait esse meditationem, vel ut refert Alcinous De Doctrina Platonis cap. 1. solutionem animæ a corpore, quam definitionem optime explicant Conimbricenses, Toletus hic, Carpentanus in illo loco Alcinoi. Non enim est intelligenda de naturali ac reali solutione animæ a corpore, qualis fit in morte, sed de alia, voluntaria, quæ fit, cum anima rerum divinarum contemplationi intenta, avocat se, et quantum fieri potest, in rerum pervestigatione absorpta, a corporis se cura liberat. Ut enim præclare ait Seneca lib. 1. Quæst. natural. initio: cum in interiorem quis naturæ sinum venit, tunc inter ipsa vagantem sidera, juvat divitum pavimenta ridere et terram totam cum auro suo; nec potest, ait, ante quis contemnere porticus et lacunaria ebore fulgentia etc., quam totum circumeat mundum, et terrarum orbem superne despiciens, angustum et magna ex parte opertum mari, sibi ipsi dicat: hoc est punctum, quod inter tot gentes ferro et igne dividitur? — Denique idem Plato in Theagea, philosophiam ait esse similitudinem hominum cum Deo quoad fieri potest, quam definitionem explicat Toletus hic cap. 1., similitudinem hanc esse dicens in cognitione rerum, quam assequimur per philosophiam.

Aristoteles etsi, ut qu. 3. procemiali in Log. diximus, varie usurpet nomen philosophiæ, nunquam tamen, quod legerim, philosophiam definit in universum. Nam 2. Metaph. text. 3. cum philo-

sophiam dicit scientiam veritatis contemplatricem, non tam philosophiam universe, quam scientias speculativas, quæ per autonomasiam philosophiæ nomen sibi vindicant, describit. — Porro philosophiam in universum varie definiunt antiqui, ut refert Toletus hic cap. 2., Conimbricenses, Pererius lib. 1. cap. 2. Stoici enim philosophiam tripartitam faciebant: naturalem, quæ contemplatur rerum naturas, sub qua non solam Physicam, sed etiam Metaphysicam et Mathematicam complectebantur; moralem, quæ tota est in moribus componendis; et rationalem, quæ modum disserendi explicat, de qua divisione diximus in Logica loc. cit., et Conimbricenses citati elegantes rationes adferunt hujus divisionis trimembris. Epicurus vero, teste Seneca epist. 60., rationalem a philosophia removens, ejus loco canonicam substituebat teste Diogene lib. 10. sub initium, et canonicam Physicæ conjungebat, eratque velut introductio, accessum continens ad Physicam. Eum secutus videtur Seneca 1. Quaest. natur. initio, qui duas fecit philosophiæ partes; unam, quæ ad homines; alteram, quae ad deos spectat, et hanc ait scrutari secretiora naturæ, ut: quæ sit universi materia? quis auctor? etc. Aristoteles vero scientiam in universum dividit in speculativam, activam et factivam 6. Metaph. text. 1., 11. Metaph. sum. 3. cap. 1., quibus locis multi nomen scientiæ pro philosophia sumunt. Et ita censet Toletus hic, philosophiam in hæc tria membra debere dividi, et deinceps speculativam in Physicam, Metaphysicam et Mathematicam subdividendam, de quibus egimus disp. ultima in Logica.

Nos igitur reliquis philosophiæ partibus relictis, de naturali philosophia, ea quæ initio proposuimus, explicamus. Et quidem suppono ex dictis in Logica: philosophiam naturalem esse vere scientiam, eamque speculativam, ut probant Conimbricenses qu. 2. et 3. procemiali, Toletus qu. 1., qua in re, quæ difficultatem facere possent, solvimus in Logica, cum ostendimus disp. 4. in Poster. qu. 1. posse dari scientiam, et ibidem qu. 2. explicavimus, quomodo de rebus corruptibilibus, quales sunt physicæ, sit scientia etc. His positis, Physica seu naturalis philosophia est scientia, quæ rerum naturalium essentias et proprietates contemplatur. *Φύσις* enim, unde Physica, naturam significat, et idcirco Aristoteles hanc scientiam appellat scientiam de natura 1. Phys. text. 1., Cicero vero 1. et 3. De finibus, naturalem scientiam vocat, sicut et Aristoteles 6. Metaph. text. 2. Vocatur etiam secunda philosophia 7. Metaph. text. 39., nam ut idem ait 4. Metaph. text. 7. scientiam,

quæ de natura considerat, non esse primam philosophiam, quæ scil. ens et primas rerum causas considerat, ut ipse docet 6. Metaph. text. 2. et 3.; foret tamen prima si nulla esset substantia immobilis. Ex quo constat, cur vocetur Physica secunda philosophia, quia scil. res, quæ a Physica considerantur, secundum obtinent dignitatis locum inter objecta scientiæ, licet quoad nos prior sit Physica, quam Metaphysica, quoniam cum de rebus sensibilibus agat, prius addisci debet, quam Metaphysica. Unde recte Toletus docet, hunc ordinem inter partes philosophiæ teneri debere in scholis, ut primo Logica, tum Mathesis, Physica, dein Ethica et Metaphysica legi debeat. Mathematica enim vigorem phantasiæ et immaginationis requirit, quæ in juvenibus excellunt, Physica plus judicii.

Circa inventorem naturalis philosophiæ aliqui existimant, illam a Deo infusam esse Adamo, ab eo per manus posteris traditam, demum ad Aegyptios et Græcos pervenisse, ut de Logica dicebamus. Ita Josephus 1. Contra Appionem, Eugubinus lib. 1. De perenni phil. cap. 1. n. 3., Eusebius et alii uti in Logica. Cujus rei illud maximum est argumentum, quod vix ante philosophari coeperint Græci, aut certe vix aliquam veritatem philosophando sint consecuti, quam cum Aegyptiis conversarentur, ut ex auctoribus citatis in Logica constat. Et sane, facile erat Adamo scientias ad posteros transmittere, nam ut Genebrardus notat lib. 1. Chronologiæ in Mathusalem: Mathusalem versatus est cum Adamo annis 243, cum Noë annis 600 ante diluvium, atque ita facile rerum divinarum humanarumque scientia continuari potuit usque ad Abrahamum, qui annis 58 cum Noë est conversatus.

Alii contra, ut Aristoteles 1. Metaph. cap. 2. inventam ait ab hominibus, qui ex admiratione cœperunt philosophari. Qua vero ratione inveniri soleant ac possint scientiæ, explicavimus in Prolegomenis Logicæ, et bene Toletus hic cap. 4. Sed quisnam fuerit primus philosophiæ inventor, non consentiunt auctores. Diogenes lib. 1. initio ait, a Barbaris initia sumpsisse philosophiam multi putant. Siquidem Persis magos, Babyloniis Chaldaeos, Indis gymnosophistas, Gallis druidas ejus fuisse auctores ait Aristoteles in Magico. Hæc ille. De gymnosophistis autem multa Plinius lib. 7. cap. 2., de druidis idem Plinius lib. 16. in fine. At vero Græci suis adscribunt philosophiæ inventionem. Nam Diogenes citatus ait, philosophiæ duo fuisse principia: jonicum scil. et italicum. Hoc a Pythagora, qui in Calabria philosophatus est; illud a Tha-

lete, qui ex Jonia fuit, initium sumpsisse, ut etiam habet Augustinus 8. De civit. Dei cap. 2. At vero Marsilius lib. 12. De theologia Platonis, initio, ait: ante Pythagoram jam Zoroastrem et Mercurium Trismegistum et Orpheum philosophatos esse.

Ego in hac re sic sentio: Philosophiam naturalem, ut ceteras scientias, primo parenti infusam, ab ipso per manus posteris traditam fuisse, ad quod multum juvabat vita longior, et diuturna posterorum cum antiquissimis viris consuetudo, ita ut, sicut ex Genebrardo diximus, ab Adamo ad Abrahamum usque, qui 1939 post orbem conditum annis est natus, quatuor dumtaxat hominum interventu, scientiæ omnes posteris tradi potuerint. Nihilominus tamen, Græcorum tempore, qui se philosophiæ parentes jactant, plurimum a sua perfectione deflexerat philosophia et innumeris erroribus repleta, vix philosophiæ nomen merebatur, donec Græci occasionem philosophandi ab Aegyptiis et Hebræis accipientes, diuturno labore, summaque diligentia philosophiam naturalem et alias philosophiæ partes de novo inventas, sensim, ut fieri solere in Logica diximus, ad perfectionem perduxerunt. Et quidem moralem philosophiam Socrates primus invenisse fertur, ut tradit Augustinus 8. De civit. Dei cap. 2. n. 3. et Aristoteles 1. De part. animal. cap. 1. in fine. Socratis tempore, ait, indagationem naturalium rerum desiisse, quia is omne philosophandi studium ad virtutem civilemque cultum transtulit. Idem Cicero locis citatis a Pererio lib. 1. cap. 4. tradit. Mathematicas disciplinas primum apud Aegyptios constitutas ait Aristoteles 1. Metaph. cap. 1. Naturali vero philosophiæ, ut Diogenes supra, et Aristoteles 1. Metaph. sum. 2. cap. 1. docet, Thales Milesius initium dedit, sed Aristoteles et ingenii bonitate, et antiquorum opinionibus et inventis adjutus, ad perfectionem perduxit, qui sane peculiari Dei providentia et consilio non vulgari adjutus videtur, ut inter tot philosophorum errores, non solum in rebus naturalibus, sed quod admirabilius est, in tanta morum ac vitæ corruptela, quanta apud gentes erat, etiam in rebus ad mores spectantibus, fere semper veritatem attigit. Unde non immerito Averroes, citatus qu. 1. proœmiali in Logica, gratias agit Deo, qui talem virum hominibus donavit, qui esset velut exemplar, quod natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem hominis, quem etiam Plinius lib. 18. cap. 38. virum immensæ subtilitatis vocat. Ante Aristotelem floruit Plato, qui mirum est, quam multa de Deo cognoverit, quæ Augu-

stinus 8. De civit. Dei cap. 5. et 6. enumerat. Verum tamen est, aliquas labes et errores reperiri in Platone et Aristotele, ut intelligeremus, humanum ingenium, quantumvis sublime, erroribus esse obnoxium, nisi divina gratia adjuvetur.

Circa objectum naturalis philosophiæ suppono ex dictis in Logica, philosophiam naturalem esse scientiam, licet multi sint in illa, ut etiam in aliis scientiis totalibus, habitus opinativi; ex quo genus ipsius constat. Nunc in objectum, ex quo differentia sumi debet, inquiramus. Positis iis, quæ qu. 2. in Logicam procemiali, et disp. 4. in Poster. qu. 2. diximus, nulla est difficultas. Constat enim adæquatum objectum philosophiae naturalis esse id omne, quod per actus scientificos ab habitu Physices elicitos cognoscitur. Subjectum vero adæquatum est id omne, quod est subjectum conclusionum in Physica demonstratarum. Solam potest esse controversia de subjecto principali, ad quod omnia, quæ in Physica traduntur, attributionem dicunt. Hoc enim subjectum Trombetta 6. Metaph. qu. 2. ait esse substantiam naturalem, ita ut etiam intelligentias complectatur, quia inquit, Aristoteles 6. Metaph. text. 1. naturalem philosophiam versari ait circa substantiam possibilem moveri. At omnis substantia naturalis est possibilis moveri. Ergo. Fallitur tamen, ut recte docet Pererius lib. 2. cap. 2. Intelligentiæ enim ad considerationem physicam non spectant; tum quia, ut disp. ult. in Poster. qu. 1. dub. 2. ex Aristotele diximus, eo differt Physica a Metaphysica, quod illa versatur circa res, quæ non abstrahunt a materia sensibili: ergo, cum Angeli sint quid abstractum a materia sensibili, non spectabunt ad Physicam. Unde Aristoteles ipse 13. Metaph. initio, et lib. 12. text. 6. naturalem scientiam versari ait solum circa substantiam sensibilem. Tum, quia Aristoteles 1. De anima text. 17. primi philosophi ait esse considerationem rerum sine materia. Tum denique quia, si ad Physicam spectat consideratio Angelorum: ergo et ejus motum, locum, durationem etc. considerabit. At Aristoteles locum solum rei corporeæ considerat, similiter et motum, cum 6. Metaph. text. 32. et 86. velit sola divisibilia posse moveri. Unde cum docet, Physicam considerare substantiam naturalem, per substantiam naturalem intelligit corpus materiale.

Alii igitur subjectum principale ajunt esse corpus generabile et corruptibile, ut excludant cœlos a consideratione physica. Ita Andreas Cæsalpinus Quæstionum peripateticarum lib. 1. qu. 4. et

probat, quia solius rei generabilis et corruptibilis principia traduntur in Physica, ut fatetur Aristoteles 1. Phys. text. 68. Hæc tamen sententia improbabilis est, ut recte notat Pererius citatus et Zabarella in libro De constitutione naturalis scientiæ cap. 5. (ubi etiam refellit eos, qui solum corpus mixtum constituunt subjectum, ut excludant elementa) tum, quia Aristoteles 12. Metaph. text. 5. et 6. substantiam sensibilem, tam corruptibilem, quam incorruptibilem, ait ad physicam considerationem spectare; at soli cœli sunt substantiæ incorruptibiles sensibiles: ergo; tum, quia cœli sunt corpora naturalia ex 3. Cœli initio, Metaph. 8. text. 12.: ergo sunt principia motus; at ex 6. metaph. text. 1. naturalis philosophia considerat substantiam, in qua est principium motus: ergo... Nec argumentum Cæsalpini urget. Aristoteles enim 1. Phys. solum considerat principia rerum, quæ substantialiter transmutari possunt, non vero omnium corporum naturalium, ut disp. 1-a dicemus. Et ideo Aristoteles 1. Phys. text. ultimo fatetur, se solum agere de formis corruptibilibus, quia ut 6. Metaph. text. 1. dicitur, Physica ut plurimum agit de substantia inseparabili.

Dico ergo: subjectum principale naturalis philosophiæ esse ens mobile, ut mobile est, seu corpus naturale, ut naturale est, quæ idem omnino sunt, ut recte Zabarella loco cit. cap. 2. et 3., Soncinas 4. Metaph. qu. 10., Conimbricenses qu. 4. procemiali art. 1. Mobile enim dupliciter sumi potest, primo pro eo quod habet potentiam proximam ad motum, v. gr. gravitatem vel levitatem. Et hoc modo ens mobile est aggregatum per accidens, sicut ens quantum; nec sumitur hoc modo ens mobile in præsenti. Secundo sumitur mobile pro radice et principio illius potentiæ motivæ, et hoc modo idem est ens mobile et naturale, ut notat Zabarella illo cap. 3., Conimbricenses citati et Pererius lib. 2. cap. 3. initio, atque ideo Aristoteles promiscue utitur his verbis. Interdum enim ait, naturalem scientiam considerare ens mobile, vel substantiam mobilem, ut 6. Metaph. text. 1., 11. Metaph. sum. 2. cap. 2., ubi naturalis philosophia, ait, principia entium prout moventur considerat; interdum vero corpus naturale, ut 1. Cœli text. 1., 3. Cœli text. 1. Eodem modo Averroes, ut citati auctores notant, substantiam physicam nunc ens mobile, nunc corpus mobile appellat. Similiter D. Thomas, licet initio lib. 1. Phys. dicat, subjectum Physicæ esse ens mobile, tamen initio 1. De cœlo ait esse corpus mobile, sicut etiam qu. 14. De verit. art. 8. ad 16. Juniores tamen

contendunt, melius dici subjectum esse corpus mobile, quam ens mobile, quia inquiunt, cum dicitur corpus, magis expresse significatur subjectum Physicæ debere esse substantiam corpoream. Nam ens naturale id non significat, siquidem etiam quantitas est ens naturale. Sed nec ista ratio multum valet, nec refert, sive dicam subjectum esse corpus mobile, sive ens mobile, sive corpus naturale, dummodo constet, idem his omnibus significari. Licet enim cum dicitur ens mobile esse subjectum, non explicetur in subjecto Physicæ principium quietis, id tamen necessarium non est, sed sufficit assignari differentiam entis in subjecto, per quam ad physicam considerationem coarctetur.

Jam igitur probatur conclusio. Nam omnia, quæ in Physica tractantur et considerantur, attributionem dicunt ad corpus naturale tanquam principia, causæ, affectiones etc., vel certe tanquam conducentia ad perfectam cognitionem hujusmodi proprietatum, qua ratione de infinito, vacuo etc. agitur in Physica, et 8. Phys. de intelligentiis motricibus disputatur, quatenus ad perfectam cognitionem motus necessarium est; de anima etiam rationali, quatenus est principium compositi et causa formalis illius et radix operationum, Physica agere debet, ut late Pererius lib. 1. cap. 9. Hoc enim subjectum nulla alia scientia considerat, nam Astrologia, de qua posset esse difficultas, non corpus mobile, sed motum cœli, eumque non quatenus est actus entis in potentia, sed quatenus habet æqualitatem etc. cum aliis mobilibus, ut recte Conimbricenses qu. 4. art. 3. ad 5.

Duo tamen hac in re sunt notanda. Primum est, cum dicimus corpus naturale esse subjectum principale, non ita id intelligitur, quasi sola ratio generica corporis naturalis in communi consideretur tanquam subjectum principale; sed quod omnia corpora naturalia sint subjectum principale Physicæ. Ut enim in Prolegomenis Logicæ diximus, non est necesse ut subjectum principale sit unicum. Unde recte Zabarella citatus cap. 7. ait, corpus naturale cum dicitur esse subjectum Physicæ, non sumi pro sola voce generica, sed pro illa et omnibus ejus speciebus. Et ratio est, nam licet talis gradus genericus consideretur a Physica quando tradere debet in quo consistat ratio corporis, distincta a ratione speciali, ille tamen gradus genericus tunc est subjectum solum alicujus scientiæ partialis, contentæ in Physica totali, nec ordinatur tota Physica ad cognitionem talis gradus, sed potius talis ratio generica propterea cognoscitur, ut perfecte cognosci possint naturalia corpora, quan-

quam, ut disp. 4. in Poster. qu. 2. diximus, fere voluntarium est, ut hoc potius, quam illud, constituatur subjectum principale totalis scientiæ. Nam tota Physica ordinari poterat ad solum hominem perfecte cognoscendum, et tunc homo fuisset principale subjectum. Alterum quod in hac re notandum est: cum dicitur, corpus mobile vel naturale esse subjectum, ita ut ratio subjecti formalis sit mobile vel naturale, illud mobile significat differentiam essentialem entium, a qua dimanat aptitudo ad acquirendum aliquod esse per motum, sive substantiale, sive accidentale. Id vero, quod per se acquirit et producit aliquid, compositum est; atque ideo, partibus substantiæ integræ non convenit hæc ratio formalis, quæ causa est, ut subjecti principalis Physicæ partes, principia et passiones assignari possint. Ex his patet, Physicam sic optime describi posse cum Zabarella loco citato cap. 6. ut sit scientia speculativa, considerans corpus naturale, ut naturale est. — Dices, si corpus naturale est subjectum Physicæ: ergo omnes ejus proprietates considerat, ac proinde non relinquit quantum Mathematicæ. Sicut enim Physica omnia explicat, quæ ad perfectam cognitionem aliarum proprietatum corporis naturalis spectant, ut qualitatis etc., ita similiter omnia, quæ de quantitate dici possunt speculatur. — Ad hoc argumentum respondi in Logica disp. ult. qu. 2. dub. 4., et late respondent auctores 2. Phys. in text. 26., uti Toletus, Conimbricenses etc.

Circa utilitatem naturalis philosophiæ (de fine enim ipsius, nihil præter ea, quæ de fine Logicæ diximus, addendum videtur) pauca sunt nobis dicenda, cum certum sit, illam, utpote maximam intellectus nostri, qui rerum contemplatione pascitur, perfectionem, longe jucundissimam utilissimamque esse, ut non immerito Seneca initio Quæst. natur. dixerit, nisi ad hanc secretorum naturæ cognitionem admitteremur, non fuerat operæ pretium, natum fuisse. Detrahe, inquit, hoc inæstimabile bonum, non est, ut tantum sudem et æstuem. Ubi præclare ostendit, verbis supra relatis, non ante contemnere nos posse, quæ vulgus hominum æstimat, quam terram ac terrena omnia contemplati, nobis ipsis inferiora et nostri causa condita omnia cognoscamus; id, quod studio naturalis philosophiæ imprimis assequimur. Utilissima præterea est Physica ad corporum humanorum sanitatem tuendam; ex ea namque, velut ex fonte, ars medica dimanavit. Confert denique ad Dei et angelorum cognitionem, ad accendendum in nobis ex rerum naturalium contemplatione divinum amorem, et in universum, ad theologicas veritates

et sacrosancta fidei dogmata stabilienda et propugnanda. Hæc enim docet, ea quæ christiana religio tradit naturali intellectus lumini non repugnare, sed illud longe superare, et cum Deum infinitæ potentiæ esse ostendit, infert non esse eum naturæ legibus adstrictum, quin potius credibile esse, permulta quæ humani ingenii aciem superant, divinitus revelari convenientissimum fuisse. Unde ex ipsa philosophia evincitur, aliquid credi posse, quod humano ingenio capi non possit. Ejus porro dignitatem, vel ex eo solum intelligere possumus, quod ut Aristoteles sect. 30. Problem. 20. ait, veteres nulla præmia sapientiæ studio decrevisse, cum tamen præmia certaminibus corporis proposuerint, quia propter ejus præstantiam nec æquus judex, nec dignum præmium sapientiæ inveniri poterat. Et idcirco Aristoteles 9. Ethic. cap. 1. philosophiam tanti esse ait, ut iis, a quibus illam hausimus, nec mercedem, nec honorem parem reddere possimus. Et apud Gellium lib. 9. cap. 3. Philippus Macedo, Aristoteli scribens, fatetur, magis se lætari quod tempore Aristotelis natus sit Alexander, atque ita nactus a quo erudiretur, quam quod natus.

Circa divisionem philosophiæ naturalis et partes illius videri potest Toletus in prolegomenis cap. 3., Conimbricenses Post. qu. 5. procemiali, Zabarella lib. 1. De const. natur. scientiæ cap. 6. Aristoteles 1. Meteor. initio, partim repetens ea de quibus disputaverat, partim proponens ea de quibus agendum restabat, sex videtur veluti membra naturalis philosophiæ statuere. Primum, in quo agitur de communibus rerum naturalium principiis, passionibus et causis. Et hanc Physicæ partem 8. libris physicis complexus est Aristoteles. Secundum, in quo de Cœlo et corporibus simplicibus agitur, quæ libris de cœlo præstitit Aristoteles. Tertium, in quo de mutua elementorum transmutatione et in universum de generatione et corruptione agitur, quod præstitit Aristoteles libris de generatione. Quartum, in quo de mixtis imperfectis, qualia sunt meteorologica et libris meteorologicis hoc præstitit Aristoteles. Quintum, in quo de mixtis perfectis quidem, sed inanimatis agitur, ut sunt aurum, argentum et reliqua metalla; et hanc partem Physicæ Aristoteles non tradidit, licet in fine libri 3. Meteor. hanc quoque se pertractaturum promittat. Late tamen de his Plinius lib. 33. et 34., Albertus Magnus libris De mineralibus, Georgius Agricola De fossilibus etc. Sextum denique membrum est, in quo de mixtis perfectis et animatis agitur. Sed quia mixta animata,

alia sunt solum vegetativa, ut plantæ; alia sensitiva, ut animalia: Aristoteles primam illam partem de plantis neglexit, licet 1. Meteor. cap. 1. et libro De longitudine et brevitate vitæ, in fine, promittat se scripturum de plantis. Imo, ut Laërtius in vita Aristotelis, imo et Aristoteles ipse 5. De histor. animal. cap. 1. testantur, etiam scripsisse, sed ii libri interciderunt. Ii enim libri, qui inter Aristotelis opera circumferuntur, illius non sunt, ut Scaliger libro De plantis, Conimbricenses Post. qu. 5. procem. fatentur, cum nec stylus, nec inventio, nec dispositio Aristotelem referat ait Scaliger. Late tamen de his Plinius a lib. 12. ad 20. De animalibus vero late Aristoteles in libris De anima, et Parvis naturalibus, in libris item De animalibus, de eorum partibus et generatione. Hos libros quanta diligentia et impensis Alexandri composuerit, testis est Plinius lib. 8. cap. 16., de quorum librorum ordine inter se late Zabarella loco citato. Nos in re, non adeo necessaria, immorari nolumus. Illud solum dico, male Mirandulam lib. 15. De singulari certamine sensisse, octo Physicorum libros ante Metaphysicam, tanquam ejus procemium poni debere. Nam Aristoteles ipse 1. Phys. initio docet, naturalis philosophiæ munus esse ante omnia agere de principiis rerum, et initio 3. Phys., physici ait esse disputare de loco, tempore etc., et 2. Phys. text. 22. ejusdem esse docet tum materiam, tum formam considerare, quæ tamen omnia his libris explicat; et denique 1. Meteor. initio expresse docet Aristoteles ante libros meteorologicos tradi debere scientiam de principiis et causis rerum naturalium. Sed objicit Mirandula: Aristoteles 1. Metaph. refert opiniones antiquorum de principiis, sicut et 5. Metaph.; ergo id munus est metaphysici; ergo principia rerum naturalium non physicus investigat. — Respondeo: Aristoteles 1. Metaph. enumerat opiniones antiquorum de principiis entis, quæ eadem sunt cum opinionibus quas 1. Phys. retulerat de principiis transmutationis; 5. vero Metaph. liber solum recapitulatio quædam est eorum quæ Aristoteles alibi jam docuerat et idcirco is liber a multis censetur superfluus.

DE OCTO LIBRORUM PHYSICORUM AUCTORE, INSCRIPTIONE, OBJECTO ET DIVISIONE.

Auctor horum librorum absque ulla controversia est Aristoteles, ut Simplicius 6. Phys. initio ex Theophrasti et Eudemi auctoritate

confirmat, quorum testimonium magni in hac re faciendum, initio Praedicamentorum ostendimus. Franciscus tamen Patricius, lib. 3. Discussionum peripat., aliquas rationes adfert, propter quas dubitare quis posset, an Aristoteles revera sit auctor horum librorum. Laërtius enim, inquit, in diligenti illo librorum Aristotelis censu, horum librorum non meminit, sed solum ait, scripsisse eum tres libros de natura, unum physicum, et 38 libros naturalium. Accedit, quod librum 7-um rejicit Alexander tanquam nothum, et teste Simplicio, ibi libr. 7. initio, etiam Eudemus. Sed revera, cum ipse Aristoteles, ut postea videbimus, citet hos libros tanquam suos, non est quod his rationibus moveamur. Nam forte hi libri inter illos 38, quos Laërtius enumerat, continentur, et sufficit, Theophrastum et Eudemum, Aristotelis discipulos, agnovisse octo libros Physicorum tanquam proprios Aristotelis, teste Simplicio. Nec Alexander aperte rejicit librum 7-um, sed eum minus necessarium esse ait, et in eo Aristotelem levioribus uti rationibus. Simplicius autem solum docet, Eudemum non scripsisse commentarios in illum librum.

Inscribuntur porro hi libri: *Περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως*, hoc est, de naturali auscultatione, de cujus inscriptionis ratione late Conimbricenses hic, Pererius lib. 2. cap. 10., Toletus qu. 2. procem., Franciscus Patricius lib. 5. Discussionum peripat. Ego censeo, hujus inscriptionis occasionem dedisse illam Aristotelis epistolam, quam ad Alexandrum missam refert Gellius lib. 20. cap. 4., et innuit Plutarchus in Alexandrum. Conquerenti enim Alexandro, quod libros *ἀκροαματικὸς* edidisset, quorum cognitione malle se præstare ceteris, quam imperio, affirmabat, respondit Aristoteles, ita se illos edidisse, ut nihilominus incognita ceteris, perinde ac si non edidisset, sint futura, nec ulli, nisi qui ipsum audivisset, hanc doctrinam fore cognitam. Quia ergo auscultare quis docentem magistrum debet, ut hos libros percipiat: idcirco a discipulis potius Aristotelis, quam ab ipso Aristotele „De physica auscultatione“ sunt inscripti hi libri. Ipse enim Aristoteles, frequenter hos libros nominans, nunquam tali titulo exornavit, sed vocat interdum absolute physicos, ut 8. Phys. text. 4. et ult.; alias: Libros de principiis, ut 1. Coeli 54., 2 De generat. text. 61.; sæpe: libros de motu, ut 1. Cœli 35., 1. De generat. 14., 3 Cœli text. 5; aliquando: de natura, ut 8. Phys. text. 40.; et denique: primos sermones, ut 4. Cœli 24., 1. Cœli 20., de quibus late Pererius lib. 2. cap. ult.

Illud in universum certum est, Aristotelis libros duplicis fuisse generis. Aliqui enim exoterici, alii acroamatici vocati sunt teste Gellio loco cit., Cicerone 5. De finibus et epist. 15. libri. 4-i ad Atticum, Simplicio hic, Clemente 5. Stromat., Strabore lib. 13. Geographiæ etc. Licet ejus divisionis Laërtius non meminerit, colligi tamen potest haec divisio ex ipso Aristotele, qui 1. Ethic. cap. 13. de anima ait disputatum est in exotericis sermonibus, et 6. Ethic. cap. 4. extrariis seu exotericis sermonibus se credere aliquid de actione ait, et 3. Polit. cap. 4. de modo imperii ait in exotericis sermonibus sæpe esse determinatum, et 7. Polit. cap. 1. de optima vita multa in exotericis. Sed quodnam sit discrimen inter hos libros variant auctores. Græci veteres putant exotericos libros esse, qui facilem continent et vulgarem doctrinam, ut sunt libri de animalibus, rhetorici etc.; acroamatici, qui sublimiorem doctrinam continent, qui hoc modo appellandi, eo quod propter excellentem difficultatem percipi non possint, nisi audito magistro interprete. Franciscus vero Patricius lib. 5. et 6. Discuss. peripat. fuse de hoc disputans, in ea est sententia, ut putet, exotericos libros esse dictos, qui pervulgati jam et in lucem editi essent, ac proinde quasi extra dati; acroamatici vero, qui nondum erant vulgati, sed legendo tamen discipulis communicati, qua ratione fere omnes libri Aristotelis conservati sunt, cum ipse, ut testatur Strabo citatus, paucissimos libros in lucem edidit. Et hæc expositio mihi placet, si de libris acroamaticis in communi loquamur, nam in quibusdam libris propter excellentem rerum difficultatem, etiam prior acceptio seu expositio græcorum locum habet, ut de libris Physicorum diximus. Et id quod Patritius docet, innuit etiam Ammonius Prolegom. in prædicam., Philoponus 1. De anima text. 38., et ipse Aristoteles 1. Cœli text. 100., juxta expositionem Averrois ait in philosophia extranea, quam posuimus: vulgo. Tandem ipse Aristoteles 1. Ethic. loco citato, libros De anima vocat exotericos, qui tamen accuratissimi sunt et diligentissime scripti: ergo etiam tales, qui juxta græcos potius acroamatici dici debuerunt, exoterici ab ipso dicti sunt. Quod enim aliqui ajunt, alios ab his, qui exstant libros De anima vocari exotericos, figmentum est.

Circa objectum horum librorum idem sentiendum, quod de objecto adæquato totius Physicæ diximus. Subjectum vero principale censet D. Thomas initio Phys., Zabarella cit. cap. 7., Conimbricenses hic, esse corpus naturale in communi, ita ut, sicut totius

philosophiæ naturalis subjectum principale sunt omnes passiones corporis naturalis, seu corpus naturale modo supra explicato; ita subjectum principale horum 8 librorum sit solum corpus naturale in communi, quod definit Aristoteles 2. Phys. text. 4. esse id, quod habet naturam. Et ita ajunt, in his libris solum considerantur passiones et principia communia omni naturali corpori, ac proinde, quæ conveniunt corpori naturali, ratione gradus generici. Verum, quia in 1. Phys. solum principia rerum generabilium et eorum corporum, quæ materia et forma constant explicat Aristoteles; libris vero de Cœlo ostendemus cœlos materia et forma carere: idcirco existimo, subjectum principale horum librorum esse corpus generabile in communi, et ita proprietates, quæ corpori naturali generabili in communi conveniunt, hoc loco tractari. Nam quod Zabarella loco cit. cap. 5. et 9. ait primum librum Physicorum esse velut procœmium tractationis de corpore naturali in communi, de quo libro secundo primum disputat Aristoteles, improbabile est. Nec alio modo probanda est nostra sententia, quam quod omnia tractata his libris sunt principia, causæ, passiones corporis naturalis generabilis, non ut hujus vel illius speciei sunt, sed solum ut sunt corpora generabilia. Ergo scopus hujus libri est, ut corpus generabile et ejus passiones cognoscantur.

Dividuntur hi libri in duas partes, in quarum prima de principiis et causis rerum naturalium agitur, in altera de passionibus rerum naturalium, et ex accidenti, in fine libri octavi, agitur de primo motore. In particulari autem, libro primo agitur de principiis transmutationis corporum naturalium; in 2° de causis ejusdem; in 3°, quia definiverat lib. 2. naturam (per quam constituitur res naturalis, cujus causæ quærebantur) per motum, agit de motu et de infinito. In 4°, quoniam motus fit in loco et tempore, agit de loco et tempore. Et quoniam antiqui locum putabant esse vacuum, agit de vacou. In 5° redit ad disputationem de motu, ubi de ejus oppositione, unitate et speciebus disputat. In 6°, quia motus est continuus, agit de continuo. In 7.° et 8.° disputat de comparatione motuum, de motore, et occasione sumpta, agit de primo motore. Et hæc præfatos esse sufficiat; reliqua quæ de scientia et ejus divisionibus etc. congerunt Pererius, Conimbricenses, Toletus et alii, nos suis locis lib. Poster. diximus.

IN PRIMUM LIBRUM
PHYSICORUM ARISTOTELIS.

PROOEMIUM.

Liber hic in tres partes commode potest dividi, in quarum prima, quæ continetur primis quinque textibus, veluti procœmii loco, methodum qua in hac scientia pertractanda utendum sit, explicat. In secunda, quæ est a textu 6. ad 41. recenset et refellit Veterum placita de principiis rerum naturalium. In tertia denique, de principiis ex propria sententia incipit disputare. Nos vero, quia breviter et dilucide a Conimbricensibus et Toleto explicatur textus Aristotelis, sola procœmii explicatione contenti erimus. In ipsis disputationibus, et Aristotelis doctrinam, at veterum placita enumeraturi, simul etiam difficiliores textus explicabimus, ubi res tulerit et occasio.

In procœmio igitur textu 1-o ait: In omni scientia, cujus objectum habet principia, causas et elementa, ex horum cognitione necesse est cognoscere ea quæ sunt in scientia. Cui supponenda erat minor propositio quam Aristoteles reticuit, videlicet: natura, vel res naturales habent sua principia, ex quo infert in fine textus: scientiam naturalem debere a cognitione principiorum rerum naturalium inchoari. Hic per principia intelligit potissimum principia essendi, et non tam principia complexa cognoscendi, ut ex sequentibus patebit. Illa vero tria: principia, causæ et elementa, licet in rigore loquendo diversa sint, principium enim latius patet quam causa, nam punctum principium est, non causa, et causa latius quam elementum, quod solas causas internas complectitur: hic tamen solum majoris claritatis gratia adhibita videntur, maxime

cum alibi hæc omnia confundat Aristoteles, ut 6. Metaph. text. 1. Ut vero explicet, quomodo principia sint cognoscenda, quaque via et ratione, addit text. 2. incipiendum ab iis quæ nobis sunt notiora et deveniendum ad ea, quæ sunt notiora natura. Nobis autem notiora sunt, ait text. 3., confusa et tota. Addit text. 4., incipiendum esse ab universalibus, et progrediendum ad singularia. Probat autem eodem et sequenti textu, magis universalia, esse nobis notiora, nam totum facilius cognoscimus, quam partes; at universale totum quoddam est, multa complectens, ut partes etc. Deinde ipsi pueri naturæ instinctu prius apprehendunt communiora, quia prius omnes homines vocant patres. Ex quibus omnibus Aristoteles vult concludere, ita Physicam tradi debere, ut magis universalia prius tractentur. Licet enim, quando ordine inventionis proceditur in Physica, ab effectibus, ac proinde a singularibus ad universalia procedatur, tamen cum jam inventa proponuntur aliis addiscenda, ab universalibus principiis est incipiendum, siquidem ut notat Aristoteles 1. De partib. animal. cap. 1. text. 4., nisi a communibus incipiamus, sæpius idem repetere in disciplina tradenda est necessarium.

DUBIA QUAEDAM CIRCA HOC PROOEMIUM ARISTOTELIS.

Multa sunt quæ in his textibus difficultatem habent. Primo enim a nobis notioribus ad notiora natura procedendum esse docet Aristoteles text. 2. At notiora nobis, sunt confusa, ut text. 3. ait, seu tota ut text. 4. subdit, ex cognitione enim totius ait text. 3. veniendum est ad cognitionem principiorum et elementorum: ergo prius agendum est de toto, quam de principiis et elementis illius. Atqui idem Aristoteles text. 1. docet, prius cognoscenda principia rei naturalis, quia nisi iis cognitis, non possumus rem cognoscere: ergo sibi contradicit Aristoteles.

Secundo docet Aristoteles hic text. 1., Poster. text. 12., 7. Metaph. text. 10., alia esse notiora natura, alia notiora nobis, quæ divisio non videtur esse bona. Tum, quia non dicitur aliquid cognoscibile vel notum, nisi in ordine ad intellectum: ergo natura sua nulla res est magis cognoscibilis quam alia, sed solum in ordine ad aliquem intellectum. At in ordine ad intellectum perfectissimum, v. gr. divinum, una res non est magis nota vel cognoscibilis, quam alia. In ordine autem ad nostrum intellectum,

nihil dici potest notius, nisi quod facilius et melius a nobis potest cognosci. Ergo hæc divisio nullius est momenti. Tum, quia licet admittatur hæc divisio, non potest explicari, quæ sint illa, quæ dicuntur magis nota natura. Tum denique, licet hoc explicetur, adhuc falsum est quod text. 2. docet Aristoteles, non eadem esse nobis et natura nota. Quomodocunque enim explicetur id, quod dicitur notius natura, invenimus, multa ex iis quæ sunt notiora natura, esse etiam notiora nobis.

Tertio, quod text. 4. docet Aristoteles, universalia esse nobis notiora quam singularia, non videtur consonare rationi et iis, quæ alibi docet Aristoteles. Nam 1. Poster. text. 12. apud Zabarellam docet, ea esse nobis notiora, quæ magis accedunt ad sensum, et addit magis propingua esse sensibus singularia, et illa esse notiora. Deinde 2. Metaph. text. 1. et 7. Metaph. text. 10. docet, ea quæ sunt nota natura, esse ignota nobis; at universalia sunt nota natura, singularia secundum sensum, ex 1. Phys. text. 49. Ergo.

Pro solutione harum difficultatum sciendum est, rem esse notam natura, non esse, quod natura possit rem facile cognoscere, sed quod res ex natura et essentia sua sit facile cognoscibilis; nobis autem notius dicitur, quod a nobis potest facilius cognosci. Distinctionis istius illa fuit causa, quod licet cognoscibile seu intelligibile concipiatur in ordine ad aliquem intellectum, non tamen ad nostrum duntaxat intellectum, sed ad quemcunque intellectum, sive divinum, sive angelicum, sive nostrum. Quod ergo nos facilius cognoscimus, id dicitur notius nobis; simpliciter autem notius dicitur, quod quantum est de se, est magis cognoscibile ab eo intellectu, qui potest res capere prout sunt in se; quæ autem res sint hujusmodi dicitur in responsione ad secundum. In nobis porro duplex est cognitio rerum, ut recte Conimbricenses 1. Phys. cap. 1. qu. 2. art. 1., alia videlicet confusa, distincta alia. Tunc habetur cognitio confusa, quando res aliqualiter concipitur, ejus vero quidditas, principia et causæ non penetrantur, qualis est cognitio quam habemus de angelis, et fere semper, antequam perfecte cognoscamus et distincte res, præcedit hujusmodi cognitio confusa, ut etiam in Logica disp. 2. in libr. Poster. qu. 1. diximus, et probant Conimbricenses citati ex Aristotele, Scoto etc. Cognitio distincta tunc habetur, quando intellectus clarum rei conceptum format, propria principia et causas cognoscendo. Et quia in scien-

tiis hæc cognitio est per se intenta, non vero confusa, idcirco docet Aristoteles, a cognitione principiorum sumendum initium. Quia tamen adhuc supererat explicandum, qua via et ratione cognitio principiorum esset tradenda, idcirco supponit Aristoteles, innatum esse nobis, ut a notioribus nobis, ad notiora natura progrediamur. Explicans autem, quæ sint ista, ait, a confusis et universalibus nobis esse incipiendum, ea enim notiora sunt nobis.

Ad primum respondeo cum Averroe et Vicomercato hic, Aristotelem hoc procemio duo explicare. Primum est, quomodo debeant demonstrari et intelligi principia rerum, ut ex illorum cognitione ad perfectam rei notitiam veniamus; secundum, quo ordine debeant in hac scientia tractari res. Docet igitur text. tertio, a confusis esse incipiendum, ubi per confusa intelligi debent, non universalia, sed composita physica, quod vel ex eo patet, quia subdit Aristoteles, per divisionem confusorum cognosci principia; sed non cognoscuntur per divisionem universalium, sed per divisionem compositorum: ergo. Sensus igitur Aristotelis est, principia rerum naturalium indaganda et cognoscenda esse a posteriori, et a compositis confuse cognitis, composita; siquidem nobis notiora sunt, quam eorum principia, quæ difficillime cognoscuntur: ac proinde, cum a notioribus nobis inchoandum sit, recte statuit Aristoteles, a confusa cognitione totius, ad principiorum et elementorum cognitionem deveniendum. Unde licet Physica incipiat a principiorum tractatione, supponit tamen cognitionem aliquam compositorum, non in scientia traditam, sed per experientiam comparatam, et mediante ista cognitione pervenimus ad principiorum cognitionem. Concludit ergo Aristoteles, modum demonstrandi principia non debere esse a priori, sed a posteriori, ex iis quæ in compositis apparent. Addit vero, ordinem quo tractari debent res in scientia esse, ut ab universalibus incipiamus, et sensim ad minus universalia progrediamur, quod explicatur ad 3-um. Ex quo apparet, nullam esse in Aristotele contradictionem. Aristoteles enim solum docet, quod cum a notioribus nobis debeamus ad cognitionem principiorum venire; notiora autem sint nobis, saltem cognitione confusa, ipsa composita, quam eorum principia, quæ difficillime cognoscuntur: ideo ex confusa notitia totius, ad principiorum notitiam distinctam veniendum. Unde, licet ex cognitione distincta principiorum cognosci debeat distincte compositum, tamen ut distincte cognoscantur principia, prius saltem confuse cognoscendum

est compositum, et ex ejus notitia veniendum est ad principiorum cognitionem, ut postmodum ex distincta illorum notitia habeatur distincta notitia compositi, quod distincte cognosci non potest, nisi ejus partibus cognitis. Ex quo constat nullam in Aristotele esse contradictionem.

Ad secundum respondeo: illa dici notiora natura, quæ secundum se magis sunt cognoscibilia, quamvis ab intellectu nostro, propter ejus imperfectionem, minus facile cognoscantur, vel etiam ab aliquo intellectu, v. gr. divino, propter ejus summam perfectionem æque facile cognoscantur. Quæ autem sint talia non omnes conveniunt. D. Thomas ait, ea esse notiora natura, quæ sunt perfectiora in ratione entis. Ratio est, quia sicut illud est visibile, quod est lucidum, illud diligibile, quod est bonum etc., idcirco recte sequitur: illud esse magis visibile, quod magis est lucidum etc.; ita similiter, cum illud sit intelligibile, quod est ens: erit magis intelligibile, quod est perfectius ens. Alii ajunt, illud esse notius, quod est simplicius. Ego existimo distinguendum esse. Nam vel comparantur inter se res, quæ habent inter se ordinem prioris et posterioris, ut totius et partis sive physicæ, sive metaphysicæ, etc.; et tunc illud dicitur notius natura, quod non dependet ab altero in esse et cognitione; illud vero minus notum, quod dependet, ut colligitur ex Aristotele 6. Top. loco 18. Nam id quod prius est cognosci potest sine posteriori, non vero e contra. Unde apparet, regulam divi Thomæ universaliter non esse veram, sæpe enim et fere semper, quod posterius est, nobilius est et præstantius, ut apparet in specie quæ nobilior est genere, cui addit differentiam, et tamen genus est notius natura, cum sit prius specie. Similiter compositum est nobilius sua parte ex Metaph. 1. text. 8., et tamen partes sunt notiores natura, cognitione distincta, quam illud, (licet ut dixi, cognitione confusa totum sit notius). Partes enim secundum suam entitatem absolutam, quæ imperfecta est et ordinata ad compositionem totius, per se possunt cognosci distincte, non cognito toto distincte, et necessario debet prius distincte cognosci quid sit materia et forma, quam cognoscitur quid sit compositum ex his. Et ita etiam verum est, illa esse notiora, quæ sunt simpliciora, respectu illorum scilicet, quæ ex simplicibus componuntur, quia ad cognitionem compositi, necessaria est cognitio eorum ex quibus componitur. Absolute tamen verum non est, simpliciora esse notiora, natura; sic enim res minimæ entitatis, ut relatio

simpliciter intelligibilis etc., essent notiores, quod falsum esse probat div. Thomæ ratio. Vel secundo fit comparatio inter illas res, quæ non habent ullum ordinem inter se, tunc optime dixit div. Thomas, illas res esse notiores natura, quæ sunt perfectiores et docet Aristoteles 2. Metaph. text. 1. et inductione patet in aliis potentiis, ut sensitivis, quod quo magis aliqua res participat objectum potentiæ, eo facilius potentia fertur in illud, si cetera sint paria. Ergo idem fit in intellectu. Ex his constat, posse explicari, quæ sint notiora natura; nam quæ sint notiora nobis, mox dicemus.

Ad illud quod addebatur, eadem esse notiora natura et nobis, respondeo cum Pererio lib. 3. cap. 8., Soto hic qu. 2., Conimbricensibus 1. Phys. cap. 1. qu. 2. art. 5., Vallesio qu. 3., Aquilino 1. Phys. text. 2., posse eadem esse, et nobis et natura notiora, quod verum est. Nam, ut ex dicendis constabit, universaliora et quoad nos, et natura sunt notiora, cognitione distincta. Similiter color, cum sit causa specierum intelligibilium, notior est illis natura, et etiam secundum nos. Hoc tamen non est contra Aristotelem, neque enim negat ille, fieri posse, ut idem sit nobis et natura notius, sed tantum docet, non esse necesse cum aliquid est nobis notum, esse etiam notum natura. Idcirco, cum accidit nobis notum esse aliquid, et non natura, debere nos ex notioribus nobis investigare ea, quæ sunt notiora natura. Et hæc expositio colligitur ex 7. Metaph. text. 10. ubi eandem sententium habet, quam deinde explicans, sæpe numero inquit accidit, ut quæ nobis nota sunt, non sint nota natura, et tunc ex nobis notis procedendum ad nota natura. Imo 6. Top. loco 18. expresse docet, eadem posse esse, et nobis et natura nota.

Ad tertium. Ut explicemus quæ sint nobis notiora, distinguendum est inter ea, quæ a nobis cognoscuntur. Quædam enim nullam inter se habent ordinem partis et totius: alia habent inter se ordinem, eo quod unum illorum sit pars physiça vel metaphysica alterius, quomodo universaliora sunt pars metaphysica minus universalium. Jam, si de rebus primi generis sermo sit, certum est, res perfectissimas, ut Deum et intelligentias, et etiam imperfectissimas, ut relationes etc. difficillime a nobis cognosci. Facilius autem cognoscimus res, quæ medium veluti locum obtinent. Quod vero difficillime cognoscamus res perfectissimas et imperfectissimas, oritur partim ex objecto, quod propter sui excel-

lentiam improportionatum est potentiæ, ut accidit in rebus perfectissimis; partim vero ex objecto et potentia simul, ut fit in cognitione rerum imperfectissimarum, ut dicebamus ex Fonseca disp. 4. in lib. Poster. qu. 1. in 3. suppositione. Major est difficultas, ut explicemus, inter illa quæ habent ordinem inter se, quid sit magis notum nobis. Et quidem, si pars cum toto conferatur, certum est, cognitione distincta et perfecta, partem quam totum notiorem esse nobis, sicut diximus esse notiorem natura. Ratio est, nam distincta cognitio totius, pendet ex distincta cognitione partium, non tamen e contra. Ergo. Et hoc est, quod docet Aristoteles hic. text. 1. cum ait, ad cognitionem rei necessarium esse cognoscere principia et elementa ejus. At vero cognitione confusa et imperfecta, notiora sunt composita, partibus, quia sunt sensui proximiora. Quod ad causam et effectum attinet, cum ad perfectam cognitionem effectus non sit necessaria perfecta cognitio et distincta causæ, sic enim nullam rem creatam a Deo perfecte nosceremus, aliquando causa, aliquando effectus est notior nobis. De universalibus vero et particularibus, seu de prædicatis quæ pluribus communia et de particularibus, controversia est, an prædicata universaliora, ejusdem videlicet prædicamenti, (neque enim hic fit comparatio inter universalia unius et alterius prædicamenti) facilius cognoscantur, quam minus universalia. Supponimus ex libr. de Anima, intellectum nostrum non solum universalia, sed etiam singularia distincte cognoscere, unde etiam constat, cognitione distincta notiora nobis esse prædicata universaliora; ita Conimbricenses 1. Phys. cap. 1. qu. 2. ad 4. et ab illis citati Scotus et div. Thomas 1. part. qu. 85. art. 3. Et ratio est, quia distincta cognitio rerum inferiorum pendet ex distincta cognitione superiorum, quæ includuntur in inferioribus tanquam partes, et non contra. Sic cognosci non potest distincte homo, nisi cognoscatur animal, cum hoc sit de essentia hominis. Et ideo hoc ordine primum cognitum est ens, deinde substantia etc. Et hæc est ratio, cur Aristoteles dixerit hic incipiendum ab universalioribus, quia videlicet in scientia intenditur distincta rerum cognitio, quæ haberi non potest, nisi distincte cognoscantur universaliora. Ex hoc autem non recte quis inferret debere infinita prædicata superiora cognosci, ut recte docent Conimbricenses art. 4. ad 1. Nam in disp. 2. De universalibus qu. 2. dubio 7. ad 3. diximus, non dari infinita prædicata in ulla re creata. Nec ex eo, quod Deus possit perfectiores et perfectiores res

creare, sequitur, dari infinita prædicata superiora, ut ostendimus disp. 5. De univers. qu. 1. circa 4. dicto 1. Solum ergo superest videndum, an prædicata magis universalia sint notiora nobis etiam cognitione confusa, quam minus universaliora, quæ Aristoteles vocat singularia. Et licet controversia esse possit, quid sit primum cognitum ab intellectu, species-ne, an aliquid magis universale, vel potius individua, de quo agemus in libro de Anima, et fuse agunt hic Conimbricenses qu. 3., supposito tamen hic, quod ab intellectu primo cognoscatur singulare sensibile, existimo: facilius esse cognoscere rem aliquam singularem secundum gradum magis communem, quam secundum gradum minus universalem; et ita facilius cognoscimus de aliquo, quod sit aliquid, quam quod sit homo, ut patebit de quibusdam monstris in 2. Phys. Ratio est, quia accidentia quæ ducunt in cognitionem prædicatorum magis universalium, sunt notiora et patentiora, et id probant exempla Aristotelis.

Ex his constat primo, quis sit sensus totius discursus Aristotelis in hoc proœmio. Postquam enim dixerat, principia esse cognoscenda ad hoc ut rerum naturalium scientia habeatur, docet, hæc principia investiganda esse a posteriori, per notiora scilicet nobis, ut diximus ad 1. objectionem, ex cognitione confusa totius compositi. Addit text. 4 et 5. eo ordine tractandum de rebus physicis, ut in primis universalissima tradantur. Sicut enim totum compositum notius est nobis secundum sensum: ita universale, cum sit totum quoddam, (potentiale scilicet, ut expicavimus disp. 3. De universal. qu. 1. ad. 1.) notius nobis est, et cognitione distincta, et confusa, ut explicavimus, quod probat illo exemplo puerorum. Dices: illud exemplum de definitione et definito text. 5. non videtur esse ad rem. Nam dicit, definitum esse notius, cum sit totum quoddam, quam sint ejus partes. Et tamen genus, quod est pars definitionis, deberet esse notius juxta dicta. Respondeo: Aristoteles confert definitum non cum genere, sed cum tota definitione, et ita ait facilius concipi saltem confuse, definitum, quam definitionem integram, quod verissimum est.

Constat secundo, aptissime cum his cohærere loca in 3. objectione allata. Nam illo 1. Poster. text. 12. confert universalia cum singularibus, et ait, singularia esse notiora quam universalia, imo, ut libris de Anima dicemus, sunt primo cognita ipsa singularia; hic vero confert prædicata magis universalia, cum minus univer-

salibus, et docet, facilius in re singulari cognosci prædicata pluribus communia, quam paucioribus. Neque enim Aristoteles, cum ait universalia esse notiora singularibus, per singularia intelligit individua, sed minus universalia. Nam Aristoteles vult ostendere, Physicam debere ab universalibus ad singularia progredi; at non progreditur ad individua, sed ad minus universalia, neque enim considerat scientia individua: ac idcirco post libros Physicorum, tanquam ab universalibus ad singularia descendens, incipit agere de cœlo. Quando autem ait, ea quæ sunt nota natura esse ignota nobis, loquitur de iis, quæ sunt nota natura propter excellentiam suam, ut sunt Deus et intelligentiæ.

Dices: 2. Poster. text. 82. ait Aristoteles, singularia facilius definiri quam universalia; deinde, minus universalia magis accedunt ad singularia, quam magis universalia: ergo sunt magis nota. Respondeo cum Conimbricensibus 1. Phys. cap. 1. qu. 1. art. 4. ad 3.: per singulare intelligit ibi speciem infimam. Individua enim non definiuntur, nisi mediate, quatenus definitio speciei cuilibet individuo convenit. Solum autem docet Aristoteles definitionem speciei infimæ facilius indagari, via scilicet compositionis seu resolutionis, quam generis. Nam ut in Logica disp. 1. in libr. Poster. qu. 4. circa 3. dixi, via compositionis indagatur definitio, cum colligimus prædicata essentialia rei, incipiendo ab ultima differentia, progredimur ad universaliora prædicata investiganda, modo ibi explicato. Certum autem est, facilius esse cognoscere ultimam differentiam et genus proximum in confuso, quam ipsam generis definitionem investigare hac ratione. Nam ad hoc ut generis definitio investigetur hac ratione, postquam inventa sunt ea per quæ definiri debet species, adhuc ulterius inquiri debet prædicatum essentiale superioris generis, per quod definiatur.

Ad secundum respondeo: licet minus universale magis accedat ad singulare, eo quod minus late pateat, non tamen magis accedit ad singulare, ut sensibile est; hac enim ratione magis universalia accedunt magis ad singularia, cum habeant accidentia magis sensibilia. — His positis, cetera quæ de principiis tradit Aristoteles, quatuor disputationibus complectemur, quarum 1-a erit de principiis rerum naturalium in communi; 2-a de materia; 3-a de forma et privatione; 4-a de composito naturali.

Disputatio I.

DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM IN COMMUNI.

Principia rerum naturalium speculari, proprium est naturalis philosophi. Neque enim sine eorum notitia, res naturalis perfecte intelligi potest; iis vero recte intellectis, facile est essentiam corporis naturalis cognoscere, ut non male id, quod Aristoteles 1. Ethic. cap. 7. docuit, hic possit usurpari: principium esse plus quam dimidium totius. Quemadmodum enim ex malis principiis nil recte colligi potest, ut ait Aristoteles 13. Metaph. sum. 3. cap. 3., ita principiis rerum naturalium cognitis, facile est reliqua de composito naturali cognoscere. Et hæc fuit causa cur Aristoteles non solum in 1. Phys., sed etiam 1. Metaph., 3. de Cœlo et 1. De generat. et corrupt. exacte ageret de principiis rerum naturalium, quæ ex mutua corporum transmutatione colligit, et antiquorum sententias, qui male statutis principiis, pessime de rebus naturalibus sunt philosophati, accurate recenset et refellit.[1] Nos igitur quatuor quæstionibus, quæ de principiis rerum naturalium in communi dici possunt expediemus, in quarum 1-a an sint?; 2-a quid sint?; 3-a quot sint principia explicabimus; in 4-a denique proprietates illorum afferemus.

QUAESTIO PRIMA.

An sint aliqua rerum naturalium principia.

Non agimus hoc loco de principiis complexis i. e. propositionibus per se notis, quæ sunt principia cognitionis demonstrationum physicarum, nam præter illa, quæ in libris Poster. partim disp. 2. qu. 2. circa 3., partim disp. 5. qu. 2. diximus, nihil superest dicendum. Nec agimus de principiis incomplexis metaphysicis, hoc est, de genere et differentia, nam de hac compositione metaphysica, quomodo fiat, et quomodo hæ partes distinguantur, late egimus disp. 2. De univers. qu. 2. dub. 6. et 7. Solum ergo agimus de principiis physicis rei naturalis, tam in fieri, quam in facto esse.

[1] Quam sit utile nosse veterum sententias, Conimbricenses proœmio in 1. De generatione ostendunt ex Aristotele 1. De anima text. 85., 1. Cœli text. 101.

De principiis autem late præter peripateticos hic, s. Augustinus 8. De civit. Dei a cap. 2., Eusebius 4. Præpar. cap. 5., Clemens 1. Stromat., s. Basilius Hom. 1. in Hexaem., Justinus in Exhort. ad græcos. Aristoteles porro in 5. Metaph. cap. 1., postquam varias acceptiones principii enumeravit,[1] quod facit etiam 5. De gener. anim. cap. 7., sic tandem definit principium: principium est primum unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur, qua definitione non solum principia generationi per essentiam conjuncta, de quibus solis agit physicus, continentur, sed communissima ratio principii explicatur, ut late explicat Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 1. sect. 2., ubi etiam sectionibus sequentibus solvit, quæ contra hanc definitionem objici possint. Divus vero Thomas 1. p. qu. 33. art. 1. principium ait esse, unde aliquid procedit, qua definitione explicatur ratio principii, ut nullam dicit imperfectionem, nec ex parte ipsius, nec ex parte ejus quod producitur. Eodem sensu explicari potest definitio principii ab Aristotele allata, quamvis ipse nullum cognoverit principium, quod non dicat aliquam imperfectionem, vel in ipso principio, vel in eo quod procedit, cum tamen Catholici agnoscant, Patrem in divinis esse principium Filii sine ulla imperfectione, et similiter Filium esse a Patre, tanquam a principio, licet non dicant Filium esse principiatum, quia, ut ait div. Thomas loco cit. ad 2., hoc imperfectionem quandam significat, de quo late Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 7. sect. 2. in fine. Multo minus dici potest causatum, nam quamvis sæpe Aristoteles causam et principium confundat, ut patet ex 12. Metaph. text. 12. et 23., tamen ut recte Conimbricenses 1. Phys. cap. 5. qu. 1. sect. 1. et Fonseca loco cit., latius patet principium, quam causa. Nam causa semper est distincta essentia ab effectu, ita ut essentia causæ non sit tota essentia effectus, quamvis includatur aliquando in essentia effectus, quomodo in essentia compositi physici includitur causa materialis, tamen compositum essentialiter differt ab illa, tanquam includens ab incluso. At vero, principium potest eandem numero essentiam habere cum eo quod est a principio, ut in divinis patet. Alias differentias habet Fonseca 1. cit.

Ex hac igitur definitione principii ab Aristotele allata constat, principium late sumptum esse omne id, a quo res aliqua initium sumit et originem; et sicut vario modo sumit una res originem

[1] Acceptiones principii Suarez disp. 12. sect. 2. a num. 3. enumerat, et a n. 8. colligit, principium debere esse primum seu prius suo principiato; 2-o necesse esse ut aliquid ex eo sequatur.

ab alia: ita etiam vario modo sumitur principium. Nam interdum sumitur pro principio magnitudinis, quomodo punctum dicitur principium lineæ; interdum pro principio, ex quo quis ad aliud cognoscendum deducitur, quomodo in scientiis dicuntur principia ea quæ notissima sunt; interdum pro principiis, a quibus res habent esse, quomodo causæ dicuntur principia. Hic tamen principii nomen non tam late sumimus, sed solum agimus de principiis, ex quibus res naturalis intrinsece constituitur, et quæ ad omnem mutationem necessaria sunt, tanquam conjuncta illi per essentiam, ut quæstione 2. dicetur.

Res enim naturalis dupliciter potest considerari; primo in fieri, secundo in facto esse. Unde considerare possumus principia ipsius rei naturalis jam factæ, vel principia necessaria ad rei naturalis productionem. Et quamvis hæc inter se diversa sint, unius tamen cognitio, alterius notitiam adfert, siquidem res, sicut se habet ad esse, ita etiam ad fieri; ac proinde, cognitis principiis rerum naturalium in fieri, cognoscuntur ejus principia in facto esse. Aristoteles tamen agit hoc loco de principiis rei naturalis in fieri, seu de principiis generationis, eo quod productio rerum naturalium facilius cognoscatur a nobis, cum ipsis sensibus percipiatur, quam res ipsæ secundum substantiam, et cognitis principiis ex quibus res generantur, facile sit cognoscere principia ex quibus constant. Unde sensus quæstionis est: an dentur aliquæ partes vel aliqua essentialiter requisita ad compositionem rei naturalis, vel ad ejus productionem.

Antiquorum philosophorum aliqui, etsi verbis admitterent, re tamen ipsa negabant ullum esse principium rei naturalis. Ex his vero aliqui, ut late refert Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 2. sect. 3., Conimbricenses et Pererius citandi, videlicet Melissus, discipulus Parmenidis, negantes omnem mutationem per quam aliquid de novo producitur, dicebant, unicum esse principium omnium, seu potius omnia esse unum ens, et illud unum esse immobile, i. e. nullius transmutationis secundum suam realem entitatem capax, quamvis secundum sensum mutari dicebant teste Aristotele 1. Metaph. cap. 4., sed hanc velut phantasticam mutationem esse volebant ut ait Fonseca citatus sect. 3. in fine. Unde ajebant, licet sensu percipiamus rem calidam fieri frigidam, istæ tamen ajebant, non sunt formæ reales, de novo advenientes, sed diversi modi se habendi rerum ipsarum, nec transmutatur res, cum friget,

secundum formam realem, sed secundum modum se habendi. Isti tamen philosophi ponebant unum principium extrinsecum, quod Parmenides vocabat in se manens, et primam mundi causam; at vero principium intrinsecum nullum ponebant præter illud unum ens immobile, quod diversis modis se habere poterat.

Fundamentum est: nam, ex nihilo nihil fit; at si formæ accidentales vel substantiales sunt aliquid, et fiunt de novo, jam quod ante erat nihil, incipit esse aliquid, quod est impossibile: ergo ne hoc concedatur, dicendum est, nihil produci de novo.

Alii vero admittebant quidem in rebus naturalibus transmutationem accidentalem, negabant tamen substantialem, et ita ajebant, omnia esse unum secundum substantiam, et solum differre propter diversa accidentia. Unde Thales Milesius dixit, omnia esse aquam; Diogenes et Anaximenes, äerem; Heraclitus ignem; Hesiodus terram, ut late refert Fonseca l. cit., Conimbicenses 1. Phys. cap. 7. qu. 1. art. 2., Pererius lib. 4. cap. 5. Et ita hi omnes admittebant quidem principia mutationis accidentalis, ponentes principia unam substantiam et diversa accidentia, re tamen vera tollebant principia substantialia. Unde Parmenides, teste Aristotele 1. Metaph. cap. 4., secutus magistrum Xenophanem, omnia ait esse unum secundum realitatem i. e. essentiam, plura secundum sensum; et ideo causas et principia rerum ponit esse calidum et frigidum, quia scilicet admittens accidentalem transformationem, ejus principia volebat calorem et frigus esse.

Fundamentum horum esse poterat: quidquid ab agente naturali de novo producitur, est accidens: ergo solum accidentaliter res differunt inter se, substantia eadem manente. Antecedens probari potest: nam quod fit ex præsupposito subjecto eique adhæret, est accidens; sed omnia quæ fiunt ab agente naturali sunt talia: ergo. Major patet, nam ideo calor non dicitur forma substantialis, quia videmus produci illum in aqua subsistente, ut in subjecto: ergo. Minor patet, nam ex nihilo nihil fit, sed omnia fiunt ex præsupposito subjecto subsistenti, quod in se recipit id, quod fit; sic ignis supponit subjectum ut comburat: ergo omnia quæ fiunt, inhærent in subsistenti: ergo nihil fit substantiale. Certum autem est, quod nisi aliquid sustantiale fiat vel corrumpatur, non potest dari principium ad colligendum, substantiam componi ex partibus subsistentibus realiter distinctis, ac proinde habere principia substantialia. Et ideo isti auctores concludebant, omnia esse ejusdem

speciei et solis accidentibus distingui, nec dari nisi transmutationem accidentalem.

Dicendum est cum Aristotele hic, dari aliqua principia transformationis rerum naturalium, et consequenter etiam ipsarum rerum naturalium. Hoc antequam probemus cum Aristotele, advertendum est, recte Aristotelem agere de solis principiis transmutationis, ac proinde rerum generabilium duntaxat, ut ipsemet 1. Phys. tex. 68. fatetur. Licet enim dentur aliqua corpora ingenerabilia, ut coeli, nos tamen principia rerum colligere et indagare non possumus, nisi per transmutationem, nam cum nos non cognoscamus quidditative materiam et formam, vel compositum substantiale, et præterea, cum existentia non sit de essentia principiorum ex quibus res naturalis constat, non possumus a priori cognoscere, dari principia, sed solum a posteriori per transmutationem ea cognoscimus. Ac proinde, ubi non constat dari transmutationem, non possumus evidenter concludere dari principia, licet ex analogia ad alias res, quas videmus transmutari, colligant aliqui, principia etiam rerum quæ non transmutantur, sed ut dixi, non efficaciter, quia antequam ostendamus corpus aliquod substantialiter mutari, non habemus medium sufficiens ad colligenda principia. Dices: nulla scientia probat sua principia, et in particulari Aristoteles 1. Phys. text. 8. et 11., 8. Phys. text. 22. ait, physicum non debere sua principia probare: ergo male facit Aristoteles, probando principia Physicæ, de quo argumento videndi Conimbricenses qu. 4. procem. art. 3. ad 3. Respondeo, ut in Logica disp. 4. in Poster. qu. 4. in fine diximus, illud intelligendum est de principiis complexis, quæ non potest probare scientia partialis, quamvis, ut ibi diximus, Metaphysica probet principia complexa scientiarum particularium per generalissima principia, ut: quodlibet est vel non est, quæ licet voce negari possint, mente tamen minime, cum sint omnium certissima, ut ait Aristoteles 4. Metaph. text. 8. Principia tamen incomplexa sui subjecti, bene potest scientia partialis probare, quia fieri potest, ut principia incomplexa subjecti sint ignota, et dentur principia cognitionis nota per quæ probari possunt, ut per effectus etc. Et hoc modo Physica probat principia corporis naturalis per transmutationem, quæ notior est.

Jam ergo, antequam formemus argumentum Aristotelis, quod unicum est efficax ad concludendum dari aliqua principia corporis naturalis, primo illud supponendum est ex cognitione sensuum,

quod detur in rebus aliqua realis transmutatio secundum aliquod esse reale, ita ut vere producantur aliqua realia de novo, alia corrumpantur, sive illa sint accidentalia, sive substantialia, de quo postea. Probatur: nam experimur sensibus ipsis, unam rem nunc esse calidam, postea frigidam: ergo res illa tunc mutatur. Si enim nulla ratione esset mutata, fieri non posset, ut idem sensus, eandem rem, modo calidam, modo frigidam sentiat; nam idem sensus, eandem rem, eodem modo se habentem, et nullo modo mutatam, eodem semper modo percipit. Si ergo mutatur res, cum ex frigida fit calida, vel producitur aliquid de novo, ita ut per illud de novo productum mutetur, vel nihil. Si primum: ergo, cum non producatur tota res, ut mox explicabimus, composita erit res naturalis ex eo quod producitur, et ex eo quod ante præextiterat, v. gr. res calida, ex ligno et calore, atque ita res naturales erunt compositæ saltem ex subjecto et accidente, quod negabat Melissus. Si secundum: ergo eodem modo se habet res modo, cum est calidissima, ac ante, cum esset frigida. Si enim nihil novi habet, quod ante non habuerat, immutata manet et eodem modo, quo ante.

Dici posset, fieri mutationem, non quod producatur aliquid de novo, sed: vel quia transmittitur accidens, quod erat in igne, v. gr. ad aquam; vel certe, si non accidentia, saltem corpuscula transmittuntur; aut certe dicere quis posset, hanc mutationem frigidi in calidum fieri absque ulla additione rei extrinsecæ, vel per transpositionem partium rei quæ videtur mutari, quia scilicet partes calidæ interdum se recondant, interdum foras egrediantur, vel certe per rarefactionem et condensationem.

Sed contra est, nam isti omnes modi explicandi talem mutationem, sunt impossibiles. Primo enim quod accidens non migret ab uno subjecto ad aliud, philosophi omnes consentiunt, et habet Aristoteles 1. Phys. text. 39., nec ullus veterum contrarium docuit; id, quod quamvis ratione probare sit difficile, probabimus tamen disp. 2. qu. 5. dicto 3., et a posteriori. Quod ad præsens institutum attinet, talis suppositio facile refellitur. Nam omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur: ergo, cum calor v. gr. ignis finitus sit, si quoties calefacit aliquid, transmitteret partem sui caloris ad lignum etc., tandem si successive plura calefactibilia applicarentur, omnino deficeret calor ignis, quod tamen est contra experientiam. Secundo, quod de corpusculis transmissis dicitur, eodem modo potest refutari. Præterea, ex illa suppositione sequeretur, quod

quoties mutatur aliqua res, augeretur per additionem, quod tamen est contra experientiam, nam res, cum frigescit, minuitur. Præterea, sæpe non est a quo talia corpuscula transmittantur, ut patet cum aqua se reducit ad frigus in tepido loco.[1] Denique transpositio partium et rarefactio fieri non possunt sine aliqua mutatione. Quæro enim: cur ad præsentiam ignis aqua rerefit, vel partes ejus calidæ, quæ latebant intus, foras prodeant, frigidis partibus se abdentibus, si ignis nihil agit? Præterea durissima saxa calescunt, et tamen non fiunt rariora, nec illius partes migrant, ut sensuum experientia constat. Ergo fieri potest calefactio etiam sine tali partium transpositione. Deinde nos experimur nos calefieri et frigefieri; at per transpositionem non acquiritur ullus calor, qui ante non erat in subjecto: ergo nos non plus caloris habemus, cum vehementer æstuamus, quam cum algemus, siquidem calorem, si esset in nobis, semper æque sentiremus. Similiter poma etc., fiunt rubentia, quæ ante viridia erant, et tamen ut scindenti illa patebit, non habebant rubrum illum colorem in partibus interioribus. Ex his ergo concludo, dum res naturales mutantur, produci aliquam formam de novo, quæ cum subjecto constituat unum compositum, saltem accidentale.

Suppono secundo: propter mutationem accidentalem, quam hactenus dari ostendimus ex ipso sensu, qui percipit rem viridam fieri albam, frigidam in calidam mutari etc., admitti debere aliam mutationem substantialem, ita ut aliquid substantiale producatur de novo, ac proinde præter compositum accidentale, quod constat subjecto et accidente, admitti debet compositum substantiale, conflatum ex partibus substantialibus. Et hujus mutationis et compositionis cognitio dependet ex cognitione formæ substantialis, quæ sensu percipi non potest, ut percipitur forma accidentalis. Etquidem antiqui illi, quos secundo loco citavimus, concedebant res omnes convenire inter se in aliqua parte physica scilicet in subjecto, et per aliam partem physicam inter se differre. Ignis enim ab aqua differt in aliquo, in eo scilicet, quod constituit ignem et aquam. Verum existimabant illi, subjectum in quo conveniunt esse totam rei substantiam, formam autem propter quam differunt, esse solas formas accidentales; ac proinde ajebant, res omnes esse unum

[1] Plura Suarez disp. 13. sect. 2. a num. 4. contra hanc sententiam adfert. Nam vel atomi transmissæ sunt infinitæ in quolibet individuo, et tunc, cum quaelibet atomus sit determinatæ magnitudinis, facit quamlibet rem esse molis infinitæ; illæ enim atomi vel omnes erunt æquales, vel saltem aliqua minima dabitur. Si finitæ multitudinis sunt atomi transmissæ: ergo per multas generationes tandem res absumeretur, nam semper minueretur, cum aliquid producit.

secundum substantiam, differre per accidentia. Aristoteles vero, præter subjectum commune ait dari in rebus formas substantiales, quæ non sint accidentia, sed contineantur intra latitudinem substantiarum, ita ut ex illa forma et subjecto quod actuat, fiat quoddam totum per se, pertinens ad prædicamentum substantiæ, et in eo genere complectitur, eo modo quo ex capite, manibus etc. fit una substantia completa, eo quod illæ omnes sint substantiæ partiales, et unitæ inter se faciunt unum totum per se. Et idcirco Aristoteles frequentissime dividit substantiam in materiam, formam et compositum, ut 12. Metaph. text. 14. etc.

Iam igitur certum est, res naturales habere aliquam formam unam, quæ sit radix omnium proprietatum rei, ut v. gr. in aqua præter frigus et humiditatem datur aliqua forma prior constitutiva aquæ, a qua dimanant illæ passiones; et idem est in aliis rebus, quod facile est probare. Nam experimur, quod si aqua calescat, et ita amittat frigus, relicta suæ naturæ, statim redit aqua ad pristinum statum, et fluit ab illa frigus: ergo signum est, in aqua dari aliquod principium magis intrinsecum, ex quo illa proprietas fluat. Illud vero principium certum est, non esse subjectum, quod commune est aquæ et igni; hoc enim indifferens est ad calorem et frigus, nec magis fluit ab illo frigus, quam calor. Ergo præter frigus in aqua, et similiter præter calorem in igne, est alia forma prior, â qua dimanant istæ proprietates, et per quam aqua habet esse aquæ, et quæ sufficiens est reducere aquam ad suum statum quoad accidentia, per productionem frigoris in se ipsa.

Confirmatur alia experientia; nam res una habet multa accidentia et virtutes multas, ita inter se unitas, ut uno accidenti ablato, auferantur cetera, et uno posito ponantur alia, ut posito summo calore ponitur ignis et statim sequuntur aliæ qualitates. Ergo signum est, omnia accidentia ista radicari in uno primo principio et prima forma; in tantum enim illa habent inter se connexionem, in quantum in una aliqua radice uniuntur. Et hoc multo etiam clarius patet in viventibus, in quibus mutua potentiarum harmonia et dependentia explicari non potest, nisi in aliqua radice unirentur. Inde enim fit, ut si homo vehementer aliquid cogitet, impediantur functiones etiam partis vegetativæ, cujus rei, ut libris De anima fuse ostendemus, nulla dari potest ratio, nisi detur una forma quæ sit radix omnium proprietatum, et quæ cum finita sit, non possit omnibus potentiis æqualiter simul attendere. Sicut ergo

in viventibus reperitur aliquod principium in quo uniuntur plura accidentia et potentiæ: ita in non viventibus; ac proinde dari debet aliqua radix et principium omnium accidentium.

Sed respondere possent antiqui: his argumentis convinci in corpore naturali dari aliquam formam, non tamen convinci, illam formam esse substantialem, sed accidentalem. Sicut enim calor est principium et radix levitatis et raritatis: ita, dicere possent, dari aliquod accidens in aqua perfectius frigore, ex quo oriantur alia accidentia. Et similiter in viventibus datur aliquod accidens, ex quo oriuntur accidentia v. gr. equi, plantæ etc.; et ita nullam dari mutationem substantialem, sed solum accidentalem. Quando enim producitur tale accidens quod est radix caloris et siccitatis v. gr., tunc prodicitur ignis etc. Ostendendum ergo superest, illud principium et radicem diversorum accidentium et passionum, non esse accidens, sed aliquod principium substantiale, seu formam aliquem substantialem, quod Fonseca late conatur probare 1. Metaph. cap. 7. qu. 3. sect. 2., de quo etiam nos fusius agemus disp. 3. qu. 1. et ut ibi ostendemus, non omnino improbabiliter solvi possunt omnia argumenta ipsius et aliorum juniorum, ab iis, qui negant compositionem et transmutationem substantialem.

Probant ergo aliqui hanc veritatem: nam corpus naturale est unum ens per se, et una substantia integra, ut equus v. gr. vel ignis est una substantia completa; vel ergo est sola materia; vel aliquid ex ea compositum cum aliquo accidente. Non primum; nam materia est ens imperfectissimum et incompleta substantia, ex natura sua ordinata ad constituendam unam substantiam, cum ut mox dicam, accidens non possit cum aliqua substantia constituere unum ens completum. Non secundum; nam corpus naturale est substantia completa. Ast impossibile est, ut substantia compleatur in ratione substantiæ per formas accidentales, cum accidens ex se sit extra essentiam substantiæ et supponat illam constitutam. Præterea, repugnat ut equus et lapis solum accidentaliter differant et non essentialiter et substantialiter; ast cum per accidentia non constituantur essentialiter, omnino impossibile est ut per accidentia sola differant essentialiter. Ad hæc, una res v. gr. equus exigit tantam diversitatem accidentium et proprietatum, quarum vix ullam exigit lapis; at, si eadem esset substantia utriusque, non magis postularet has proprietates, quam illas, nec magis conservarent rem hæ proprietates, quam illæ: ergo cum videamus non manere, sed

corrumpi equum corrupto aliquo accidenti, fatendum est, talia accidentia radicari in aliquo principio substantiali proprio equi, quod non reperiatur in aliis rebus, ac proinde dari formas substantiales, quæ producantur et corrumpantur, sicque res naturales mutuo transmutentur etiam substantialiter.

Verum, ut quod videtur dicam, hæ rationes, etsi probabiles sint, facile solvi possent a philosophis qui omnem formam substantialem per quam una res substantialiter distinguitur ab alia negarent, et consequenter tollerent transmutationem substantialem.

Suarez disp. 13 sect. 3 n. 8., et latius disp. 15. sect. 1. n. 12. et sequ. probat a posteriori, dari mutationes substantiales, non solas accidentales, hoc argumento. Quando res mutatur accidentaliter, permanet in ea vestigium proprietatum et operationum ejus, vel saltem remotis agentibus contrariis, ad suum statum et naturam reducitur. Res autem aliquæ ita mutantur, ut priores proprietates et operationes amittant, nec ad illas se reducant, sed habeant novas proprietates in quibus connaturaliter quiescunt, easque actione contraria immutatas, statim ac cessat actio contraria, ex intrinseca sua natura recuperant. Ergo hoc signum est, res non in solis accidentibus mutari, sed et in substantia. Quod licet probabile sit, responderi tamen posset eodem modo, quo supra respondimus pro antiquis.

Unica ergo mihi occurrit efficax ratio ad probandum compositum naturale habere partes substantiales diversas et diversæ rationis, ex quibus componitur, qua etiam utitur Suarez disp. 15. Metaph. sect. 1. n. 7. Nam homo secundum fidem et etiam rationem naturalem constat duabus partibus substantialibus, corpore scilicet et anima corpus informante, quod alibi fusius ostendetur. In præsenti ratio est breviter: in homine sunt accidentia corporea: ergo cum illa non subsistant, sed sint in aliquo tanquam subjecto, dari debet aliqua substantia divisibilis et materialis quæ recipiat talia accidentia. Sunt præterea in eodem homine aliæ operationes, ut discursus, cognitio universalium, substantiarum spiritualium etc. quæ oriri non possunt ex principio corporeo, cum ut experientia in aliis alibi constat, nunquam res pure corporea, spiritualia cognoscat et immaterialia. Ergo est in homine aliquod principium spirituale, quod sit principium et radix talium accidentium. Hoc autem necessario est substantia, siquidem talia accidentia debent alicui subjecto inhærere, non alteri accidenti, quia tandem veniemus

ad aliquod accidens, quod nulli inhærebit subjecto: ergo alicui substantiæ. Non corpori, quia cum istæ sint actiones vitales et immanentes a vita substantiali elici debent, et in eadem recipi: ergo cum a corpore elici non possint hujusmodi operationes, nec poterunt in eo recipi; ergo in alia parte substantiali quæ componit hominem. Adde quod 2. Phys. disp. 4. qu. 1. in fine ostendemus, accidens spirituale non posse esse in subjecto materiali.

Ex quo constat, etiam in aliis corporibus naturalibus debere admitti duas partes substantiales ex quibus componantur, quod sic ostendo. Nam duæ illæ partes substantiales, quas admitti debere in homine ostendimus, uniuntur inter se ad componendam unam naturam substantialem[1], tum quia nisi hoc admittamus, homo non erit una substantia et unum ens per se; tum quia alias dari non potest ratio, cur anima in intellectione pendeat a sensu materiali, cur sensus et appetitus corporis subdantur animæ etc., quæ tum demum optime explicantur, ut in libris De anima dicetur, si ex corpore et anima constituatur una integra substantia. Quo posito ulterius sic progedior. Partes quæ substantialiter uniuntur et componunt integram substantiam, i. e. si non sint solum partes integrantes sed constituentes unam essentiam integram, sunt essentialiter incompletæ substantiæ, nam ex naturis completis, alia una natura non potest componi. Et ratio a priori est, nam propterea aliqua substantia est incompleta, ac perfici complerique potest per aliam partem substantialem cum qua simul constituat integram naturam, quia neutra per se potest esse principium aliquarum operationum, nec eas posset per se elicere, conjuncta tamen alteri parti, constituit unam naturam, quæ sit principium talium operationum. Hæc enim sola est ratio cur forma uniatur substantialiter; alias esset plane inutilis compositio. Qua ratione v. gr. anima rationalis per se non potest sentire, tamen corpori conjuncta, unam naturam constituit, quæ sit principium aliquarum operationum, quas nec materia, nec forma per se elicere possent. Contra vero, substantia completa est, quæ non est apta ut cum alia substantia simul sit principium alicujus operationis diversæ ab ea, quam alterutra per se efficere posset, licet forte utraque simul, perfectiorem operationem eliciant; ex quo evidenter sequitur, ex duabus substantiis completis non posse constitui unam naturam seu unum principium diversæ opera-

[1] Homo enim est principium operationum, quarum nec materia per se, nec forma per se sunt principia, ut sensationis, quæ fiunt ab anima dependenter a materia, ut libris De anima dicetur.

tionis ab ea, quam alterutra per se elicere posset. Revera enim, si constituere possent talem naturam, essent eo ipso entia incompleta. Quomodo autem in partibus integrantibus hoc non valeat, 3. Phys. disp. 1. qu. 2. ad 4. dicetur.

Quæ cum ita sint sequitur manifeste, dari in homine substantias incompletas et partiales. At inter has partes, una est subjectum primum, quod semper permanet et nunquam corrumpitur, ut mox ostendemus cum ex nihilo nihil fieri probabimus. Hoc porro primum subjectum, quod materia vocatur, est ejusdem rationis cum materia aliorum corporum. Si enim hoc non esset, homo generari non posset ex materia aliorum corporum, nec ex hominis materia alia corpora v. gr. plantæ, vermes etc. Illud ergo primum subjectum, cum sit incompletum, etiam postquam amisit formam hominis, debet habere in aliis corporibus naturalibus aliam formam cum qua componat naturam substantialem totalem, siquidem ex se est imperfecta, et de se postulat perfici, nec potest naturaliter existere sine suo complemento, ut disp. 2. qu. 3. ostendetur. Ergo in aliis etiam corporibus naturalibus, præter subjectum commune et accidentia, dari debet forma, quæ succedit animæ rationali post ejus separationem, et quæ producitur ac corrumpitur, cum ex una re naturali fit alia, ut ex ligno ignis, siquidem ut disp. 3. qu. 1. ostendam accidens non potest cum subjecto constituere unam naturam completam.

Tertio et ultimo suppono, ex nihilo nihil fieri, nec abire res, cum substantialiter corrumpuntur, in nihilum. Nisi enim hoc prius statuatur et confirmetur, ratio qua probat Aristoteles dari principia, nulla est. Quamvis enim concederet quispiam, res naturales substantialiter mutari, dicere tamen posset, totum compositum præexistens in nihilum recidere, et totum quod producitur, ex nihilo produci. Et quamvis antiqui omnes hoc pronuntiatum „ex nihilo nihil fit“ tanquam primum principium admittant, ut patet ex Aristotele 1. Phys. text. 34. et 71., tamen Niphus 1. De generat. com. 42., Occam in 2. qu. 7., Gabriel 2. dist. 1. qu. 4. art. 2. ajunt id probari non posse. Imo Durandus 2. dist. 1. qu. 4. ait, fieri posse, a Deo saltem, aliquam creaturam, quæ habeat vim producendi ex nihilo, licet de facto nulla talis sit. Suarez in 3. part. tom. 1. disp. 31. sect. 4., Pererius lib. 5. cap. 6., Fonseca 5 Metaph. cap. 2. qu. 8. sect. 2., Conimbricenses 1. Phys. cap. 7. qu. 1. art. 2., Molina 1. part. qu. 7. art. 1. et qu. 45. art. 5.

disp. 1. conantur probare, quod nullum agens naturale possit ex nihilo aliquid producere, quia inquiunt, ad talem productionem requiritur in agente principali virtus infinita, quod in nulla creatura reperitur, quod in hunc modum ostendunt. Nam quo agens potest producere aliquid ex potentia passiva magis distante ab actu, eo debet esse majoris virtutis activæ, et juxta proportionem excessus talis distantiæ ad distantiam ab actu, requiritur proportio excessus potentiæ activæ ad potentiam passivam; ut, quia frigidum ut octo habet potentiam duplo magis distantem a calore, quam frigidum ut quatuor, propter duplam resistentiam: ideo requiritur agens duplo potentius ad hoc, ut frigidum ut octo reducatur ad actum i. e. ad calorem. Sed si crescat ad infinitum distantia ab actu, propter superadditam resistentiam, adhuc semper magis distabit ab actu id quod debet produci ex nihilo. Et ratio est, quia quod producitur ex nihilo, nullam supponit rem ex cujus potentia educatur, sicut supponit id quod producitur in subjecto. Ergo sicut in infinitum augeretur resistentia, in infinitum deberet vis activa augeri: ita a fortiori ad hoc ut aliquid ex nihilo producatur, debebit esse infinita vis activa in agente. Sed has et similes rationes late refellit Valentia 1. p. col. 965., ubi tandem concludit, ex s. Scriptura et ss. Patribus posse probari quod nulla creatura possit aliquid ex nihilo producere, ratione tamen id ostendi non posse. Et quod ad hanc Molinæ rationem attinet, facile quis respondere posset cum Suaresio disp. 20. sect. 2. n. 37. et 38., si diceret, illam majorem, quod scil. ad producendum aliquid ex potentia magis elongata ab actu, requiratur major virtus, quam ad producendum illud ex potentia minus elongata, verum esse respectu potentiæ productivæ ejusdem rationis. Nam revera, si ad producendum calorem in hoc subjecto requiritur tantus calor, ad producendum eundem calorem in subjecto minus capaci requiritur major calor; si tamen detur vis aliqua superioris ordinis ad producendum eundem effectum, non est necessarium illud augmentum in infinitum, quia vis productiva superioris ordinis, etiam finita, potest producere effectum quem non potest vis inferioris ordinis, etsi augeretur in infinitum. V. gr. habitus supernaturalis finitæ perfectionis, producit actum supernaturalem, quem nullus habitus naturalis, licet in infinitum perfectior et perfectior fieret, producere potest. Solum ergo ex hac calculatione colligitur, virtutem creativam seu productivam ex nihilo esse ordinis superioris, quam sit vis productiva ex aliquo subjecto; non

tamen colligitur quod sit virtus infinita[1]. Addunt alii alias rationes ad hanc rem confirmandam, sed innumera falsa et incerta assumunt.

Quare, sive possit dari aliqua creatura habens vim productivam, sive non, nobis ad nostrum institutum sufficit si probemus, de facto agentia non posse producere ex nihilo aliquid, quod docet s. Augustinus 3. De Trinit. cap. 4. et De Genes. ad lit. cap. 15., et in illud Psalmi 135. „Qui facit mirabilia etc." ; item s. Damasus 1. De fide cap. 2. et 3. Hoc item probant aliqui Juniores; tum, quia si ignis ignem produceret ex nihilo, non esset ratio cur prius corrumperet lignum, nec dari posset ratio cur antequam aliquid producatur, agens naturale debeat vel possit agere in aliquod corpus et ejus accidentia destruendo introducere alia accidentia. Si enim ex nihilo posset producere, non esset necessarium subjectum in quod ageret, sed posset sine illo, et quidem facilius producere effectum, cum scilicet nihil esset quod illius actioni resisteret. Tum, quia non esset ratio, cur cum tantus ignis generatur, tantum lignum debeat corrumpi, ita ut ex majori ligno, major ignis generetur, nisi aliquid illius rei ex qua generatur ignis, remaneat. Tum, quia ex quolibet posset fieri quodlibet, quod late refellit Aristoteles 1. Phys. text. 43. cum experimur ex ligno fieri ignem, non vero ex lapide, cujus alia ratio non est, nisi quia res quæ corrumpitur concurrat aliqua ratione ad productionem alterius rei. Nam quod aliqui dicunt, ideo nihil produci de novo nisi aliquid de novo corrumpatur, quia cum nihil vacuum detur in natura, sed omnia plena aliquo corpore cum quo aliud corpus penetrative in eodem loco esse non potest, ideo debet prius corrumpi aliquod corpus in cujus locum succedat aliud quod de novo producitur, nec possit produci majus corpus, quam quod repleat spatium occupatum a re quæ corrupta est, — hoc inquam parum valet. Licet enim universum sit plenum, possint tamen ejus partes densari atque ita sine penetratione et magna violentia dari potest locus aliis corporibus, ut

[1] Suarez disp. 20. sect. 2. n. 1. et seq. ait, ex revelatis constare solum Deum creare, et proinde illum solum posse creare. Si enim aliqua natura haberet potentiam creandi, Deus permisisset illi usum talis potentiæ. An id naturaliter probari possit, pendet ex eo, an ad creandum vis infinita requiratur, quæ creaturæ communicari non possit. Ait ergo bene n. 4. non posse esse creaturam, quæ omne ens creabile possit producere, nam talis posset in infinitum perfectiores et perfectiores creare, ad quod requiritur vis simpliciter infinita, ut ostendit. Deinde nec potest esse, quæ sine Dei concursu producat. Solum ergo quæritur, an dari possit creatura, quæ cum solo generali Dei concursu aliquas saltem res possit creare. Late ostendit ibi Suarez, insufficientes esse rationes omnes quibus hoc fieri non posse probant auctores.

recte Suarez disp. 13. Metaph. sec. 1. n. 6.; atque ita, si agentia naturalia aliquid ex nihilo producere possent, cum necessario agant, producerent omnia corpora quæ intra cœli concavum possent contineri. Multo probabilius respondet ad hoc argumentum Vallesius cap. 69. Sacræ philos., ubi ait nullum dari commune subjectum formarum, nec materiam alia ratione distingui a forma, quam gradus metaphysicos corporis, viventis etc., scilicet per intellectum; et quæ de materia traduntur, ait esse hypotheses fictas, propter rudiores. Ratio autem, inquit, cur experiamur ex nihilo nihil produci est, quia res naturales non agunt extra se, nisi per instrumenta vel accidentia, ac proinde nec generant. Quare, ut ignis v. gr. ignem producat, debet prius calefacere; non potest autem calefacere nisi sit subjectum quod calefiat, quod demum totum corrumpitur propter immodicam alterationem rei solventem temperamentum, et totum quod de novo producitur incipit esse. Quæ responsio vim dictorum argumentorum penitius exhaurit.

Mihi igitur videtur, duplici ratione posse confirmari quod ab agente naturali ex nihilo nihil producatur. Prima est, nam corrupta aliqua re, ut mortuo v. gr. homine, manent accidentia eadem quæ fuerant ante: ergo manet subjectum aliquod illorum accidentium idem, siquidem accidentia non possunt esse sine subjecto, nec ex uno in aliud migrare, ut disp. 2. patebit. Illud autem subjectum non est forma, quæ vel corrumpitur, ut cum ex ligno fit ignis, vel non est capax talium accidentium, ut anima hominis quantitatis etc. Ergo remanet subjectum commune formæ præexistentis et de novo productæ. Ergo non totum compositum corruptum abiit in nihilum. Antecedens latius disp. 2. qu. 5. dicto 3. ostendetur, nunc breviter probatur: nam cum homo submergitur in aqua, certum est ab aqua non posse produci talia organa, cicatrices etc., quia æque produceret in herba putrefacta in fundo aquæ, et in equo demerso: ergo cicatrix et organa eadem, quæ ante in vivo extiterant, et in submerso remanent.

Secunda ratio, quæ etiam meo judicio efficaciter probat a posteriori nullum agens naturale posse ex nihilo producere aliquid est, nam si aliquando agens naturale posset creare et ex nihilo producere, tunc maxime crearet cum talem productionem connaturaliter exigunt causæ naturales. At, etiam cum ultimæ dispositiones necessariæ ad animam rationalem introducendam adsunt, secundum fidem certum est, a Deo ipso et non a causa secunda

creari animam rationalem. Ergo quia in casu quo maxime necessaria est talis productio non fit ab agente naturali, credibile est, omnino impossibile esse ut fiat[1]. Ex his manifestum est, in omni transmutatione debere manere subjectum commune sub utroque termino, quia alias res corrupta abiret in nihilum, et producta ex nihilo produceretur, ac proinde transmutari rem, non est totam rem desinere esse secundum se totam, sed est formam unam expelli et aliam introduci in eodem subjecto, et quod hinc sequitur, in omni re quæ transmutatur, necessario ponenda est aliqua compositio ex forma et subjecto.

Iam igitur ratio Aristotelis ad probandam conclusionem nostram, hoc modo formari potest. Principia essentialia alicujus totius alia non sunt, quam illa ex quibus illa res constat et componitur. Sed omne compositum naturale, tam accidentale quam substantiale, habet plures partes ex quibus componitur. Ergo habet principia ex quibus constat. Minor patet, nam ut in prima suppositione diximus, quando ex non calido fit calidum, producitur aliquod accidens, per quod subjectum, quod etiam ante fuerat, efficitur calidum. Ergo tale compositum accidentale constat duabus partibus, scilicet subjecto et accidenti tanquam principiis ex quibus componitur. Quod vero etiam compositum substantiale constet partibus illud componentibus, probari potest, si tamen illud prius supponamus, non posse negari totam substantiam, v. gr. hominem, constare partibus integralibus substantialibus, ut manibus, capite etc., quæ partes realiter inter se distinguuntur ut in Logica disp. De quantit. qu. 1. dicto 4. demonstravimus. Sed non agimus hic de partibus integrantibus, quæ principia non sunt, cum ipsæ etiam compositæ sint ex aliis partibus, scilicet ex materia et forma, quod est contra rationem principii. Solum ergo agimus de partibus essentialibus physicis, realiter distinctis, ex quibus componitur substantia integra tanquam ex principiis essentialibus.

Tales ergo partes compositi substantialis dari probatur. Nam in substantiali transmutatione aliquid corrumpi et de novo produci aliquid substantiale, in suppositione secunda ostendimus. Ergo cum non producatur tota entitas compositi naturalis, siquidem non

[1] Confirmant ex Pererio lib. 5. cap. 4. Si ex nihilo produci res possent, nulla datur ratio cur in instanti non fiant omnes generationes, v. gr. cur semen arboris non statim producat perfectam arborem. Id enim aliunde provenire non potest, nisi quia subjectum sensim perficitur et fit idoneum ad formam recipiendam. Sed Vallesii responsio facile hoc solvit.

creatur, nec fit ex nihilo[1], aliquid remanet in composito producto quod fuerat etiam in corrupto. Ergo compositum substantiale productum constat duabus partibus, quarum scilicet altera de novo producta est, altera præextitit. Hæ autem partes realiter distinguntur, siquidem diversis generationibus producuntur et subjectum realiter extitit cum altera pars compositi nondum ésset producta, ac proinde actu nihil esset. At hoc est signum realis distinctionis, ut in Logica disp. 2. De univers. qu. 2. dub. 4. late ostendimus. Quod vero istæ partes physicæ sint principia prima patet, nam hæ partes non sunt compositæ ex aliis partibus essentialibus (licet ex integrantibus componantur): ergo sunt prima principia componentia, quæ ex aliis non sunt composita. Antecedens probatur. Si enim hæ partes compositæ sint, vel partes illarum sunt iterum compositæ, et sic abibimus in infinitum in compositione; vel non, et sic illæ partes non compositæ erunt prima principia. Ex quo discursu patet, saltem duo principia corporis naturalis, ipsum componentia, admitti debere. Quod vero dentur etiam principia rerum naturalium in fieri seu mutationis naturalis patet, nam illa sunt principia transmutationis, sine quibus essentia transmutationis intelligi non posset. Sed sine eo quod transmutatur, et sine eo ad quod transit, seu per cujus productionem transmutatur, et denique sine termino a quo, intelligi non potest transmutatio, ut qu. 3. dicemus. Unde apparet, non sat bene Zabarellam lib. 1. De natura cap. 3. tradere modum quo Aristoteles invenit materiam. Ait enim hoc syllogismo usum Aristotelem: ubi est mutatio substantialis, est materia; at in corpore naturali est talis mutatio, ut sensu patet: ergo et materia. Majorem vero ab Aristotele probari, ait Zabarella, inductione ex mutatione accidentali et artificiali in quibus datur subjectum. Sed revera hæc inductio nulla est. Ex eo enim quod accidentalis mutatio subjectum exigat, non sequitur etiam substantialem exigere.

Ex his facile solvuntur fundamenta antiquorum initio quæstionis allata. Ad fundamentum Melissi respondeo: non produci ex

[1] Responderi posset, non produci quidem ex nihilo, nec proinde creari, totam tamen rem corrumpi per transsubstantiationem, et totam produci; ideoque non dari principia interna seu partes essentiales. Contra recte Suarez Metaph. disp. 13. sect. 1. n. 9. tum, quia si tota corrumpitur: ergo etiam omnia accidentia corrumpuntur, quod est contra experientiam; tum. quia omnis conversio exigit ut sit aliquod tertium in quo vel sub quo terminus productus et corruptus repugnant. Nisi enim id detur, nulla est ratio cur illa duo ita sint connexa ut ad unius productionem sequatur destructio alterius, ut in lib. de gener. disp. 1. qu. 1. dub. 2. ostendam, et probat Suarez ibi citatus.

nihilo formas corruptibiles, sed ex potentia subjecti educi, quod qua ratione fiat, et quomodo impediat ne sit productio ex nihilo, disp. 3. qu. 2. dicemus. — Ad fundamentum secundæ sententiæ respondeo: illud argumentum petit ut explicemus, quem modum essendi habeat forma substantialis in materia, diversum a modo essendi accidentis in materia, et in universum quomodo forma accidentalis et substantialis differant, cum utraque forma sit actus quidam subjecti, et ab eo dependens. Aliqui ajunt, materiam immediate recipere unicam formam, reliquas illa mediante, et ita componere unam substantiam cum prima forma, et ideo esse formam substantialem; reliquas formas, utpote quæ adveniunt enti perfecto et jam actuato subjecto, esse extra essentiam compositi, et idcirco accidentia. Sed revera hoc non explicat rem. Nam aliqua accidentia, ut quantitas et actio per quam producitur in materia forma substantialis, est immediate in materia, et non in forma quæ fit per actionem, ut 2. Phys. dicetur. Præterea, quæcunque forma producatur, invenit subjectum habens quantitatem et actionem per quam ipsa forma producitur: ac proinde quantitas et actio etc. erunt formæ substantiales. Respondeo ergo: materiam primam, seu primum subjectum habere naturam substantialem incompletam, diversam a forma, et ita habere etiam diversam subsistentiam partialem, incompletam, quia sicut anima unitur corpori, ita ejus subsistentia unitur subsistentiæ corporis ut compleatur. Et sicut natura incompleta subjecti completur per naturam partialem formæ quam recipit: ita ejus subsistentia incompleta completur per subsistentiam formæ. Illa ergo est forma substantialis, per quam completur subsistentia materiæ, et quae est principium complete subsistendi composito; reliquæ autem formæ advenientes composito substantiali, jam complete subsistenti, sunt accidentales, quæ scilicet ita uniuntur subjecto, ut non sint principia subsistendi complete subjecto. Unde, quamvis formæ substantiales, præter animam rationalem, non sint subsistentes, ita ut per se, sine materia possent subsistere connaturaliter, sed potius dependeant a materia, sunt tamen subsistentes ut *quo*, quatenus sunt rationes ut alterum complete subsistat per illas: ideoque sunt formæ substantiales.

Dices: ex tota entitate subjecti et accidentis, licet uniantur, fieri non potest una natura: ergo nec ex forma substantiali et subjecto. Respondeo, negando paritatem, nam tota entitas materiæ incompleta est in genere subsistentis, et quia completur per formam:

unde cum illa componit unum integrum subsistens. Entitas vero subjecti non completur per accidentalem formam: ideo ex accidente et subjecto non fit unum ens simpliciter. Ex quibus omnibus patet, dari in rebus naturalibus duplicem mutationem, substantialem scilicet et accidentalem, et in utraque subjectum commune semper idem remanet in genito, quod ante fuerat in corrupto; ac proinde, genitum et corruptum, licet in una parte conveniant, scilicet in subjecto, in altera tamen, scilicet forma differunt. Et ideo cum forma substantialis est, substantialiter differunt inter se, sicut hoc ex dictis patet. Cum enim res fit ex frigida calida, mutatur per productionem accidentis, quod in se recipit; cum vero ex ligno fit ignis, aliquid substantiale producitur, remanente subjecto communi substantiali. Hinc sequitur, duplex esse compositum in natura: substantiale scilicet, quod componitur ex partibus substantialibus, et accidentale, quod componitur ex subjecto et accidente; ac proinde dantur principia compositi non tantum accidentalis, sed et substantialis.

QUAESTIO SECUNDA.

Quid sint principia rerum naturalium.

Diximus initio præcedentis quæstionis, principium aliquando latissime sumi ab Aristotele, ut complectitur etiam principia cognitionis; hic tamen solum agimus de principiis primis compositi naturalis, tam in fieri, quam in facto esse, seu quod idem est, de principiis transmutationis et corporis naturalis. Hæc igitur principia ait Aristoteles 1. Phys. text. 42. esse illa, quæ nec fiunt ex aliis, nec ex alterutris, et ex his omnia fiunt, quæ definitio videtur non esse bona. Primo, quia falsum videtur principia non fieri ex aliis; tum, quia in mutatione accidentali, subjectum est verum principium, et tamen compositum est ex materia et forma; tum, quia materia componitur ex partibus integrantibus, et similiter forma corporea; tum, quia ut multi censent, in eodem composito sunt plures formæ substantiales: ergo materia informata una forma, ac proinde componens cum illa, recipit aliam formam, ac proinde subjectum generationis erit compositum: ergo principiis generationis substantialis non convenit hæc definitio. Secundo, cum dicitur principia non fieri ex alterutris, vel sensus est, quod unum principium

non fiat ex alio tanquam causa, et hoc falsum est, siquidem forma fit ex materia tanquam ex subjecto e cujus potentia educitur; vel sensus est, quod unum principium non fiat ex alio tanquam ex parte sua, et hoc verum quidem est, sed si illud *ex* hoc modo sumatur, falsum est ex his principiis ab Aristotele enumeratis fieri omnia, siquidem ex privatione nihil fit tanquam ex parte, sed tanquam ex termino a quo. Imo ne quidem omnia entia naturalia fiunt ex privatione tanquam termino a quo, siquidem coelum non fit per generationem, ac proinde nec ex privatione, quod multo etiam clarius est si coelum careat materia. Ergo etiam altera parte definitio falsa est.

Pro solutione quæstionis suppono, hic non agi nisi de principiis rerum generabilium. Imo, ut initio quæstionis primæ diximus, Aristoteles solum agit hic de principiis transmutationis seu corporis naturalis in fieri. Ex horum enim cognitione facile est ad cognitionem principiorum rei in facto esse pervenire. Præterea, solum agit Aristoteles de principiis intrinsecis mutationis, i. e quæ per essentiam conjuncta sunt mutationi et de ejus conceptu essentiali, quamvis non sint partes essentialiter componentes mutationem, ut qu. 3. dicetur. Unde recte Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 1. sect. 1. in fine ait, definitionem hanc principii allatam ab Aristotele non esse principii in communi, sicut nec alias quas ibi Fonseca refert ex Aristotele. Nec agitur de principiis propriis alicujus transmutationis particularis. Certum enim est, transmutationes in particulari habere diversa principia, prout diversæ sunt formæ quæ per tales mutationes producuntur. Sicut ergo omnibus rebus quæ fiunt commune est generari, ideoque ab omnibus generationibus abstrahi potest ratio generationis in communi: ita ab omnibus principiis partialis generationis abstrahi poterunt principia in communi, quæ in qualibet mutatione reperiantur, et ideo ait Aristoteles 1. Phys. text. 50. principia semper manere, id est, debere talia assignari principia mutationis, quæ in omni mutatione reperiantur, ut Ammonius et alii apud Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 8. art. 2. ad 1. explicant.

Jam ergo dico: optimam esse definitionem principiorum transmutationis datam ab Aristotele. Probatur: nam hac definitione explicatur, duo necessaria esse ad rationem primi principii transmutationis. Primum, ut sint simplicia, id est non composita ex aliis principiis, nec unum principium ingrediatur compositionem

alterius principii. Hoc autem necessarium esse ad rationem primi principii, probatur. Nam si principium componatur ex aliis principiis: ergo illa ex quibus componitur, sunt priora: ergo hæc principia composita non sunt prima, sed potius prima principia erunt illa, ex quibus componentur. Similiter, si unum principium componitur ex alio principio, v. gr. si materia componatur ex forma: ergo materia præter formam habebit aliam partem ex qua componatur, ac proinde illud ex quo componitur erit primum principium, et non materia, ut recte argumentatur Scaliger Exercitatione 107. n. 2. Et per hanc particulam definitionis excluduntur quatuor elementa a ratione primi principii, fiunt enim ex aliis, materia scilicet et forma, licet Aristoteles aliquando ipsa principia vocet elementa, ut 12. Metaph. text. 28. — Secundum quoque quod necessarium est ad rationem principii, hac descriptione indicatum est, quod sint universalissima, hoc est, quod in omni transmutatione reperiantur; et hoc est quod ait Aristoteles: omnia fieri ex illis, scilicet quæ generari et transmutari possunt. Ratio est, nam de ratione principii est, ut sit alicujus rei principium, ex Aristotele 1. Phys. text. 8. Ergo ut aliquid sit principium, debet aliquid fieri ex illo; ergo sicut ad hoc ut sint prima principia, necessarium est non esse composita ex aliis prioribus: ita ad hoc ut sint principia, necesse est alia fieri ex ipsis. Cum autem dicitur in definitione, omnia debere fieri ex istis, intelligendum est: generabilia et corruptibilia; cœli enim, cum non sint generabiles, non fiunt ex principiis tanquam termino a quo, nec eorum productio substantialis est mutatio, sed creatio.

Pro intelligentia tamen dictæ descriptionis sciendum est: non esse contra rationem principii ut unum pendeat ab alio, nam ut infra ostenditur, materia pendet a forma, et forma corruptibilis a materia, et denique quælibet forma pendet a causa efficiente. Solum ergo contra rationem primi principii est, componi ex aliis principiis, quod significat illa particula definitionis: nec fiunt ex aliis, nec alterutris.

Triplex autem compositio esse potest quæ videri posset repugnare primis principiis. *Prima* est metaphysica ex genere et differentia. Sed hæc compositio non repugnat primis principiis physicis; fieri enim potest, ut aliquid compositum sit metaphysice et per intellectum, physice tamen sit absque ulla compositione, siquidem gradus metaphysici non sunt entitates distinctæ physicæ et a parte

rei, ut in Logica ostendimus, ubi etiam disp. 2. De univers. qu. 6. circa 3. ostendimus, a materia et forma abstrahi posse gradus genericos et consequenter differentiales.

Secunda compositio est physica ex partibus integrantibus, quomodo tres guttæ aquæ componunt unam aquam continuam. Sed nec ista compositio repugnat principiis. Imo quælibet portio materiæ constat pluribus partibus ex quibus integratur una portio materiæ, ut ex Logica De quantitate qu. 1. dicto 4. patet, ubi ostendimus quamlibet partem substantiæ materialis constare partibus substantialibus ex quibus integratur. Et similiter libris De anima ostendemus, quamlibet formam corruptibilem integrari ex pluribus partibus. Et hæc compositio quæ fit ex partibus integrantibus, licet sit physica, non est tamen essentialis, sed integralis. Unde si totum quod integratur hujusmodi partibus sit homogeneum, in qualibet parte est tota essentia rei, nec componitur essentia ex illis partibus; si vero totum sit heterogeneum, quælibet pars homogenea illius totius composita est ex suis partibus essentialibus, scilicet materia et forma, nec componit unam essentiam cum alia parte illius totius heterogenei.

Tertia ergo compositio est, compositio physica ex partibus essentialibus, quomodo totum compositum substantiale componitur ex materia et forma tanquam partibus essentialibus, constituentibus unam essentiam. Et hæc compositio repugnat principiis primis, ac proinde cum Aristoteles ait: principia non fieri ex aliis, intelligendum est, tanquam ex partibus physicis essentialibus, vel certe tanquam ex principiis sibi conjunctis per essentiam, ut ad 2. argumentum explicabimus. Et ita revera primum subjectum, seu materia prima non componitur ex aliis partibus essentialibus physicis, scilicet alia materia tanquam subjecto, et alia forma. Et ratio est: nam vel datur processus infinitus in hujusmodi compositionibus, vel tandem ad aliquod primum subjectum deveniendum est, quod non componatur ex alio subjecto et alia forma. Similiter ut ad 2. ostendam, nec forma fit ex privatione tanquam parte componente vel tanquam principio intrinseco, seu conjuncto per essentiam, cum non sit de conceptu essentiali formæ privatio. Et hoc est quod aliqui recentiores ajunt: principia debere esse prima, in suo videlicet genere, hoc est, ut nullum principium dependeat ab alio principiante in eodem genere in quo ipsum est principium, nec item pendeat ab alio principio tanquam conjuncto sibi per essentiam, licet

pendere possit ab aliis principiis in diverso genere principiandi, quomodo forma corruptibilis a materia, et materia pendeat a forma in diverso genere principiandi, non tamen pendet materia ab ullo alio tanquam subjecto. Et hoc est quod dicit Aristoteles: principia non fieri ex alterutris, in eodem scilicet genere principiantibus vel tanquam conjunctis per essentiam, et ita forma equi fit ex materia tanquam causa materiali, non vero fit ex ipsa tanquam parte componente formam, vel tanquam aliquo ad essentialem conceptum formæ necessario. Cum vero addit Aristoteles: omnia fieri ex istis principiis, solum vult, hæc principia in omni mutatione naturali reperiri, ita ut ex his vel tanquam partibus componentibus, vel tanquam conjunctis per essentiam fiant omnia. Et per hanc partem definitionis principiorum excludunt Conimbricenses 1. Phys. cap. 5. qu. 1. a. 2. causam efficientem, finalem etc. a principiis, nam ex efficiente ajunt non fit aliquid, sed efficiens est a quo fit, finalis propter quem fit etc, quod sumpserunt a Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 1. sect. 1. in finc. Sed hoc est nimis grammaticale, unde ipsimet Conimbricenses, ut qu. 3. dicam, alia de causa excludunt efficientem causam a ratione principii.

Ex his ad argumentum primum respondeo: aliquos propter illud argumentum existimare, Aristotelem non agere hic nisi de principiis transmutationis substantialis, quia illa cognita facile erat nosse principia accidentalis transmutationis. Et ita ajunt, non agi hic de principiis communibus transmutationi substantiali et accidentali, sed de solis principiis substantialis mutationis. Ego vero existimo, agere quidem Aristotelem hic de omnibus principiis transmutationis etiam accidentalis, potissimum tamen de principiis transmutationis substantialis. Primum patet ex Aristotele ipso, qui text. 57. id innuit et a text. 43. explicans definitionem principiorum sæpe utitur exemplis mutationum accidentalium, et licet text. 61. dicat solam substantiam fieri simpliciter, tamen ibi et deinceps assignat principia mutationis accidentalis. Secundum indicat Aristoteles text. 52. ubi ex eo probat præter duo contraria principia, formam scilicet et privationem, dari tertium scilicet primam substantiam, quia substantia non componitur ex non substantiis, et text. 56. probat duo esse contraria principia, quia in unoquoque genere una est contrarietas; substantia est unum genus: ergo. Confirmatur: hic Aristoteles agit de principiis objecti principialis Physicæ. Ideo enim proponit Aristoteles initio hujus libri investigare principia,

ut cognoscatur perfecte objectum, hujus scientiæ; sed principale objectum est corpus naturale, et non aliquod compositum accidentale: ergo. Verum tamen est, principium analogice dici de substantialibus et accidentalibus principiis, ut Aristoteles ait 12. Metaph. text. 22., cum nihil detur univocum substantiæ et accidenti. Imo ut notant Conimbricenses loco cit. art. 1., nec de illis tribus principiis: materia, forma, privatione dicitur principium univoce prout Aristoteles docet 2. De gener. animalium cap. 2., cum enti et non enti nihil sit univocum; privatio autem sit non ens.

Ad argumentum ergo respondeo: subjectum accidentium non est totum compositum substantiale, sed accidentia materialia insunt quantitati ut subjecto, hæc vero materiæ. Unde licet immediatum subjectum aliorum accidentium, præter quantitatem, non sit omnino primum, quia scilicet ipsa quantitas habet aliud subjectum prius, nempe materiam, est tamen aliquo modo primum, eo quod non componatur ex aliis principiis; neque enim quantitas componitur ex materia et forma. Præterea fateor, non tam perfecte rationem principii hac definitione explicatam convenire principiis mutationis accidentalis, eo quod potissimum hic principia mutationis substantialis definiverit Aristoteles. — Ad illa quæ addebantur respondeo: compositionem ex partibus integrantibus non esse contra rationem principii. Præterea in uno composito non est nisi una forma substantialis. Revera enim si sint plures, convincit argumentum principia alicujus compositionis fieri ex aliis, ac proinde non esse principia. Si enim v. gr. in homine sint plures formæ ossis, carnis etc., homo non solum componetur ex anima rationali tanquam forma, sed etiam ex materia habente formas partiales.

Ad secundum respondeo: Toletus, Sotus et alii citati a Conimbricensibus 1. Phys. cap. 5. qu. 1. art. 4. ad 1. ajunt, in illa definitione principii particulam *ex,* primo et secundo loco positam, importare habitudinem principii essentialis et intrinseci, tertio vero loco non solum illam habitudinem, sed etiam habitudinem termini a quo, ita ut sensus definitionis sit: principia non fieri ex aliis vel alterutris, tanquam ex partibus componentibus, omnia tamen fieri ex ipsis vel tanquam parte, vel tanquam termino a quo. Sed contra est: nam eo modo quo Aristoteles dicit, principia non fieri ex aliis, dicit ex illis fieri omnia, nisi in paucis verbis turpissimam æquivocationem admisisse dicamus Aristotelem. Respondent Conimbricenses citati: particulam *ex* semper eodem modo sumi, ut scilicet

significat habitudinem partis componentis vel termini a quo, quod et Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sect. 1. docet, et ita dicunt formam non fieri tanquam ex termino a quo, ex privatione. Contra tamen est, nam ex privatione fit aliquid tanquam ex termino a quo, et illud debet esse oppositum privationi ut qu. 4. dicemus. Illud autem non est totum compositum constans materia et forma, siquidem materia non est contraria privationi, nec fit ex privatione tanquam termino a quo. Ergo sola forma, quod et ipsi Conimbricenses cap. 1. qu. 1. art. 6. ad 4. postea concedunt.

Respondeo ergo: eodem modo sumi particulam *ex* utrobique. Sensus enim est: principia non fieri ex aliis tanquam essentialiter componentibus, aut tanquam principiis sibi conjunctis per essentiam; alia vero fieri ex ipsis ut partibus componentibus, vel ut principiis conjunctis. Unde principia compositi substantialis sunt materia et forma ex quibus ipsum componitur; principia vero transmutationis sunt etiam privatio et forma præter materiam, quia licet ex privatione non componatur mutatio, illi tamen conjuncta est per essentiam, ut mox dicam. Forma etiam est principium mutationis, quia licet fiat ex privatione tanquam termino a quo, non fit tamen ex illa tanquam parte componente vel tanquam ex principio sibi intrinseco, quia non est de essentiali conceptu formæ privatio, sicut nec materia. Solum ergo privatio est principium mutationis per quam fit forma, non vero ipsius formæ factæ. Unde cum Aristoteles ait text. 23., omnia quæ fiunt, fieri ex contrariis, idem est ac si diceret, omnia fieri ex opposito tanquam principio mutationis per quam fit, non tamen tanquam principio sui; nam privatio non est principium formæ quæ fit, sed mutationis per quam fit forma ipsa, ex quo solvitur quod objicit Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sect. 2. in 3-a objectione, quæ supponit privationem esse principium rei genitæ, quod falsum est.

Ad id quod ultimo addebatur respondeo: Aristotelem solum agere de principiis rerum generabilium et corruptibilium, ut ipse ait 1. Phys. text. 68., cœli autem et Angeli non sunt generabiles. Facile etiam solvitur ex dictis argumentum quod illo art. 3. adferunt Conimbricenses, definitionem scilicet principiorum debere omnibus principiis convenire, etiam singularibus, sicut ait Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sect. 1. definitio animalis omnibus animalibus convenit. At ex principiis, v. gr. Socratis, non fiunt omnia, ac proinde illis non convenit data definitio. Ergo non est bona, nam definitio

generis convenire debet omnibus singularibus. Solvitur inquam, sensus enim illius particulæ: *ex his omnia*, est ut diximus, in omni mutatione reperiri hæc principia, quod verissimum est. Nec enim dicitur in definitione, idem unum principium debere in omni mutatione reperiri, sed solum quod aliqua forma, aliqua materia et privatio debeat in qualibet mutatione esse, et ut recte Fonseca loco citato ait, sensus definitionis est, unumquodque compositum fieri ex suis principiis.

QUAESTIO TERTIA.

Quot sint principia tam mutationis quam compositi naturalis.

Plurimæ fuere veterum de principiis sententiæ, quas latissime referunt Pererius lib. 4. Phil. a cap. 5., Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 2. a sect. 2., Conimbricenses 1. Phys. cap. 7. qu. 1., Toletus 1. Phys. initio cap. 2., qui videri possunt præter Aristotelem, qui et hic et 3. de Cœlo et 1. Metaph. late eas refert ac refellit. Rationem vero duplicem invenio in Aristotele, cur aliorum opiniones referri fideliter debeant. Prima est, quia opiniones cum suis fundamentis propositæ dubitandi occasionem dant ut ait Aristoteles 1. Cœli text. 100., quod utilissimum esse docet 3. Metaph. text. 1. Solvere enim inquit ipse impossibile est nodum, si ignoretur. Secunda est, ut propositis aliorum sententiis, tunc demum nostram sententiam proferamus, ne eos velut indicta causa damnemus ut ait Aristoteles 1. Cœli text. 101., et alienis propositis magis nostra ex illarum collatione appareat probabilior ut docet 7. Ethic. cap. ult., et lector velut judex et arbiter melius de rebus ferre possit sententiam, ut tum loco citato, tum etiam 3. Metaph. text. 1. habet Aristoteles, de quo latius Pererius l. cit. cap. 1.

Prima sententia[1] est eorum, qui infinita ponunt rerum naturalium principia. Ajebant enim ex infinitis particulis indivisibilibus, quas atomos vocabant, res omnes componi, non eodem tamen modo. Nam Democritus et Leucippus ajebant, has atomos esse ejusdem rationis et essentiæ, licet figuras haberent diversas.

[1] Ut eos prætermittamus quos qu. 1. retulimus unicum ponere rerum omnium principium, seu potius omnia dicere esse unum, ac proinde nulla esse rerum naturalium principia, saltem substantialia, nam illud unum non est principium alicujus alterius, nec sui ipsius, cum nihil sit principium sui ipsius.

Anaxagoras vero et Anaximenes diversæ rationis et essentiæ ajebant esse quasdam atomos ab aliis, quas omnes Anaxagoras ajebat infinito tempore jacuisse confusas, et hanc confusam rerum congeriem *ὁμοιμερίαν* appellabat. Sed hanc sententiam late refert Pererius citatus cap. 8. et 9., Aristoteles tum hic, tum 3. Coeli a text. 37, et a text. 65. ad finem. Fundamentum hujus sententiæ erat quod habet Aristoteles 1. Phys. text. 33. et lib. 3. text. 28. Nam cum ex nihilo nihil fiat, advertamus nihilominus res nunc aliquid habere quod ante non advertebamus, ut nunc calidam esse etc., dicendum est illud non fieri ex nihilo, sed præextitisse, occultatum tamen fuisse ante et cum aliis rebus permixtum, quando tamen ab aliis rebus segregantur, tunc manifestari. Et cum videamus omnes res invicem posse cummutari, dicendum est omnes res componi ex omnibus aliis rebus, quæ tamen ob parvitatem et confusionem cum aliis rebus non percipiuntur, nisi segregatæ ab aliis foras prodeant, quam sententiam Anaxagorae optime expressit Lucretius lib. 1. his versibus:

> Hoc et Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus, omnes
> Res putet immixtas rebus latitare, sed illud
> Apparere unum, cujus sunt plurima mixta
> Et magis in promptu primaque in fronte locata.

Sed hanc quæstione 1-a in 1. suppositione late refutavimus[1].

Secunda sententia est eorum, qui non quidem infinita, plura tamen ajunt esse principia rerum naturalium, qui tamen in diversas abeunt sententias. Nam Empedocles teste Diogene in ejus vita lib. 8. quatuor elementa posuit esse prima principia rerum. Sed hæc sententia improbabilis est, nam prima principia quæ hic inquirimus, non componuntur ex aliis principiis; elementa autem forma et materia constant, quod quidem colligitur ex eo, quod videamus illa transmutari vicissim: ergo esse debet in elementis subjectum quod commune sit formæ genitæ et corruptæ, alias ex nihilo producerentur rerum formæ. Pythagorici teste Syriano in lib. 14. Metaph. decem posuere principia bonorum, et decem malorum, quorum sententiam late refert Pererius cap. 7. Mihi vel hac una de causa videntur Pythagorici male sentire, quod principia substantiarum ponant numerum, qui tamen est accidens; et

[1] Contra hos Suarez disp. 13. sect. 2. et 3. late agit, et tam primæ, quam secundæ sententiæ auctores refert illis sectionibus.

præterea ex qu. 1. patet dari partes substantiales componentes rem naturalem: ergo. Plato secundum Plutarchum tria posuit principia: mentem, ideam et materiam, de cujus sententia late Bessarion lib. 2. Contra calumniatores cap. 5., Alcinous lib. De doctrina Platonis cap. 9. Denique Aristoteles tria posuit principia mutationis: materiam, formam et privationem, quem sequuntur omnes peripatetici. Et licet has omnes sententias conciliare et ad bonum sensum trahere nitatur Simplicius, ejus tamen laborem inutilem esse, bene ostendit Pererius cap. 10., Conimbricenses l. cit. art. 4.[1]

Ut vero sententiam Aristotelis quæ est necessaria explicemus et probemus, suppono: in hac quæstione nobis explicanda prius esse principia transmutationis et præsertim substantialis, quia illis cognitis facile erit cognoscere principia transmutationis accidentalis, et cujuscunque alterius productionis, etiamsi illa non sit mutatio. Deinde explicanda sunt principia compositi naturalis. Inquirimus autem principia transmutationis, non quidem extrinseca et separata, ut sunt finis et exemplar, nec sola principia componentia mutationem, nam privatio non componit mutationem, siquidem quando est mutatio jam non est privatio formæ, cum enim verum est dicere, nunc forma producitur, tunc verum est etiam dicere, nunc non est privatio, ex quo etiam patet, privationem non esse principium intrinsecum essentiale ipsi mutationi, nam quando est mutatio, est tota essentia illius, et tamen tunc non est privatio. Solum ergo inquirimus principia intrinseca mutationi, non quidem ita intrinseca ut sint partes essentialiter illam componentes, sed quæ sunt illi conjuncta per essentiam, hoc est quæ ita necessario petuntur ad essentiam mutationis, ut sine illis nec esse, nec concipi possit mutatio, (seu quod idem est, de principiis propriis transmutationis) qua ratione privatio conjuncta est mutationi. Mutatio enim est transitus quidam per quam res aliter se nunc habere incipit quam ante, seu ut Aristoteles ait 5. Phys. text. 7. transitus ex quodam in quoddam, et ideo intelligi non potest mutatio sine eo quod mutatur, i. e. subjecto, nec sine receptione alicujus de novo, quod ante non habebat, ac proinde sine forma et privatione.

[1] In hac opinionum de principiis enumeratione omittimus Cardanum, qui lib. 1. De subtilitate folio 21. quinque ponit rerum naturalium principia: materiam, formam, animam, locum, motum. Sine ulla siquidem ratione efinxit hanc sententiam, maxime cum anima sit forma, locus et motus conveniant rei jam constitutæ substantialiter, ac proinde non sint principia rei.

Cum vero quærimus quot sint principia transmutationis, non quærimus quot sint numero, certum enim est, quot sunt individua tot esse numero diversa principia, cum quodlibet individuum habeat sua principia singularia; nec quærimus quot sint specie principia, nam plurima esse manifestum est, quot enim sunt formæ diversæ rationis, tot sunt specie principia, ut qu. 2. diximus; nec item quæstio est quot sint principia genere univoco, certum enim est plura esse quam tria. Cum enim substantiæ et accidenti non detur genus univocum, clarum est diversa esse genere principia transmutationis substantialis et accidentalis, sicut et forma substantialis atque accidentalis sunt distinctæ genere. Solum ergo quæstio est, quot sint principia transmutationis quasi genere analogo, seu quot sint illa quæ in quavis mutatione tanquam conjuncta illi per essentiam reperiuntur.

Dico primo. In omni mutatione positiva naturali tria hæc necessario concurrunt: subjectum seu materia, terminus productus seu forma, et terminus a quo fit transitus ad formam seu privatio formæ per mutationem acquisitæ; ita Aristoteles 1. Phys. a text. 56., 12. Metaph. text. 12. Dixi *positiva,* nam ut disp. de Motu qu. 1. dicetur, mutatio privativa non habet terminum *ad quem* positivum.

Probatur igitur conclusio, et primo quidem dari subjectum primum transmutationis. Nam ut quæstione prima ostendi ex nihilo nihil fit, sed semper supponitur subjectum commune genito et corrupto; ergo in omni mutatione seu productione alicujus rei naturalis reperitur subjectum quod compositum non sit ex aliis principiis, quia vel sequitur infinitus processus in hujusmodi compositionibus, vel certe veniendum est ad aliquod primum subjectum, et illud erit primum principium materiale in transmutatione. Dices: ex speciebus sacramentalibus generantur vermes et tamen ibi nullum est subjectum talis mutationis, cum secundum fidem catholicam tota substantia panis, ac proinde etiam materia desierit esse. Respondeo ut late ostendunt Suarez tomo 3. in 3. partem disp. 66. sect. 3., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 5. art. 3. ad 3., Bellarmin lib. 3. de Ecclesia cap. 24. ad 6. et late theologi 3. p. qu. 77. art. 5., miraculose a Deo creatur materia prima quando in species sacramentales introducuntur tales dispositiones cum quibus forma panis esse non posset, idque sapientissime Deus instituit ad tegendum mysterium.

Secundo ex eadem quæstione prima patet, dari in rerum natura veras mutationes per quas aliquid de novo producitur, et ut ibi ostendimus non per solam transpositionem partium apparent esse; illud ergo quod per hanc mutationem incipit esse, forma nuncupatur. Denique privationem necessariam esse probatur. Nam id quod est, fieri de novo naturaliter non potest, quia frustra fieret, ut 2. Phys. ostendemus. Ergo si aliquid fit, debuit prius non præfuisse in subjecto, si enim præfuisset, jam non produceretur: ergo debuit præcedere privatio: ergo privatio formæ productæ, præcedens ipsam productionem, necessaria est ad hoc ut fiat transmutatio[1]. Hæc ergo tria principia necessaria sunt in omni generatione. Et hæc est ratio Aristotelis text. 56. et deinceps ubi ait ad mutationem necessaria esse duo contraria, i. e. inter se repugnantia seseque mutuo aliqua ratione excludentia, scilicet id quod producitur et ejus privationem, et insuper debere dari subjectum istorum contrariorum, scilicet materiam, et hæc tria sufficere ad mutationem.

Confirmatur: nam mutatio est transitus ex uno termino in alium, per quam res nunc alio modo se habet quam prius, ut disp. de Mutatione dicetur. Ergo ad illam concurrunt et id quod aliter se nunc habet, et forma per cujus receptionem mutatur, et eam præcedens privatio; quæ ratio optima est, si prius ostendatur dari talem mutationem, quod non alio modo fit, quam argumento a nobis facto.

Confirmatur 2. Transmutatio est actio quædam; ergo productio alicujus; ergo per illam aliquid producitur, et illud non ex nihilo, sed ex præsupposito subjecto; ergo ad mutationem hæc duo necessaria sunt, et præterea privatio ut supra ostendi tanquam terminus a quo. Neque enim terminus a quo mutationis potest esse forma contraria formæ productæ. Licet enim sæpe talis forma reperiatur in mutatione, ut cum ex frigido fit calidum, tamen hujusmodi terminus a quo accidentalis est respectu mutationis, quod sic ostendo. Nam si non esset mere accidentalis, deberet necessario in omni mutatione talis terminus reperiri, quod tamen falsum est, nam in illuminatione aëris nulla forma contraria lumini reperitur.

[1] Si enim non esset necessaria ad omnem transmutationem, posset inveniri aliqua mutatio ad quam non requireretur privatio, sicut potest dari mutatio quæ non præexigit aliquid positivum contrarium formæ productæ, ut patet in lumine. At primum naturaliter impossibile esse jam diximus.

Idem est in productione gratiæ, specierum sensibilium, actionum vitalium etc. Similiter si una forma substantialis alteri contraria non est, nunquam in mutatione substantiali fit transitus a contrario in contrarium: ergo terminus a quo in omni mutatione necessarius, non est forma positiva.

Unde recte Conimbricenses 1. Phys. cap. 7. qu. 1. art. 6. ad 2. et Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 1. sect. 1. in fine docent quod si divina virtute producatur unum contrarium sine expulsione alterius contrarii, nihilominus tota ratio generationis seu transmutationis constaret. Ex quo etiam apparet, negationem formæ quæ præextitit et corrumpitur ad productionem formæ incompossibilis, non esse principium necessarium transmutationis. Licet enim nulla forma præcessisset in subjecto, tamen intelligeretur tota ratio mutationis, tum substantialis, quam accidentalis. Sola ergo privatio formæ producendæ est principium mutationis tanquam terminus a quo, siquidem hic agimus de principiis universalissimis et necessariis in omni mutatione. Et ex his apparet etiam propria ratio singulorum principiorum. Materia enim in mutatione est subjectum; forma terminus ad quem, qui scilicet producitur per mutationem; privatio vero est terminus a quo incipit mutatio ut recte Aristoteles 7. Metaph. text. 26.

Dico secundo. Prima principia transmutationis intrinseca non sunt nisi tria prædicta; ita Aristoteles text. 56. Dixi *intrinseca,* non quod sint principia essentialia mutationi tanquam partes eam componentes, sed quia sunt principia illi conjuncta per essentiam. Dixi *mutationis,* nam ut disp. 3. qu. 4. dicto 3. ostendemus, ad rationem generationis in communi non est necessaria privatio, sed tantum ad mutationem, nam si forma eodem instanti quo materia creata est educeretur ex illius potentia, vere generaretur et non crearetur, et tamen hæc productio non esset mutatio, nec ejus terminus a quo, esset privatio.

Probatur conclusio. Nam illa sola sunt principia intrinseca transmutationis naturalis, quæ in omni transmutatione ita reperiuntur, ut sine illis essentia transmutationis intelligi non possit; reliqua enim sine quibus essentia transmutationis intelligi potest, sunt per accidens conjuncta transmutationi. Sed nihil est quod possit habere rationem principii primi, quod necessario debeat intelligi quando concipitur transmutatio, præter materiam, formam et privationem: ergo. Minor probatur inductione. Nam si quid præterea esset, vel

esset quantitas quæ necessaria est ad hoc ut materia recipiat formas, cum sine illa naturaliter nec agere quidquam, nec pati possit ut alibi ostendemus; vel accidentia alia quæ reperiuntur in materia et necessaria sunt ad operationes et formas productas recipiendas, ut potentia materiæ; vel finis, eo quod sine fine nulla possit esse agentis naturalis operatio, ac proinde nec transmutatio; vel denique causa efficiens, quam Aristoteles 2. De generatione text. 52. videtur ponere tertium principium præter materiam et formam, quod etiam ratione confirmari potest. Nam illud est principium mutationis, quod etsi non sit pars essentialis ipsius, quomodo privationem non esse partem ostendimus, tamen est de conceptu essentiali omnis mutationis, ita ut sine illo non possit ulla mutatio concipi. Sed hujusmodi est causa efficiens, siquidem mutatio essentialiter est actio, ut disp. De motu qu. 1. ostendam; sed actio in suo conceptu essentiali includit agens seu causam: ergo et mutatio.

Respondent Conimbricenses loco citato ad 1.: generationem si consideretur ut est actio, in ejus conceptu includitur agens; si tamen consideretur ut est mutatio absolute, minime. Contra tamen est. Nam mutatio in suo conceptu essentiali includit quod sit actio per quam fit terminus, et solum addit rationi actionis, quod sit productio termini in subjecto antea privato. Ergo implicat contradictionem, ut concipi possit mutatio quin concipiatur actio, cum eo ipso quod sit mutatio, sit actio. Confirmatur: nam mutatio non necessario exigit terminum ad quem, seu quod idem est, qui fiat per illam, nisi quatenus actio est; unde per mutationes privativas et corruptiones nihil fit. Ergo si illa quæ conveniunt mutationi ut actio est, non sunt de essentiali conceptu mutationis absolute, nec terminus ad quem erit de ejus conceptu, et ita forma non erit principium distinctum.

Nihilominus tamen, nihil horum posse esse principium, sic ostendo. Non quantitas. Tum quia fieri potest mutatio aliqua etiam in re spirituali, ut cum intellectus intelligit, recipit habitus etc.; ergo tota essentia mutationis intelligi potest sine quantitate. Tum quia nec quantitas, nec alia accidentia requisita ex parte materiæ tanquam dispositiones ad hoc ut recipiant formam, sunt necessario inclusa in conceptu essentiali mutationis, quæ perfecte concipitur cum cognoscitur actio per quam subjectum recipit formam qua antea carebat. Unde ista omnia accidentia concurrunt tanquam conditiones necessariæ ex parte materiæ, non vero tanquam prin-

cipia. Non enim omnia illa sunt principia transmutationis quæ necessaria sunt quomodocunque ad mutationem, sed illa sola quæ sunt de conceptu cujuscunque mutationis. Nec potentia materiæ est principium, licet contrarium doceat Argentina 2. dist 18. qu. 1. a. 2., ubi tria assignat principia: materiam, formam et potentiam, — nam licet potentia sit conditio necessaria ad hoc ut subjectum recipiat formam, tamen quia vel non est de conceptu intrinseco mutationis, vel certe si est, in ipsa privatione quæ est negatio in subjecto apto, includitur, idcirco non constituit distinctum principium. Male autem Argentina loco privationis ponit potentiam esse tertium principium, nam sine privatione intelligi essentia mutationis non potest, quamvis intelligatur sine potentia.[1] Nec finis vel exemplar est principium transmutationis. Nam licet omne agens naturale agat propter finem, finis tamen non est de conceptu transmutationis, sed est conditio causæ efficientis, quæ absque fine operari non potest, cum nihil in rerum natura otiosum esse possit ut 2. Phys. ostendemus, quod a fortiori urget in causa exemplari. Nec efficiens causa est principium. Licet enim argumento allato efficaciter ostendatur, sine illa concipi non posse transmutationem, quia tamen hoc loco solum inquirimus prima principia transmutationis, et non composita ex aliis principiis (unde ut qu. 2. diximus, dixit Aristoteles principia non constare ex aliis principiis), causa autem efficiens hoc non habeat, siquidem omnia agentia creata ita sunt causæ efficientes, ut sint principiata materia et forma constantia: idcirco efficiens causa non est primum principium, ac proinde cum hic solum agatur de primis principiis, non potest adnumerari principiis.

Dices: saltem Deus erit principium primum, cum nullo modo sit principiatum. Respondeo: non esse de intrinseco conceptu cujusque mutationis Deum, sed tantum causam efficientem in communi, et ideo si aliquid deberet esse principium intrinsecum mutationis præter numerata ab Aristotele, esset causa efficiens in genere; hoc autem fieri non posse ostendimus, siquidem de ratione prin-

[1] Suarez disp. 12. sect. 1. n. 6. privationem dicit principium mutationis, quia mutatio intrinsecam habitudinem dicit ad illam, non vero includitur in composito; sicut etiam forma dicitur principium mutationis, non quod componat illam, sicut componit et corrumpit totum, sed solum quia est totius. Unde etiam respectu generationis diverso modo est principium materia et forma. Materia enim est causa materialis generationis, forma vero non est causa physice concurrens ad generationem, sed solum est terminus illius, et forma a qua extrinsece specificatur generatio, in quo tamen nulla includitur physica causalitas realiter communicans esse effectui.

cipii est ut non sit principiatum, nec componatur ex aliis, ut patet ex definitione principii. Non est autem de ratione causæ efficientis ut non sit principiata, quia causæ creatæ non essent efficientes. Aristoteles vero illo 2. De generat. principii nomen latius sumit, sicut etiam 5. Metaph. text. 1. cum ait principia tot modis dici, quot causas, quod etiam 12. Metaph. text. 13. repetens ait: causas et principia esse quatuor. Et ex his probata manet minor nostri syllogismi.

Contra hanc tamen conclusionem objici potest *primo:* nam in quibusdam mutationibus non videntur haec omnia reperiri, ut cum duæ guttæ aquæ uniuntur, præterea cum aliquid per emanationem profluit a re in eodem instanti quo producitur, quomodo passiones dicuntur profluere a re, tunc in tali actione non reperitur privatio; neque enim supponitur prius tempore subjectum privatum forma, siquidem simul tempore producitur cum subjecto. *Secundo:* Aristoteles 1. Phys. text. 66. duo tantum ait esse principia, materiam et formam; præterea text. 50. ait principia debere semper manere, forma autem et privatio non semper manent. Principia ait non fieri ex aliis, cum tamen forma producta fiat ex opposita privatione tanquam termino ex Aristotele text. 47. Ergo non est principium. *Tertio:* principia rei naturalis debent esse realia. At privatio non est ens reale: ergo. *Confirmatur.* Privatio est ens rationis, ac proinde non est nisi actu concipiatur ab intellectu; at fieri potest ut nullus intellectus fingat in aliquo subjecto tale ens rationis: ergo illud non habebit privationem, ac proinde si mutetur tale subjectum, non concurret privatio ad istam mutationem.

Ad primam objectionem respondeo: cum aquæ illæ continuantur producitur unio quædam qua prius carebant duæ illæ guttæ, ac proinde fuit privatio, forma vero producta est ipsa unio, subjectum sunt partes aquæ. In illa vero productione passionum nulla est mutatio, ut qu. 1. De motu ostendam ex d. Thoma, cum non præsupponatur subjectum prius tempore quam forma producta, ac proinde nec præcesserit privatio in subjecto; hic vero loquimur de solis principiis transmutationis, principia autem aliarum productionum mox explicabimus.

Ad secundam: Aristoteles illo text. 66. principia rei genitæ dicit esse duo, quod verum esse mox dicemus, non vero principia mutationis. Illud vero quod text. 50. dicit, varie explicant peripatetici. Ego cum Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 4. sect. 3. ad 7.,

Simplicio 1. Phys. text. 50., Conimbricensibus quos citavi qu. 2. initio, existimo, solum velle Aristotelem dicere, principia semper in omni mutatione debere reperiri, seu quod idem est, manere semper in transmutatione; non vult autem Aristoteles, nulla principia in particulari posse desinere esse, vel principium alicujus mutationis in particulari semper manere, cum formæ singulares multæ corrumpantur, sed solum: hæc principia in genere sumpta manere. Quomodo autem dicantur principia non fieri ex aliis præcedenti quæstione diximus, scilicet tanquam ex partibus essentialibus, vel tanquam ex conjunctis per essentiam; forma autem non fit ex privatione tanquam ex principio sibi intrinsece conjuncto, sed tanquam ex termino a quo. Et privatio ut qu. præc. ad 2. dixi, solum est principium mutationis per quam fit forma, non ipsius formæ. Et ex his conciliantur quædam dicta Aristotelis, qui text. 42. ait: principia non fieri ex seipsis, cum sint contraria, videlicet tanquam ex principio componente alterum principium, vel tanquam conjuncto sibi per essentiam. Et text. 47. ait, omnia quæ fiunt, fieri ex contrario, tanquam videlicet ex principio mutationis per quam fiunt, non vero tanquam ex principio sui, neque enim opposita privatio est principium formæ positivæ, sed mutationis per quam fit forma. Alio modo conatur Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sect. 3. ad 2. hæc loca conciliare, sed non valde apte.

Ad tertiam respondeo negando antecedens. Licet enim principia componentia rem realem debeant esse realia, tamen principium mutationis quod est terminus a quo ipsius, non solum non debet esse ens reale, sed etiam impossibile est ut sit principium si sit aliquid positivum. *Ad confirmationem.* Nego privationem esse ens rationis simpliciter; nam ut disp. 3. ostendam, etiamsi nullus intellectus cogitet, materia destituta est forma quam non habet, ac proinde privata est illa. Sed de hoc plura ibi, ubi etiam explicabimus quomodo Aristoteles dicat privationem esse idem cum materia, ex hoc enim si absolute intelligitur, videtur colligi quod materia et privatio sint unum principium. Quodsi Aristoteles 1. Phys. text. 75. dicat ex privatione fieri rem per accidens, id non est contra dicta; neque enim vult Aristoteles privationem esse principium per accidens mutationis, cum in essentiali conceptu illius includatur, ut dixi; solum ergo vult, ut recte ibi Conimbricenses et cap. 9. qu. 8. art. 2. ad 2., ex materia cui accidit esse non ens, id est esse

privationem formæ, fieri aliquid. Accidit enim materiæ privatam esse hac vel illa forma, et ideo etiam text. 66. ait privationem esse accidens materiæ.

Dices 1-o: ideo forma est principium transmutationis, quia est terminus illius; sed compositum est terminus ultimus qui fit per mutationem: ergo erit principium. Respondent Conimbricenses 1. Phys. cap. 7. qu. 1. art. 6. ad. 4. compositum non esse principium, licet sit terminus, eo quod componatur ex aliis principiis, materia scilicet et forma, quod est contra rationem principii. Deinde nonnisi ille terminus ad quem est principium intrinsecum mutationis, per cujus productionem aliter se habet aliquid, quam ante, quod soli formæ convenit.

Dices 2-o: vel sunt principia mutationis hæc tria cum sunt, et sic cum privatio et forma simul non sint, non erunt principia; vel cum non sunt, et hoc videtur impossibile. — Respondeo: privationem esse principium mutationis quando non est, quamdiu enim est privatio, mutatio non est. Nec hoc est absurdum, sicut et finis est causa cum non existit. Forma vero est principium quando est; tunc enim est mutatio.

Et hæc de principiis mutationis naturalis, tam substantialis quam accidentalis. Nam ut ostendimus, tria sunt utriusque mutationis principia. Sicut enim compositum substantiale componitur ex materia et forma, ita accidentale ex subjecto et accidente. Sunt vero aliæ actiones quæ non sunt mutationes, quia non supponunt subjectum præcedens tempore quod per ipsam mutetur, ut creatio in qua res non mutatur sed incipit esse. Creationis ergo duo sunt principia, scil. res facta quæ est terminus ad quem, et negatio illius quæ est terminus a quo. Negatio inquam et non privatio, quia non supponit subjectum aptum, quod tamen ad privationem est necessarium. Similiter conservatio per quam materia v. gr. conservatur a Deo, est actio per quam res de non existente tali tempore, fit existens tali tempore sequenti. Et ideo ejus principia sunt esse tali tempore, in quo ante non fuerit. Et idem est de aliis actionibus quæ non sunt mutationes.

Dico tertio: Duo tamen sunt principia compositi naturalis, seu rei genitæ, materia scil. et forma; ita Aristoteles text. 66. et 67. et sæpe alias cum ait, principia partim esse duo, partim tria. Unde licet tria sint principia transmuationis, seu rei naturalis in fieri, in facto esse tamen sunt tantum duo. Cum autem dico duo esse

principia, non intelligo duo numero, aut specie; ut enim initio dixi, quot sunt diversæ formæ, tot sunt principia diversa species, sed tantum volo, duo esse principiorum genera in quolibet ente naturali, materiam scil. et formam. Probatur: compositum naturale constat duabus partibus, forma scil. producta et subjecto ejus quod præfuit sub alia forma. Ergo hæc duo sunt principia compositi naturalis. Hæc autem sunt prima principia, siquidem ex aliis non componuntur. Nisi enim admittatur processus infinitus in principiis, dari debet forma et materia quæ non componatur ex aliis principiis, ut qu. 1. dicto, 3. ostendi[1]. Quod vero privatio non possit esse principium, manifestum est. Cum enim sit non ens, componere non potest ens reale. Et præterea, cum opponatur formæ, ea adveniente tollitur privatio, ita ut simul esse non possint. Ergo cum forma sit principium componens compositum, privatio non poterit esse, partes enim componentes aliquod ens actu, debent esse actu.

Objicies tamen *primo*. Corpus naturale non est sola natura, sed compositum quoddam ex natura et subsistentia: ergo cum sola natura componatur ex duobus illis principiis, scilicet materia et forma, addi debet tertium principium corporis seu compositi naturalis, scilicet subsistentia. Nec refert si dicas, subsistentiam non esse principium, cum enim pendeat tanquam modus a natura, est a natura tanquam a principio: ergo non est primum, et consequenter nec principium. Contra enim est, nam etiam forma corporea pendet a materia, hæc tamen dependentia non tollit quominus sit principium: ergo similiter etc. Et ratio utriusque est. Cum enim aliquid dicitur primum principium, non est necesse ut sit primum simpliciter in omni genere, nam materia etiam in genere causæ essentialis pendet a Deo, dicitur tamen primum principium, quia in genere causæ materialis est prima, cum non componatur ex alio subjecto ut qu. 2. dixi, sed alia componantur ex ipsa. Similiter forma meterialis pendet a subjecto, hoc tamen tantum facit ipsam non esse primum principium materiale, non tamen tollit quominus sit

[1] Hoc idem argumentum hisce aliis verbis repetit auctor: Probatur. Nam imprimis quod hæc duo sint principia evidens est ex dictis. Ostendimus enim qu. 1. dari aliquod subjectum quod recipiat formam genitam et corruptam, et ipsum non sit in alio. Similiter ostendimus dari aliam partem in composito etiam substantiali, quæ in illo subjecto recipitur, quam vocamus formam. Ergo cum ista non componatur ex alia forma, sicut nec subjectum ex alio subjecto, sed potius ex illis componantur alia, erunt principia. Quod vero non componantur ista ex aliis principiis patet. Nam vel daretur processus infinitus, vel veniendum est ad aliquam primam formam et primum subjectum quod non componatur ex aliis.

primum in suo genere, scilicet in genere causæ formalis. At eodem modo subsistentia est independens in suo genere: ergo. *Secundo:* unio substantialis non minus est de ratione compositi substantialis quam materia et forma, et est aliqua entitas distincta physica a materia et forma: ergo est tertium principium compositi.

Respondent aliqui. Unionem hanc non esse principium, sed se tenere ex parte materiæ et formæ, quæ non sunt principia componentia simpliciter sed ut unita. Contra est tamen, quia etiam materia non est principium componens rem naturalem nisi habeat in se formam, et tamen est principium: ergo similiter, licet materia et forma non sint principia nisi sint unita, si tamen unio ipsam compositionem physicam corporis naturalis ingreditur, erit illius principium.

Ad primam respondeo: subsistentia est principium suppositi naturalis, nam ex materia et ejus subsistentia partiali componitur subsistens incomplete, comprehenditur tamen sub forma, quia informat partes præcedentes, et ideo in genere duo tantum sunt principia materia et forma, Verum tamen est, quod principia hujus compositi v. gr. subsistentis, non sint simplicia, natura enim quæ cum subsistentia componit suppositum, composita est. Et idcirco Aristoteles cum solum agat de principiis simplicibus, non agit nisi de principiis quæ naturam et essentiam rei constituunt, non vero de principiis rei subsistentis, quæ sunt natura et subsistentia.

Ad secundam: etiam unio est forma quædam, et ideo principium uniti, sed non diversum a forma in genere.

QUAESTIO QUARTA.

An principia debeant esse contraria.

Postquam Aristoteles text. 42. definiverat principia, ostendit illam definitionem convenire primis contrariis[1]. Et text. 43. inductione probat omnia quæ fiunt fieri ex contrariis primis, et ita concludit prima contraria esse principia. Difficultas ergo est, ut explicetur quæ sit et qualis hæc oppositio et contrarietas principiorum, positi-

[1] Prima enim contraria non fiunt ex aliis, cum enim inquit text. 48. omnes consentiant omnia fieri ex contraris si prima contraria fiant ex aliis, non erunt prima. Nec fiunt prima contraria ex se mutuo, quia unum contrarium non fit ex alio tanquam parte scil. componente vel conjuncto per essentiam, licet fiat ex alio contrario tanquam termino a quo, ut qu. præced. dicto 2. diximus ex Aristotele et docent interpretes in text. 43.

vane an privativa. Sermo autem hic est de solis principiis rei in fieri, nam principia in facto esse, certum est non esse contraria. Nam ex principiis in facto esse componitur ens naturale essentialiter; at ex contrariis et mutuo se excludentibus nil componitur essentialiter.

Dico primo.: Principia mutationis debent aliquo modo esse opposita; non est tamen necesse ut sint opposita positive, sed solum privative. Dixi *mutationis*, nam ut infra dicam, principia compositi naturalis non possunt esse opposita. Primum patet auctoritate Aristotelis loco citato, qui text. 48. fatetur omnes antiquos in hoc consentire, et idem Aristoteles 1. De generat. text. 50. et 52. ait, nullam plane futuram actionem, nisi fiat aliqua contrarietas. Ratio est, nam opposita sunt quæ se mutuo expellunt ab eodem subjecto; sed terminus a quo et terminus ad quem transmutationis ita se habent, et sunt principia transmutationis:[1] ergo. Quod vero principia transmutationis non necessario debeant esse positiva latius ostendetur disp. De motu qu. 3., hic breviter probatur. Licet enim in mutationibus naturalibus per quas producitur aliquid habens contrarium positivum, semper unum contrarium expellat alterum, ac proinde videri posset, in his mutationibus terminum a quo esse positive contrarium termino ad quem, tamen hoc non esse necessarium ad omnem mutationem qu. præcedenti ostendimus. Nam in aëris illuminatione, in productione specierum etc. certum est non concurrere terminum a quo positivum qui expellatur; similiter quando ex ligno fit ignis, proditur forma ignis, et tamen nihil habet contrarium si verum est quod Aristoteles cap. de Substantia et 5. Phys. text. 10. et hic text. 52. ait, substantiæ nihil esse contrarium. Ergo cum prima principia transmutationis debeant esse universalissima ut qu. 2. diximus, et in omni mutatione reperiri, forma contraria positive termino producendo, non erit principium. Ratio a priori est: nam ut aliquod agens possit producere formam aliquam in subjecto, sufficit illam prius non fuisse et tamen posse recipi in subjecto, nec est necesse ut sit in passo forma aliqua positiva repugnans formæ producendæ, nam etiamsi lignum non habeat frigus nec calorem, adhuc tamen possit ignis in illo calorem producere, ut recte Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sect. 1. in fine, maxime cum forma opposita resistat potius agenti et impediat

[1] Nam qu. 3. ostendimus, privationem esse necessariam ad omnem actum naturalem, cum naturaliter id quod existit non possit produci.

productionem formæ de novo, quam eam juvet. Sufficit ergo, si extrema requisita necessario ad mutationem sint opposita privative. Ex quo fit, formam positive contrariam non esse per se necessariam, ac proinde nec principium per se mutationis, sed tantum per accidens, quatenus contingit ut plurium, ut ubi est privatio, sit etiam forma contraria, siquidem privatio in formis habentibus contrarium, causatur in subjecto a forma positiva, et ideo Aristoteles ait text. 43. album fieri ex non albo, non ex omni, sed ex nigro vel medio. Eodem modo dicendum est, frigidum fieri ex non frigido per se, licet hoc non frigidum sit calidum.

Quod denique Aristoteles solum voluerit principia hæc debere esse privative opposita, patet ex text. 58. 64. et 69. ubi formæ contrarium principium ait esse privationem, ut recte Conimbricenses 1. Phys. cap. 5. qu. 2., Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sec. 2. notarunt. Et ratio est, quia accidit ut contrarietas positiva reperiatur inter terminos mutationis, sine illa enim posse esse transmutationem ostendimus; ergo talis oppositio non est principium per se, sed per accidens necessarium ad mutationem.

Dices: Aristoteles frequenter assignat contraria positiva pro principiis, ut text. 41. 43. etc.; ergo male dicimus solum esse opposita privative. Deinde cur opposita privative dicit prima contraria Aristoteles text. 56. etc., cum tamen ut disp. 9. in Prædic. qu. 1. dicto 3. ex Aristotele ostendimus, prima oppositio sit contradictoria. Respondeo: privatio ut dixi in formis habentibus contrarium, causatur in subjecto a forma contraria positive, quæ nobis sensu ipso cognita est, et ideo de illo termino a quo, tanquam nobis sensu ipso notiore, sæpe loquitur Aristoteles, quamvis talis terminus, cum non sit in omni mutatione necessarius, non sit per se, sed per accidens necessarius ad mutationem, quatenus scilicet mutatio est ad formam habentem contrarium. Unde sæpe alias Aristoteles assignat terminum mutationis privationem, ut cum text. 61. ait ex immusico fieri musicum etc., et text. 44. ostendit se loqui de contrario positivo ratione privationis adjunctæ; ita ut terminus a quo, sit principium quatenus habet adnexam privationem termini ad quem. Vocat autem oppositionem privativam propter contrarietatem, seu quod idem est, oppositionem, quæ scilicet possit esse in transmutatione; contradictoria autem oppositio non potest esse in mutatione, nam contradictio tollit ipsum subjectum (si enim illud non tollat, sed tantum sit negatio formæ in subjecto, non distinguitur

a privatione), ac proinde cum agentia naturalia ex nihilo non producant, opposita contradictorie non possunt esse termini mutationis.[1]

Dico secundo: Non omnia principia transmutationis debent esse opposita, sed præter duo principia opposita dandum est unum subjectum, quod illis subjiciatur; ita Aristoteles 1. Phys. text. 52. 64. et sq., 8. Metaph. text. 4., 12. Metaph. text. 7., Plotinus Enneade 2. cap. 9. quod et antiquos omnes admisisse testatur Aristoteles 1. Phys. text. 53. Primum patet. Nam omnia principia rei genitæ sunt principia etiam generationis, licet non contra; sed principia rei genitæ non possunt esse contraria: ergo nec omnia principia generationis. Secundum vero probatur, quia si agens ad hoc ut aliquid producat non requireret subjectum, posset statim producere rem ex nihilo, etiamsi nihil esset in quod ageret; at ex nihilo nihil fieri physici omnes concesserunt teste Aristotele text. 33. et qu. 1. ostendimus. Deinde aliqua accidentia remanere communia genito et corrupto ibidem ostendimus, ut cicatricem, organisationem etc., et tamen nisi maneret subjectum commune, nulla accidentia remanerent, cum hæc nec sine subjecto esse possint, nec migrare de subjecto in subjectum. Denique ipsum compositum substantiale habet principia ex quibus componitur, ut patet in homine qui præter animam rationalem habet aliam partem, et idem est de aliis. At ista principia non possunt esse contraria quæ se mutuo pellunt: ergo præter duo contraria principia debet dari subjectum commune. Unde temere Sextus Empiricus lib. 3. Pyrrhonicarum Hypotiposeon cap. 4. ait prodigiose concedi materiam quæ sit subjectum expers omnis qualitatis. Et ex hactenus dictis, et dicendis in 2. Phys. de creatione apparet latum discrimen inter mutationem naturalem et creationem. Mutatio enim et generatio semper aliquod subjectum requirit ex quo res dicatur fieri; creatio vero nullum plane subjectum requirit, et ideo per eam res fit ex nihilo non solum tanquam ex termino a quo, sed etiam tanquam ex subjecto, unde per creationem tota entitas rei producitur, per generationem vero compositi solum producitur forma quæ cum alia parte præexistente compositum constituit. Vide Pererium lib. 5. cap. 5.

[1] Dices: si privatio esset terminus a quo et contraria formæ productæ, sequitur ex quolibet fieri posse quodlibet, contra Aristotelem text. 43., nam omnia habent privationem formæ producendæ. Respondeo: proxime non posse fieri ex quolibet, remote tamen et post multas transmutationes bene potest.

Disputatio II.

DE PRIMA RERUM NATURALIUM MATERIA.

Egimus de principiis in universum, nunc de singulis in particulari superest ut agamus. Imprimis quidem de materia seu primo subjecto, de quo fuse Aristoteles 1. Phys., tractationem vero de forma Aristoteles ad Metaphysicam rejicit. Licet enim revera a physico considerari debeat forma quatenus est principium rei naturalis, quia tamen ejus exacta cognitio multa supponit metaphysica, idcirco Aristoteles hoc loco ejus tractationem prætermisit. Sit igitur

QUAESTIO PRIMA.

An sit materia prima.

Multiplex est vocis materiæ significatio optime notat Franciscus Piccolomini lib. 1. De materia cap. 1., Pererius lib. 5. cap. 3., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 1. sect. 1. Imprimis enim quædam materia dicitur *in qua,* quomodo subjectum dicitur materia accidentium, ut ait Aristoteles 8. Metaph. text. 12. ubi accidentium non esse aliam materiam quam subjectum docet. Quædam materia dicitur *circa quam*, qua ratione qu. 2. procemiali in Logicam initio diximus ex 1. Poster. text. 2. et 25. objectum scientiæ dici materiam. Quædam denique dicitur materia *ex qua,* res scilicet componitur, quomodo partes dicuntur materia totius 7. Metaph. text. 35., 5. Metaph. text. 3. et propositiones materia syllogismi, ut 2. Phys. text. 31. et 3. De anima text. 11. Secundo alia est materia *metaphysica,* quomodo genus dicitur materia respectu differentiæ, ut 5. Metaph. text. 33. et locis citatis disp. 2. De universalibus qu. 2. dub. 7. in fine. Alia *physica*, de qua hic agimus. Tertio alia est materia *intelligibilis*, scilicet quantitas, alia *sensibilis,* quæ scilicet subjecta accidentibus sensibilibus percipi sensu potest, quam divisionem late explicavimus disp. ult. in Logica qu. 1. dub. 2. in 2. sententia. Quarto alia est *materia prima,* alia *secunda,* ut colligitur aperte ex Aristotele 8. Metaph. text. 11. ubi ait aliam esse materiam communem omnibus, aliam propriam cujusque. Illa est ait Fonseca

subjectum formæ substantialis, diciturque prima, vel quia non composita ex alio priori subjecto, vel quia est subjectum primæ formæ, scilicet substantialis. Hæc vero inquit, idem est compositum substantiale quatenus subjectum formæ accidentali, diciturque secunda materia, quia composita est ex primo subjecto seu prima materia; vel certe ut ait Pererius, materia prima est subjectum primum informe, omnibus formis spoliatum, materia vero secunda, eadem materia informata aliqua substantiali forma quæ tamen possit adhuc informari alia forma substantiali. Magis usitata tamen vocabuli acceptione, materia prima dicitur, ut volebat Pererius, subjectum primum secundum se, quatenus omnibus formis spoliata consideratur; eadem vero materia vestita qualitatibus dicitur secunda. Quinto materia ex qua, alia est *proxima,* alia *remota* ex 9. Metaph. text. 12., 8. Metaph. text. 11. et 5. Metaph. text. 5. Illa est, quæ tantum unica eget transmutatione ut in aliquid aliud convertatur, quomodo sanguis dicitur materia carnis. Hæc vero, quæ pluribus eget mutationibus, quomodo cibi dicuntur materia remota carnis, ossis etc. Materia vero remota dici solet *universalis,* quia indeterminata est ad plures formas recipiendas; proxima dicitur *partialis,* quia jam determinata est per dispositiones ad aliquam distinctam formam. Nos in præsenti solum agimus de prima materia physica.

Hæc autem materia physica variis nominibus appellatur ab antiquis, ut præter Pererium loco cit. docent Fonseca. 1. Metaph. cap. 7. qu. 3. sect. 9., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 2. art. 3., Toletus 1. Phys. qu. 18.[1] Dicitur enim chaos sive confusio 12. Metaph. text. 9. quia formas rerum continet in sua potentia, et ideo rerum omnium veluti confusio est in illa; dicitur silva, ut enim silva ad formas artificiales est in potentia, ita materia ad omnes formas; dicitur mater, massa, origo, elementum rerum omnium, et ab Augustino 12. Confess. cap. 7. propter ejus imperfectionem dicitur prope nihil. Ex omnibus tamen nominibus quæ fere sunt metaphorica, duo tantum sunt in usu, nempe materia et primum subjectum, quæ idem plane significant, licet Pererius et alii nescio quam distinctionem inter hæc comminiscantur, sed diverso modo. Nam ex Themistio 1. Phys. text. 61. Simplicius text. 57. ubi refert Alexandrum, materia dicitur respectu formarum absentium, subjectum respectu præsentium, quod et Zabarella lib. 1.

[1] Piccolomini lib. 1. De materia cap. 2. enumerat 24 nomina materiæ, ubi dicitur materia quasi mater rerum, et dicitur 3. Phys. text. 27. panspermium i. e. commune seminarium.

De materia cap. 6. in fine habet. Pererius vero loco cit. ait, materiam dici ratione formæ substantialis, subjectum ratione formæ accidentalis, quia ait nec accidentia proprie habent materiam, sed subjectum ex 8. Metaph. text. 12., nec substantiales formæ sunt in subjecto, ut præter Aristotelem in capite De substantia, docet Alexander libr. 11. Natural. cap. 17. Sed revera hoc non obstat quominus sententia Themistii sit vera, nam sæpe etiam formæ substantiales dicuntur esse in subjecto, ut 2. Phys. text. 4., et 1. Phys. text. 82. dicitur materia subjectum omnium. Verum est, non proprie dicitur forma substantialis esse in materia inhæsive ut disp. 3. qu. 3. dicetur, quia ut recte Simplicius in cap. 2. Antepræd., d. Thomas 2. De anima text. 4. subjectum inhæsionis denominatur ens aliquod completum, materia vero ut subjicitur formæ substantiali non est ens completum.

Iam ergo in præsenti quæstione præter Parmenidem et Melissum disputatione præcedenti citatos, qui negantes compositionem substantialem negabant consequenter materiam primam, aliqui apud Soncinatem 7. Metaph. qu. 16. ajunt, materiam primam esse ens rationis, quibus favet Vallesius citatus disp. 1. qu. 1. Imo quidam existimant hoc ipsum docuisse Lactantium, Theodoretum et Justinum Martyrem, qui tamen revera non ita sensere. Nam Lactantius lib. De origine erroris cap. 9. non negat materiam, sed tantum probat eam non esse Deo coæternam. Theodoretus etiam in Epitome divinorum decretorum lib. 1. cap. 5. de materia solum negat, eam præfuisse ante mundi generationem. Justinus autem in Apologia 2. et alibi expresse admittit materiam, in libello autem contra Aristotelem tantum conatur ostendere, Aristotelem non recte explicasse materiam primam. Sed cujuscunque sit hæc sententia, probatur primo: nam quod nullam habet formam, nusquam est; at materia prima nullam habet formam, ut omnes fatentur: ergo. Secundo ex 7. Metaph. text. 8. materia non est aliquid eorum quæ sunt in prædicamentis: ergo nihil est. Confirmatur. Si materia esset aliquid, ea quæ fiunt, fierent ex illa, ac proinde fierent ex aliquo ente quod negat Aristoteles 1. Phys. text. 77.

Dico tamen dari materiam primam, seu subjectum primum commune omnibus rebus corruptibilibus; ita Aristoteles sæpe et citati a Conimbricensibus 1. Phys. cap. 9. qu. 1. art. 1., Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 2. sect. 1., Pererius libr. 5. cap. 4., Toletus 1. Phys. qu. 12., Gregorius 2. dist. 12. qu. 2. ad 1. et scho-

lastici ibi.[1] Verum quia conclusio ista tres habet partes, quarum prima est quod detur materia, secunda quod hæc debeat esse prima, i. e simplex nec composita ex alia priore, tertia denique quod sit communis omnibus rebus corruptibilibus, probo singulas.

Prima ergo pars probatur facile ex dictis disp. præcedenti qu. 1. Nam ut ibi ostendimus, præter mutationes accidentales in quibus aliqua accidentia de novo producuntur, datur etiam mutatio substantialis. Quando igitur producitur ignis, ut recte Gregorius citatus art. 1. conclus. 1. arguit, aut aliqua ejus pars præfuit ante generationem, aliqua vero non præfuit, aut totum præfuit, aut nihil præfuit. Non secundum, quia quod est, naturaliter produci non potest, ut disp. præcedenti qu. 3. dicebamus, et latius ostendam 2. Phys. disp. 3. qu. 8. et docet Aristoteles 5. Phys. text. 8. ubi id generatur ait quod non est, scilicet antequam generetur. Nec tertium quia sequeretur ex nihilo esse productum, quod de facto non fieri ostendimus disp. præced. qu. 1. Si enim ex nihilo posset res naturalis producere aliquid, etiamsi nulla substantia nec ulla omnino res corrumperetur, adhuc posset producere, et cum agens naturale necessario agat positis omnibus requisitis, sublatis quibuscunque aliis rebus corrumpendis produceret suum effectum, quod tamen inductione et experientia constat esse falsum. Confirmat Gregorius. Nam si ex nihilo producerent agentia naturalia: ergo id quod corrumpitur ante productionem alterius rei, solum esset ad impediendam actionem agentis, ut vel non agat, vel agat tardius, et per consequens eo non posito facilius ageret ipsum agens. Quæ ratio bona est, addita refutatione propositionis quam loco citato attulimus, ubi fusius hoc probatum est. Relinquitur ergo quod aliqua pars ejus quod producitur præfuerit in ipso corrupto, et hoc vocamus materiam, et alia non præfuerit, scil. forma. Ratio a priori est limitata ac finita vis activa naturalium agentium, quæ ex nihilo producere non possunt, quamvis ut loco citato diximus, vix sit argumentum efficax ad probandum non posse dari agens majoris perfectionis rebus jam existentibus, quod scilicet possit

[1] Suarez agit de his disp. 13. Metaph. sect. 1. ubi imprimis probat dari aliquam materiam seu subjectum aliquod. Nam certum est fieri aliquam mutationem per quam de novo aliquid producitur, ut disp. 1. qu. 1. diximus. Ergo cum nulla mutatio naturalis fieri possit nisi manente subjecto communi, datur materia. Quod tamen detur materia substantialis ait n. 12. non potest probari nisi probata mutatione substantiali, quæ probanda est ex eo quod detur forma substantialis, quod alibi probat, ubi nos examinabimus an recte probet.

Piccolomini lib. 1. De materia cap. 3. sexdecim capita adfert necessitatem materiæ indicantia.

creare. Confirmatur. Nam una re producta alia corrumpitur: ergo inter illa datur aliqua incompossibilitas, alias enim non necessario corrumperetur unum altero producto. At si non daretur subjectum commune ratione cujus sint formæ incompossibiles, explicari non posset cur sint incompossibiles. Nam hujusmodi res non sunt ita incompossibiles, ut utraque simul esse non possit in rerum natura, siquidem individua earundem specierum simul existunt ut ignis et lignum. Incompossibilitas in loco non facit ut unum corrumpatur altero adveniente, sed tantum ut loco cedat. Nec est ulla incompossibilitas ratione individuationis inter has res, cum non appareat cur individuatio unius, debeat alterius individuationem corrumpere. At vero si datur subjectum commune facile explicatur formarum incompossibilitas. Nam si una repleat capacitatem materiæ, et eam expleat, altera non potest eodem tempore esse in materia cum jam adæquatum actum habeat materia.

Secunda pars conclusionis probatur optime a Fonseca loco citato argumento Aristotelis 2. Metaph. text. 5. et 12. Nam ex dictis constat debere dari subjectum aliquod formarum productarum. Vel igitur tale subjectum habet aliud subjectum cum quo componat, vel nullum, ac proinde est primum subjectum. Si secundum, habemus intentum. Si primum, rursus quæro: subjectum hujus subjecti vel est simplex, vel non; et sic aut veniendum est ad primum subjectum, quod volumus, aut in infinitum progrediendum et sic infinitæ dabuntur formæ et materiæ, quod 2. Phys. refellemus. Confirmatur. Nam si una materia componatur ex alia: ergo esset forma illius, non accidentalis: ergo substantialis.

Tertia pars probatur. Nam videmus omnia corruptibilia posse ad invicem transmutari mediate vel immediate; at si materia non esset communis omnibus formis corruptibilibus, id fieri non posset. An autem sint, vel esse possint prima subjecta seu materiæ specie distinctæ qu. 5. explicabimus.

Ad primum in contrarium respondeo. Major absolute falsa est, nam angelus et anima rationalis etc. nullam habent formam, et tamen sunt. Deinde materia nunquam est sine forma, et ideo esse potest. *Ad secundum.* Materia non est ens completum physice, quale solum reperiri in prædicamentis ostendimus in Logica. Ea vero quæ fiunt ex materia, non fiunt ex ente perfecto, sed imperfecto, quale est materia prima.

QUAESTIO SECUNDA.

Quid sit materia prima, ubi an habeat entitatem et existentiam realiter distinctam a forma, et an sit pura potentia.

Aristoteles materiam primam (cujus cognitionem admodum difficilem esse ait 7. Metaph. text. 35. ubi per se ipsam incognitam esse dicit) dupliciter describit, ut recte Pererius lib. 5. cap. 11., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 1. art. 1. Primo per negationem 7. Metaph. text. 8. ubi ait materiam esse, quæ nec est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum quibus ens determinatur. Ratio autem cur hoc modo describatur est, quia non habet accidentia sensibilia propria per quæ formare possimus conceptum ejus proprium. Cujus descriptionis sensus est: materiam non esse quid, id est formam substantialem a qua res dicitur quid simpliciter, vel certe non esse compositum substantiale in aliqua specie completa constitutum, quo sensu etiam 8. Metaph. text. 3. dicit materiam non esse quod quid actu, sed potentia esse quod quid. Nec esse quale, id est qualitatem a qua res dicitur qualis, vel certe compositum accidentale ex qualitate etc., et eadem est ratio de aliis prædicamentis. Materia enim non est aliquid compositum ex his, sed est quoddam ens imperfectum, et in potentia ut ex ipsa fiat quid, quantum etc., id est compositum substantiale et accidentale. Secundo describit materiam primam 1. Phys. text. 82. esse subjectum primum ex quo aliquid fit, cum insit, et non secundum accidens. Dicitur *subjectum;* nam materia prima est subjectum circa quod ipsum agens operatur, est subjectum in quo recipitur forma producta, subjectum ex quo fit compositum. Dicitur *primum;* quia non habet aliud subjectum prius ex quo componatur, per quam particulam excluditur quantitas, quæ multorum accidentium est subjectum, non tamen primum, quia et ipsa inest materiæ. Similiter excluduntur elementa ex quibus fiunt mixta; nam elementa composita sunt ex materia et forma. Dicitur *ex quo fit aliquid;* ut indicet materiam potissimum in productione rerum apparere, et se solum agere de materia quæ etiam sit principium transmutationis. Unde constat, secundum Aristotelem non esse materiam ubi non est transmutatio, seu fieri rei, siquidem materia debet esse id ex quo fit res. Dicitur *cum insit;* ut ostendat non tantum fieri rem ex materia, ac proinde esse subjectum non tantum generationis sed

ctiam rei genitæ, siquidem illa debet inesse rei genitæ tanquam componens illam. Dicitur denique *et non secundum accidens,* cujus particulæ adjunctæ causam non eandem omnes reddunt. Aliqui enim dicunt, per eam excludi privationem ex qua res fit per accidens, ut Conimbricenses citati; alii excludi accidentia quæ sunt in materia, ex quibus res non sunt per se. Sed cum hæc omnia exclusa sint per particulas præcedentes, existimo hanc particulam additam ad explicandam naturam materiæ, cui non accidit esse subjectum, sed hoc per se illi competit, quia natura sua ad hoc ordinatur. Addit Aristoteles in corruptione ultimam resolutionem fieri in materiam, non quod in qualibet corruptione substantiali illa sola remaneat ut volunt thomistæ citandi qu. 5., sed ut insinuaret ex partibus substantialibus nullam esse incorruptibilem præter materiam, ac proinde esse solam quæ remanet post quamlibet corruptionem, ubi cum solum loquatur de ultima parte substantiali, non negat quantitatem etiam posse remanere, in eam tamen non dicitur substantia corrupta resolvi, quia ex ea non componitur.

Dico primo: entitas materiæ primæ est non solum realiter, sed etiam essentialiter diversa ab entitate formæ; ita Pererius libr. 5. cap. 11., Soncinas 7. Metaph. qu. 19., Gregorius 2. dist. 12. qu. 1. art. 1. concl. 3., Gabriel ibidem, Zabarella lib. 2. De materia cap. 4. concl. 1., Suarez disp. 13. sect. 4. n. 5.[1] Est tamen contra Aureolum, quem ibi art. 2. refert Gregorius, qui existimavit materiam et formam in composito non esse duas entitates distinctas. Probatur: nam potest materia seipsa existere, corrupta forma a qua informatur, vel saltem separata ab illa ut patet in anima rationali. At quando ita se habent duo, ut uno realiter existente alterum desinat existere in rerum natura, idque non propter desitionem alicujus extrinseci, illa realiter distinguuntur, ut late ostendimus disp. 2. De universalibus qu. 2., et loco citato ait Soncinas. Ergo. Sicut ergo in composito accidentali sunt duæ entitates realiter distinctæ, subjectum scil. et forma accidentalis, ita in composito substantiali sunt duæ entitates realiter diversæ, materia et forma. An vero tanta sit distinctio realis inter ista, ut materia sine ulla penitus forma existere possit quæstione sequenti dicetur. Quod vero distin-

[1] Materia est ens reale probat Suarez disp. 13. sect. 4. n. 3. Si enim nihil est, nullum ens reale exstaret, et res dum corrumpitur et resolvitur in materiam, abiret in nihilum et ex nihilo fieret, et ita non deserviret ad evitandam perpetuam creationem et annihilationem rerum. Unde s. Augustinus 12. Conf. cap. 7. et 8. vocat non nihil, sed *prope nihil.*

guantur etiam essentialiter forma et materia, probatur. Nam materia est ingenerabilis, incorruptibilis, communis rebus omnibus materialibus, recipiens in se formas etc., quæ formæ non conveniunt, cum hæ et generentur, et sint cujusque rei propriæ etc. Ergo.[1]

Dices. Si materia est distincta a forma: ergo cum solus actus distinguat, materia habebit actum. Si respondeas, materiam carere quidem actu physico et informante, non tamen carere actu metaphysico scilicet differentia, habet enim genus et differentiam materia. Contra est, nam si habet differentiam; ergo habebit etiam genus quod dividitur per differentiam; ergo essentialiter componetur ex principiis, propter quod respondet Pererius loco cit. materiam et formam esse primo diversa essentialiter, sicut genera summa, nec in ullo genere convenire. Respondeo tamen, probabilius esse materiam et formam componi ex genere et differentia quod innuit etiam Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 2. sect. 1., nam in materia est ratio substantiæ incompletæ physice et partialis, ut mox ostendam, in qua convenit cum forma, et est ratio primi subjecti in qua differt a forma: ergo componitur ex genere et differentia, et qu. 6. circa 2. ostendam posse dari materias diversæ rationis essentialis inter se. Confirmatur. Nam omnes substantiæ physice completæ essentialiter conveniunt in ratione substantiæ completæ: ergo similiter omnes substantiæ physice incompletæ, essentialiter conveniunt in ratione substantiæ incompletæ. In Logica autem disp. 2. De universal. qu. 6. circa 2. dicto 4. ostendimus, nullam esse rationem quominus hujusmodi rationes communes per intellectum abstractæ etiam a substantiis partialibus, sint universales et genera. Ad replicam respondeo: materiam et formam non esse prima principia in compositione metaphysica, in qua genus et differentia sunt prima principia, sed tantum sunt prima in compositione physica, quia materia non componitur ex alia materia ut disp. præced. qu. 2. diximus.

Dico secundo: hæc entitas materiæ distincta a forma est substantia quædam partialis, incompleta et ordinatur natura sua ad componendam substantiam completam. Ita Bannes 1. De generat. cap. 3. §. Secunda objectio petit, et 1. part. qu. 66. art. 1. dub. 2.

[1] Alio modo probat Suarez hoc n. 9. et 10. tum quia manente eadem essentia materiæ potest abjicere hanc vel illam formam; tum quia materia habet aliquam essentiam, hæc non est forma, quia forma non componit ullo modo essentiam materiæ, cum hæc sit simplex et non composita, licet forma et materia simul componant essentiam compositi. Unde ait n. 12. quod licet actus det certam speciem completam, tamen materia ex se habet speciem incompletam physice.

conclus. 2. Et quod sit substantia, docet expresse Aristoteles 1. Phys. text. 79. ubi materiam ait esse prope et quodammodo substantiam, 2. Phys. text. 4. naturam ait esse substantiam ut est subjectum, et 7. Metaph. text. 8. si materia non est substantia, nec aliquid aliud erit substantia. Idem 8. Metaph. text. 3. et sequentibus, et 2. De anima text. 2., et sæpe dividit substantiam in materiam, formam et compositum. Idem Plato in Timæo, Suarez disp. 13. sect. 4. n. 4. Et denique conclusio tota est Pererii lib. 5. cap. 11., Toleti qu. 13., Soncinatis 7. Metaph. qu. 16., Gregorii loco cit. art. 1. concl. 2., et interpretum Aristotelis in 1. Phys. Et primo quidem quod materia sit substantia, probatur: tum quia materia est pars compositi substantialis, ex ea enim inexistente fit aliquid ut diximus; at substantia componi non potest ex non substantiis ut probat Aristoteles 7. Metaph. a text. 8. Tum quia, si non est substantia, erit accidens: ergo cum nullum accidens sit separatum ab omni subjecto ex cap. 4. Antepræd., erit in aliquo subjecto: ergo non est primum subjectum, siquidem et ipsa materia est in alio subjecto. Ratio a priori est: nam substantia abstrahens a totali et partiali physice est id omne quod non inhæret alicui, nec in alio sustentatur, sed per se existit; at primum subjectum nulli alteri inhæret: ergo est per se subsistens. Unde Aristoteles 7. Metaph. loco cit. primum subjectum ait esse maxime substantiam. Quod vero sit substantia incompleta, docet Aristoteles cum 1. Phys. 79. ait, quodammodo esse substantiam, et text. 81. ait esse sicut turpe quod appetit pulchrum, et 2. De anima text. 2., 7. Metaph. locis cit. ait esse partem compositi. Et ratio a priori sumitur ex dictis disp. præcedenti qu. 1.[1] Nam ex iis quæ videmus in homine, colligimus substantialiter uniri materiam cum anima rationali ad constituendam unam naturam humanam. Sed non posset uniri nisi esset substantia incompleta, quia duæ substantiæ completæ, unam tertiam componere non possunt. Et præter hoc ait Aristoteles 2. De anima text. 2. materiam secundum se non esse hoc aliquid, id est substantiam completam. Et ut supra diximus, 7. Metaph. text. 8. docet, non esse quid, id est substantiam

[1] Probat hoc Suarez disp. 13. sect. 3. n. 11. Si materia esset substantia completa id esset, vel quia haberet formam a qua compleretur sibi coævam, quod disp. 3. qu. 3. refutat; vel quia est simplex substantia completa ut angeli; at hoc modo non posset actuari ulla forma substantiali, nam ante erat species completa et infima: ergo non potest alterius speciei infimæ simul esse. Sicut enim substantia composita ex materia et una forma ideo non potest alia forma actuari, quia est ultimo actuata et in infima specie constituta: ita etc.

completam, nec quantum etc., quia ex sua essentia præcisa non habet quantum, sed per accidens. Ex quo ait videri posset alicui, solam materiam esse substantiam, reliqua ei inhærere, quod tamen non ita est ait, quia scilicet ut disp. 3. dicetur, formæ substantiales non inhærent: ergo. Confirmatur hæc pars conclusionis. Nam si materia esset completa substantia, cum sit communis rebus omnibus, res omnes eandem haberent substantiam, et ita tollendæ essent mutationes et formæ substantiales, ut tollebat Melissus, ac proinde omnia essent unum secundum essentiam.[1]

Ex his constat primo: delirasse quosdam qui apud Plotinum Enneade 2. lib. 4. cap. 1., div. Thomam 1. p. qu. 3. art. 8. et 1. Contra gent. cap. 17. ut late refert Pererius libr. 5. cap. 12. et Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. ult. existimarunt, Deum esse materiam primam. Cum enim Deus sit substantia perfectissima, nec potest componere unam essentiam cum ulla re, nec habet potentiam passivam ad mutationes recipiendas, quæ omnia repugnant materiæ primæ.[2] Secundo constat ex dictis, optime ostendi a Soncina loco cit. qu. 16. entitatem materiæ, etiam præcise sumptam a forma, non esse ens rationis, sed habere entitatem realem distinctam a forma. Nam reali entitate formæ corrupta, manet entitas materiæ, si enim et illa corrumperetur, res ex nihilo produceretur. Confirmatur. Nam quae diversis generationibus producuntur, sunt diversa ut ex Aristotele diximus in Logica disp. 2. De universal. qu. 2. Ergo cum forma generetur et corrumpatur, materia remanente, hæc necessario habebit entitatem realem diversam a forma. Et præterea, si entitas materiæ non est entitas realis distincta ab entitate formæ, nulla erit compositio realis physica, quæ non est, nisi ex entitatibus realibus, distinctis. Si enim distinctæ non sunt entitatis, nulla est compositio, cum tamen Aristoteles 8. Metaph. text. 15. dicat esse compositionem ex actu et potentia. Argumenta quæ contra hoc facere videntur dicto 4. dissolventur.

[1] Confirmatur 2. Materia est pars essentialis alicujus substantiæ et materiæ completæ, ut hominis: ergo non est integra substantia ut disp. 1. qu. 1. ostendimus. Dices: substantia Verbi est completa, tamen componit cum natura humana. Respondeo: subsistentia ut ratione distincta a natura, non est completa natura, sed potius complementum substantiale naturæ, nec est pars naturæ, ut materia, sed solum personæ.

[2] Materiam primam esse a Deo probat Suarez disp. 13. sect. 4. n. 15. Unicum est ens per essentiam et ab intrinseco necessarium, ut ostendimus probantes dari unum Deum. Illud ens non est materia prima, nisi hæc sit Deus: ergo est a Deo. — Solum autem produci potuit materia per creationem ait n. 16., ideoque dici ab Aristotele materiam esse ingenerabilem. Nam cum sit primum subjectum non potest fieri ex alio subjecto: ergo ex nihilo. — Addo tamen posse per transsubstantiationem.

Dico tertio. Non tantum habet materia entitatem propriam realiter distinctam ab entitate formæ, sed etiam existentiam propriam distinctam ab existentia formæ. Hæc conclusio est Scoti 2. dist. 12. qu. 1., Gregorii, Gabrielis ibi, Occam 2. qu. 7., Pererii 5. Phys. cap. 13., Toleti 1. Phys. qu. 13., Fonsecæ 5. Metaph. cap. 2. qu. 3. sect. 1. et 1. Metaph. cap. 7. qu. 3. sect. 8:, Conimbricensium 1. Phys. cap. 9. qu. 6. art. 2. quamvis contrarium sentiant Ferrariensis 3. Contra gent. cap. 4. et 1. Phys. qu. 11., Soncinas 7. Metaph. qu. 17. et. libr. 8. qu. 1., Zabarella libr. 2. De mat. cap. 4. concl. 2., Cajetanus cap. 5. De ente qu. 8., Sotus 1. Phys. qu. 6., Durandus 2. dist. 12. qu. 2. et 4. dist. 44. qu. 3. et ut videtur div. Thomas 1. p. qu. 7. art. 2. ad 3., qu. 66. art. 1., et 1. 2. qu. 4. art. 5. ad 2. qui constanter docet quod idem sit esse formæ et materiæ. Hanc conclusionem multis argumentis probant Juniores, sed magna ex parte inefficacibus si Thomistarum sententia intelligatur, qui existimant essentiam ab existentia realiter distingui in creaturis, ita ut præter entitatem quæ est essentia, in qualibet re detur quædam entitas per quam existat, quæ vocatur existentia. Ratio est, nam existentia non est de essentia rei creatæ, si enim esset de essentia, cum impossibile sit essentialia non convenire rei, non posset separari existentia a re creata, ac proinde nec corrumpi: ergo aliud est essentia ab existentia a parte rei. Ajunt igitur in quolibet composit unicam esse existentiam per quam existat, scil. formæ, quæ unita materiæ communicat illi suam existentiam ac proinde per existentiam formæ existit materia, sicut etiam dicunt per existentiam subjecti divini, existere humanitatem Christi.

His intellectis facile est videre omnia argumenta Juniorum contra Thomistas esse frivola. *Primo enim sic argumentantur.* Si materia non habet propriam existentiam: ergo corrumperetur et generaretur contra Aristotelem 1. Phys. text. 82. et rationem, quoniam si ipsa produceretur ex nihilo produceretur et in nihilum corrumpendo redigeretur. Consequentia probatur. Nam corrumpi aliud non est, quam amittere existentiam. At si materia existit existentia formæ, quando una forma corrumpitur, etiam existentia materiæ desinit esse[1]. *Secundo*: si materia existeret existentia formæ,

[1] Unde sequitur totum compositum ab agente naturali creari. Nam creare est communicare existentiam toti rei et omnibus ejus partibus; non enim alio modo Deus crearet v. gr. ignem At si existit materia existentia formæ, totum compositum recipit existentiam ab agente: ergo creatur.

non posset forma in sua existentia dependere a materia, et ita formæ corruptibiles separatæ a materia facilius possent existere, quam cum coguntur suam existentiam communicare etiam materiæ; quod si ita est, nulla forma erit corruptibilis, sicut anima rationalis non est corruptibilis. Propterea enim formæ corrumpuntur, quia excluduntur a subjecto, et adeo habent imperfectam existentiam, ut non possint sine eo existere. *Tertio:* cum materia sit subjectum formæ, quærunt: an id quod subjicitur, dum subjicitur, habeat aliquam existentiam. Et si dicatur habere, eo quod non possit esse reale subjectum quod non habet existentiam, tunc sic argumentantur. Vel enim habet tunc existentiam formæ corruptæ; et hoc non, cum jam illa existentia corrupta sit, nisi dicas simul esse formam quæ generatur et corrumpitur. Vel habet existentiam formæ quæ generatur; at hæc nondum est: ergo habebit existentiam propriam.

Sed revera, ut dixi, hæc omnia nullius sunt momenti, si ponamus existentiam distingui ex natura rei a re existente. *Ad primum* enim facile dicent Thomistæ, ut dicit Zabarella libr. 2. De materia art. 3. et 4., Bannez 1. De gener. cap: 3. §. Secunda objectio, ad 6. et Cajetanus citatus ab ipso 3. part. qu. 17. art. 2. ad 5. materiam non corrumpi ita ut entitas illius realiter distincta ab entitate formæ, desinat esse, sed tantum dicunt amittere unam existentiam, ita tamen ut acquirat immediate aliam, quæ æquivaleat præcedenti, quomodo si una columna cui domus tota innititur auferatur, sed alia substituatur æquivalens non propterea domus diceretur corrupta. Unde non qualiscunque amissio existentiæ, sed quam comitatur desitio entitatis rei, dicitur corruptio. Idem proportionaliter de generatione dicendum est. Instant aliqui. Ex hoc sequi etiam corrupto subjecto non corrumpi omnia accidentia quæ sunt in illo, ac proinde accidens poterit migrare et separari a subjecto, contra Aristotelem cap. 2 Antepræd. et 7. Metaph. text. 4. Probant sequelam. Nam ideo corruptis substantiis omnia corrumpuntur, ut ait Aristoteles cap. De substantia, quia pendent in sua existentia a substantia: ergo similiter, si materia pendet a forma, corrupta forma corrumpitur. Ad hoc tamen dici potest, quod sicut si subjectum accidentium auferatur, naturaliter corrumpuntur accidentia, ita et materia naturaliter corrumpitur ut qu. 2. dicitur. Et si subjectum accidentium totum corrumperetur, ita tamen ut eodem instanti aliud subjectum cui sint unita producatur, non corrum-

perentur accidentia, quia tamen agens naturale id facere non potest, nec accidens quod semel uni subjecto est unitum, alteri quod de novo producit, unire: idcirco non potest migrare accidens. At vero potest forma corrumpi ab agente naturali, et eodem loco nova produci quæ communicet existentiam materiæ[1]. — *Ad secundum:* adhuc posset dependere forma a materia in genere causæ materialis; nulla enim est ratio cur non posset, ut constabit magis ex dicendis disp. 3. qu. 3. — *Ad tertium.* Existit materia existentia formæ quam recipit, ita ut toto tempore præcedenti extiterit existentia formæ præcedentis, in instanti vero in quo novam formam recipit, existat nova existentia, et sicut nullo instanti materia destitur omni forma: ita nec omni existentia. — Aliqui Juniores admittentes existentiam distingui ex natura rei ab essentia, contra Thomistas sic argumentantur: existentia formæ debet uniri materiæ ad hoc ut per illam existat materia; vel ergo hæc existentia unitur seipsa materiæ, vel per unionem distinctam. Si seipsa: ergo ex natura sua est actualis unio talis existentia, ac proinde si semel unitur, necessario semper erit unita materiæ, et tamen contrarium videmus in anima rationali quæ aliquando est unita materiæ, aliquando non. Si non seipsa, sed per unionem distinctam unitur existentia formæ materiæ: ergo cum illa ipsa unio sit unita existentiæ ipsius formæ, per aliam unionem unietur, et sic in infinitum. Sed facile ad hoc dici potest, existentiam formæ uniri materiæ per unionem a se distinctam, hanc tamen unionem seipsa uniri existentiæ formæ et etiam existentiæ propriæ, sicut anima corpori unitur per unionem distinctam, hæc tamen unio seipsa connectitur et materiæ et formæ ut disp. 4. ostendemus.

Probanda igitur est hæc conclusio ex principio metaphysico, opposito principio Thomistarum, ut probat Suarez illo n. 13., quod scilicet essentia et existentia cujusque rei non distinguitur a parte rei sed per solum intellectum, ita ut non sint diversa entitas essentia et existentia, sed una et eadem penitus, quod principium latius ostendemus in Metaphysica. Nunc probatur breviter. Nam rem aliquam existere, non est aliud quam esse extra suas causas; unde eo ipso quod aliqua entitas concipitur sub ratione entitatis

[1] Ad illud de creatione responderi potest: creationem non in eo consistere quod communicetur existentia toti rei, sed quod res quæ ante non fuit, fiat actione indepente a subjecto etc. Actio vero agentis naturalis producentis formam pendet a materia in qua est tanquam subjecto etiam in illo instanti, in quo producitur forma.

extra suas causas, jam concipitur sub ratione existentis: ergo non oportet addere aliam entitatem per quam existat. Nam præscindendo entitatem essentiæ, ab entitate existentiæ (si hæc ab illa est distincta), illa entitas quæ est essentia, est extra suas causas, etiam ut distincta ab existentia; revera enim illa entitas ut distincta ab omni alia entitate est actualis et a parte rei, seu quod idem est extra suas causas et non in sola potentia causæ: ergo etiam ut distincta ab omni entitate quæ non est ipsa, est existens. Sicut ergo illa entitas, quæ est existentia, est a parte rei, et non per aliam entitatem (alias daretur processus infinitus), sed seipsa existit, quia est entitas extra suas causas: ita nos dicimus quamlibet entitam, etiam essentiæ seipsa esse extra suas causas, quod pluribus in Metaphysica.

Nec ratio in contrariam urget. Tum quia eodem argumento probari possit ipsam existentiam debere existere per aliam existentiam, aut. certe, sicut illa seipsa est extra causas et tamen non est de essentia illius existere: ita nos dicimus. Tum quia ut ostendi disp. 2. De univers.. qu. 2. dub. 3. ad 2. et latius dub. 6. ad 4. falsum est, ea omnia quæ sunt idem cum aliquo, esse de illius essentia. Nam ut ibi dixi, relationes divinæ sunt idem cum natura divina, non tamen de essentia illius etc. Etiamsi ergo existentia non sit res distincta ab essentia, adhuc tamen potest non esse de essentia rei.

Jam ergo probatur conclusio. Nam quælibet existentia est idem realiter cum re actuali; sed materia est res quædam actualis: ergo existentia ejus est idem realiter cum ipsa. Similiter existentia formæ est idem realiter cum entitate ipsius formæ. Ex quo evidenter sequitur, non esse eandem existentiam formæ et materiæ. Nam materia et forma distinguuntur realiter: ergo si eadem sit existentia et materiæ et formæ identificata, rebus realiter distinctis identificatur, cum tamen in rebus creatis universaliter verum sit illud: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, ut habet Aristoteles 3. Phys. text. 10. et 7. Top. loco 5. Ex quo constat esse implicationem dicere aliquid habere entitatem actualem distinctam ab alio, et non habere distinctam existentiam. Constat etiam, quod sicut compositum substantiale constat materia et forma, ita etiam existentia compositi est conflata ex duplici existentia partiali harum substantiarum[1] et præterea unione et consequenter ejus existentia,

[1] Confirmat Suarez: materia eandem entitatem realem habet sub forma geniti et compositi. Ergo et existentiam, quæ eadem est cum entitate. Sicut ergo ait essentia in compositis constat ex partialibus essentiis materiæ et formæ, ita integra existentia ejusdem componitur ex partialibus existentiis materiæ et formæ.

ut disp. 4. dicetur. Confirmatur conclusio. Nam quælibet entitas fit actualis ex vi actionis per quam producitur, per hanc enim exit extra causam et fit entitas actualis, qui est effectus formalis existentiæ. Sed materia prima producitur per solam creationem a Deo, non vero per generationem substantialem. Ergo per eam fit actualis entitas. At si acciperet existentiam ab hac forma quæ generatur, materia fieret actualis per generationem, per hanc enim actionem communicaretur existentia materiæ, qui est finis immediatus actionis, et ideo per illam actionem dicendum esset rem produci. — Aliqui volunt div. Thomam non sentire contrarium huic conclusioni. Cum enim ait, materiam non habere esse nisi totius, et illud accipere a forma, dicunt solum velle, materiam non habere existentiam per quam possit naturaliter sine forma existere. Nam sicut ipsa materia est ens incompletum, ita ejus existentia incompleta est, et simili ratione dicit div. Thomas 3. p. qu. 77. art. 1. ad 4. accidentia cum sunt in subjecto non habere proprium esse. Imo Quodlib. 9. art. 9. ait formas substantiales, accidentia et partes integrantes in toto, non habere proprium esse. Sed non multum laboro hic de mente div. Thomæ. — An vero materia habeat suam subsistentiam partialem propriam, in Metaphysica dicemus.

Dico quarto. Materia prima secundum se est pura potentia, ita ut nec sit actus, nec componatur essentialiter ex actu. Ita Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 3. sect. 7., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 3. art. 1., Suarez disp. 13. sect. 5. n. 1., Soncinas 7. Metaph. qu. 17., Javellus 7. Metaph. qu. 5., Sotus 1. Phys. qu. 6., Zabarella lib. 2. De materia a cap. 4 concl. 5., Plotinus Enneade 2. lib. 5. cap. 4. et 5. Quæ conclusio non ita debet intelligi quasi materia nullam habeat entitatem, aut etiam existentiam propriam, jam enim ostendimus habere, sed solum quod licet re ipsa habeat propriam existentiam, hæc tamen cum non sit de ejus essentia, non includit illam materia si secundum se consideretur, ut recte Fonseca eitatus sect. 8. in fine, sicut nec ullam formam substantialem vel accidentalem seu ullum actum physicum; atque ita, quamvis nunquam sit sine aliquo actu, eum tamen non includere tanquam aliquid essentiale.

Probatur conclusio primo auctoritate. Nam Aristoteles citatus a Fonseca hoc docet ut 1. Phys. text. 69. ubi materiam perinde se habere ait in genere rerum naturalium, atque lignum in genere artificialium, 1. De generat. text. 11. ait materiam non esse ens

actu, sed potentia et 8. Metaqh. text. 15. materiam vocat potentiam. Idem Averroës 5. Phys. com. 8.; idem Plato, Plotinus etc. citati a Conimbricensibus. Secundo ratione. Nam si materia secundum se non est pura potentia: ergo vel erit actus, vel habebit actum. Neutrum dici potest: ergo. Minor probatur. Nam si est actus: ergo erit actus alicujus subjecti, et ita non erit primum subjectum, vel certe primi subjecti erit subjectum. Si vero est habens actum: ergo componetur ex actu et potentia. Et si talis actus esset physicus, jam materia prima non esset primum subjectum, nec primum principium, sed illud esset primum subjectum quod talem actum reciperet. Si vero talis actus est metaphysicus, scilicet existentia: ergo cum illam non includat materia secundum se, seu secundum essentialia sua considerata, nullum includet actum, sed tota illius essentia in hoc consistit quod sit principium passivum, seu subjectum receptivum omnium formarum. Ex quo constat, materiam non solum esse puram potentiam physicam, hoc est nullam secundum se includere formam seu actum physicum a quo informetur, quod omnes concedunt[1], et hoc solum intendit Aristoteles cum illam ait esse potentiam, nec habere ullum actum[2], verum etiam actum metaphysicum existentiæ non includere secundum se[3], quamvis includat differentiam essentialem metaphysicam per quam a forma differt ut dicto 1. ostendimus, quæ differentia est actus quidam metaphysicus, essentialiter inclusus in natura materiæ, nec. div. Thomas aut Thomistæ negarent talem actum in materia. Unde in conclusione nostra solum volumus materiam esse puram potentiam physicam, id est ex se nullam formam physicam includere. Et præterea comparatione existentiæ, quæ est actus quidam metaphysicus, esse etiam puram potentiam secundum se, quamvis alios actus metaphysicos, scilicet differentias essentiales includat. Nec puto ullum contra hanc conclusionem sentire, ac proinde, si

[1] Ut late Bannez 1. p. qu. 66. art. 1. dub. 2. conclus. 2.

[2] Ratio Bannesii est, quia si ex se haberet actum physicum: ergo non posset alium actum substantialem recipere, cum non possint plures formæ simul esse, et quia quod advenit enti actu, sit accidens, omnisque generatio substantialis esset alteratio.

[3] Nec est necessarium ait Suarez n. 13. puram potentiam physicam compositam esse ex actu metaphysico. Ibidem n. 16. ait, a forma habere materiam ut constituat speciem completam, non tamen existentiam. Illud vero axioma: ex duobus actu non fit unum, etc. ait, intelligi de entibus actu completis in suo genere; illa enim non componunt unum per se. Materia autem non est ens completum et actu hoc modo. Dices: datur purus actus: ergo pura potentia. Respondet n. 18. Suarez, datur summum bonum, non tamen summum malum; ita non potest dari pura potentia, quæ actu exstat, nisi quis ratione aliqua generica dixerit esse puram potentiam etiam metaphysicam.

quæ est controversia inter auctores circa quæstionem qua quæritur: an materia prima sit pura potentia, puto esse de nomine, quamvis ortum duxerit ex quæstione de re quam dicto 3. resolvimus: an scilicet materia habeat propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

Sed contra hactenus dicta objicies *primo.* Ex duobus entibus in actu non fit unum proprie, sed solum ex actu et potentia ut docet Aristoteles 8. Metaph. text. 15.; ergo si materia est ens actu, non fit ex illa et forma unum per se. At si habet propriam existentiam, est ens actu: ergo. *Secundo:* omnis actualitas provenit a forma, quia forma et actus idem sunt. Ergo si materia habet propriam actualitatem distinctam a forma, includet formam, et sic erit composita ex actu et potentia. *Tertio:* si habet proprium esse et existentiam materia: ergo in substantia naturali est duplex existentia, materiæ scil. et formæ: ergo non habebit unum esse, et per consequens non erit unum per se. *Quarto:* datur summus actus qui nullam habet potentiam, scilicet Deus: ergo dabitur potentia quæ nullum habeat actum; hæc autem est materia, quæ imperfectissima est inter omnes res. *Quinto:* Aristoteles 1. De generat. text. 22. ait materiam eandem quidem semper remanere, esse tamen illius non semper idem: ergo mutatur ejus existentia per adventum formæ.

Ad primum respondeo: ex materia et forma fieri unum per se; nam compositio unius per se, non excludit quod sit compositio ex entitatibus actualibus distinctis; imo eo ipso quod compositio est realis, hoc postulat quod partes illius realiter distinctæ actu existant, cum simplicitas compositioni opponatur. Solum ergo compositionem unius per se impedit, quando illa quæ componunt sunt entia completa et totalia, vel saltem alterum illorum. At vero quando sunt incompleta, ita ut una pars componens sit potentia et inchoatio entis perfecti, altera vero consumatio et perfectio, si uniantur efficient unum per se, sicut etiam in compositione metaphysica genus et differentia constituunt unum per se.

Ad secundum respondet optime Scotus Quodlib. 9.: in rebus duplicem actum debere intelligi. Unum quo res recedit a nihilo et ponitur extra causas et dici solet actus entitativus seu existentia, et hunc habet et materia et forma proprium, ut ostendimus. Alterum quo res constituitur in specie completa, et hic dicitur actus physicus formalis, et hic actus est ipsa forma substantialis,

quæ adveniens materiæ simul cum illa constituit ens completum. Et ita cum dicunt auctores, esse a forma provenire, intelligendi sunt de esse integro et completo, quod non habet materia sine forma. Unde actualitas entitativa non provenit a forma, sed ab existentia, licet actualitas formalis sit a forma. Unde actus latius patet, quam forma.

Ad tertium. Sicut essentia integra compositi ex materia et forma conflatur, ita etiam existentia compositi integra constat ex duplici existentia partiali, nam quod Scotus dicit, diversam esse existentiam totius ab existentia partium, ex falso principio ortum duxit, quod scilicet totum distinctum sit re a partibus unitis, quod disp. 4. refellemus.

Ad quartum. Nego consequentiam; implicat enim dari potentiam receptivam sine actualitate saltem entitativa, alias destrueret seipsam; si enim est potentia receptiva realis, necessario est actualis. Sicut ergo, licet dari possit summum bonum, tamen summum malum dari non potest, quia malum semper fundatur in aliquo ente et bono: ita etc. Nec verum est materiam esse rerum omnium imperfectissimam; multis enim accidentibus perfectior est. Intra latitudinem tamen substantiæ verum est materiam habere infimum perfectionis locum, sed tamen eo ipso quod intra hanc latitudinem est, aliquam perfectionem habet, licet minimam.

Ad quintum. Aristoteles solum vult eandem quidem esse materiam realiter, sed habere diversum esse specificum a diversis formis, seu potius constituere diversam speciem cum diversis formis.

QUAESTIO TERTIA.

An materia possit existere sine omni forma.

Hæc quæstio præcedenti connexa est. Si enim materia habet propriam existentiam ut diximus, difficultas esse potest: an nihilominus tanta sit connexio materiæ et formæ, ut sine forma non possit existere materia.

Prima sententia est: materiam nec naturaliter, nec supernaturali Dei virtute posse existere absque omni forma. Ita Cajetanus cap. 5. De ente qu. 8., Ferrariensis 3. Contra gent. cap. 4., Iavellus et Soncinas 8. Metaph. qu. 1., Zabarella lib. 2. De materia cap. 2., Durandus, Capreolus, Argentina, Magister in 2. dist. 12., Vallesius

Controv. 7., Hugo de S. Victore lib. 2. De sac. p. 1. cap. 4[1]. Favet div. Thomas 1. p. qu. 66. art. 1. Probant hanc sententiam primo, quia impossibile est rem existere sine existentia: ergo etiam impossibile est materiam existere sine forma, cum existentia materiæ non sit alia, quam ipsa existentia formæ. Secundo probatur. Nam licet materia habeat propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, adhuc tamen certum est materiam pendere a forma, siquidem naturaliter existere non potest sine forma, ut mox ostendetur. Quo posito sic argumentantur: materia non potest dependere in sua existentia a forma, nisi in genere causæ formalis; sed genus causæ formalis non potest suppleri a Deo: ergo illa dependentia quam habet materia a forma, suppleri non potest a Deo sine forma. Deberet autem supplere illam Deus si materia existeret sine forma; quamdiu enim non suppleret, tamdiu materiæ deesset aliquid necessarium ad ejus existentiam. Major probatur. Nam certum est materiam non pendere a forma in genere causæ extrinsecæ, si enim ita esset, non deberet uniri materiæ ad hoc ut dependeat ab illa materia. Ergo in genere causæ intrinsecæ; non materialis, quia materia non dependet ab ullo alio subjecto: ergo formalis. Confirmatur: nam nullum est principium ex quo colligatur posse separatim existere. Ex eo enim quod realiter distinguitur materia a forma, id non colligitur, nam etiam figura ab extensione locali, ubi a re etc. distinguitur realiter, similiter unio ab extremis unitis et tamen non potest res esse sine omni ubi, nec unio sine rebus unitis ut infra ostenditur. Nec ex eo quod aliqua forma, scilicet anima rationalis existere possit sine materia, recte infertur etiam materiam posse existere sine forma. Nam anima rationalis non pendet a materia; at necessario materia pendet a forma: ergo. Confirmatur 2. Impossibile est ut aliquid sit sub genere et non in aliqua specie; sed si materia esset sine forma, esset in genere substantiæ, et in nulla specie.

Secunda sententia est Juniorum, qui negant materiam habere ullam intrinsecam dependentiam a forma, ita quod si divina virtute auferatur omnis forma a materia, et hæc suæ naturæ relinquatur, cum generali Dei concursu quo res omnes et materiam conservat,

[1] Alios vide apud Valentiam 1. p. col. 1229. et Bannez 1. p. qu. 66. art. 1. dub. 2. concl. 2. qui negat posse existere, addit tamen in ultima conclusione, quod si Deus suam existentiam communicaret materiæ, posset illam sine forma conservare. — Idem alii citati a Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. n. 2. et sect. 9. n. 2.

existeret et conservaretur, et solum ajunt propterea non posse naturaliter existere materiam sine forma, quia nullum agens naturale potest materiam spoliare omni forma, semper enim debet produci aliqua forma, quæ recepta in materia excludat formam præexistentem. Huic sententiæ favent qui apud div. Thomam 1. p. qu. 66. art. 1., Conimbricenses 1. Phys. in cap. 9. qu. 6. art. 3. et apud Pererium in cap. 1. Genesis in illud „Cœlum et terram" et apud Valentiam 1. p. col. 1224. ubi de opere sex dierum agit, ajunt initio orbis conditi extitisse materiam informem, ut Marsilius et Gabriel a Molina citati, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrysosthomus etc. qui volunt materiam Christi in triduo fuisse sine ulla forma, de quo Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 3.

Probatur hæc sententia *primo.* Nam materia habet suam propriam existentiam et subsistentiam partialem: ergo potest esse sine omni forma quantum est ex se, sicut anima rationalis propter similem causam potest sine materia existere. *Secundo:* materia sustentat formas corruptibiles: ergo non sustentatur ab illis, quam consequentiam probo. Tum, quia si etiam forma sustentaret materiam: ergo materia esset causa sui ipsius. Nam est causa formæ, et forma est causa materiæ; at quod est causa causæ, est causa causati, ut habetur in lib. De causis propos. 1. Ergo. Tum quia, si penderet a forma: ergo corrupta forma corrumperetur materia, nam in eo instanti in quo cessat causa, cessat ejus effectus. Confirmatur. Nam materiam primam ait Aristoteles cognoscendam per analogiam ad materiam artificialium: ergo sicut materia artificialium esse potest sine ulla forma artificiali, ut lignum etc.: ita et materia prima. *Tertio:* si materia penderet a forma, non posset dependere nisi ab una forma, et ita quamdiu materia perseverat, non posset talem formam amittere, quod est contra experientiam. Sequela probatur. Nam propterea unum accidens, vel una forma substantialis materialis non potest successive plures materias informare, quia pendet a subjecto: ergo similiter si materia pendet a forma.

Dico primo. Materia prima natura sua pendet a forma substantiali, ita ut spoliata omni forma, non possit naturaliter existere. Ita Aristoteles 1. De generat. text. 29. ubi materiam ait esse inseparabilem, quod idem repetit 2. De generat. text. 6. et 4. Metaph. text. 59., ex quo principio ortum habet illud axioma quod habet Aristoteles 1. De generat. text. 18. generatio unius est corruptio

alterius. Idem Averroes 2. Phys. com. 12., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 3. sect. 2., Molina 1. p. qu. 45. art. 5. disp. 1. ad 4., div. Thomas 1. p. qu. 66. a. 1., Durandus 2. dist. 1. qu. 1. Idem Plotinus Enneade 3. lib. 6. cap. 14., Albertus 2. Phys. com. 30. et auctores omnes citati pro prima sententia. Probatur primo. Quia nullum est principium ex quo colligere possimus, materiam separatam a forma non statim corrumpi: ergo gratis id asseritur. Antecedens patet: nam ex eo quod habeat existentiam propriam distinctam ab existentia formæ, id non recte colligitur. Potest enim illa existentia esse ita imperfecta, ut non possit perseverare si omnis forma auferatur, sicut et accidentia habent existentiam distinctam realiter a subjecto, tamen spoliata subjecto corrumpuntur. Secundo: forma substantialis materialis perfectior est materia, et tamen naturaliter non potest existere sine materia; ac proinde pendet in existentia a materia: ergo multo magis materia a forma.[1]

Ratio a priori hujus conclusionis est, quam attingit Fonseca loco cit. Sicut enim forma corruptibilis idcirco non potest esse sine materia, ac proinde si ab illa separetur corrumpitur, quia separata a materia nullam haberet operationem (siquidem omnes talium formarum operationes pendent a materia), ac proinde esset otiosa et careret fine naturali, scilicet operatione ad quam ordinatur, quæ causa est ut non debeatur illi concursus conservativus a Deo eo ipso: ita similis omnino ratio militat in materia, quæ natura sua est ens incompletum, ordinatum ad hoc ut recipiendo formam constituat compositum, quod sit principium operandi. Ne ergo fine suo frustretur materia, eo ipso quod hunc actum recipiendi formas non exercet, non debetur illi a Deo concursus conservativus. Unde Aristoteles 1. De anima text. 13. ex eo ait cognoscendum: an anima sit separabilis, an habeat operationem quam sine materia exercere potest. Si enim non habet, non poterit separata existere. Deinde sicut formis substantialibus corruptibilibus, eo quod ex natura sua sunt partes et non sunt principia productiva sufficientia earum operationum ad quas ordinantur, non debetur concursus productivus vel conservativus nisi actu sint partes totius: ita cum materia natura sua sit pars compositi, et solum principium passivum operationum quæ illi ratione formæ conveniunt, non debetur ei concursus conservativus nisi actu sit pars. An vero materia pendeat a forma

[1] Suarez disp. 20. sect. 1. n. 18 materiam non fuisse sine forma ab æterno ait, quia fuisset absque ullo usu et utilitate.

eo quod hæc per veram actionem influat ad materiæ existentiam 2. Phys. disp. 4. qu. 1. dicetur.[1]

Tertio probatur. Non solum forma, sed etiam substantia integra et completa pendet in sui conservatione a multis accidentibus: ergo cum multo perfectior sit substantia completa ipsa materia, et magis sibi sufficiens ad existendum, et præterea accidentia magis sint illi extrinseca quam forma materiæ, etiam materia pendebit a forma. Antecedens quod etiam Fonseca admittit loco cit. sect. 3. probatur. Nam experimur corrumpi ignem v. gr., corrupto caloro et siccitate: ergo ignis pendet in conservari ab illis. Ratio a priori est quam habet Fonseca sect. 2. Nam finis naturalis talium naturarum est operari, vel pati; frustrantur autem hoc fine, si spolientur potentiis activis et passivis. Unde fit, ut statim ac illis carent, ne sint frustra, debeant interire. Deinde hoc ipsum ex mysterio Eucharistiæ aperte deducitur. Nam materia panis et vini, et totus panis desinit esse, idque non per annihilationem, sed per transsubstantiationem, propterea scil., quia corpus Christi incipit effective sustentare accidentia panis, quibus spoliata materia et forma panis desinunt esse, eo quod sine accidentibus naturaliter existere nequeant. Et si aliquid horum negetur, explicari non potest mysterium transsubstantiationis: ergo cum non sit verisimile, magis pendere materiam ab accidentibus quam a forma substantiali, etiam ab hac pendebit. Nec ex hoc sequitur, materiam esse corruptibilem, nam ad ejus incorruptibilitatem sufficit ut naturaliter non possit spoliari omnibus accidentibus, cum semper unum accidens corrumpatur per alterius introductionem. Ex quo etiam constat, non solum necessario exigere materiam ad sui existentiam *ubi* et *quando*, sine quibus implicat rem ullam existere, ut postea ostendemus, verum etiam alia accidentia, sine quibus non potest informari a forma et esse principium passivum operationum. Et ideo, cum sine quantitate nulla actio aut passio fiat naturaliter inter res materiales, idcirco eo ipso quod spoliaretur materia quantitate, connaturaliter desineret esse, quamvis a nulla creatura possit illa spoliari, ut postea probatur. Nec ex hoc sequitur, accidens esse causam efficientem materiæ, sicut nec

[1] Conatur Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. n. 9. enervare hoc, scilicet fore tunc frustra materiam. Frustra enim est, quod non est aptum ad aliquod munus naturæ; si tamen ex se aptum sit, licet interdum non exequatur, non est frustra. Corfirmat ergo Suarez hanc conclusionem n. 14. hoc alio modo: quia quum nusquam materia fuit sine forma: ergo signum est, talem esse ut natura sua postulet consortium formæ. Nam quod in rebus physicis factum non est, probabile est esse necessarium naturaliter. Ergo.

sequitur formam esse causam efficientem materiæ quæ per creationem producitur, ut illa qu. cit. explicatur.

Ex his ad argumenta secundæ sententiæ respondeo. Ad primum. Nego consequentiam; nam existentia et subsistentia materiæ imperfecta est et incompleta, ordinata tanquam ad finem naturalem ad hoc, ut media compositione cum forma efficiatur principium operationum passivum, et ita cum totum suum munus sit recipiendo formam componere, et consequenter esse principium operationum, ex natura sua non petit concursum conservativum nisi componat. Anima vero rationalis habet operationes independentes a materia et ita habere potest finem naturalem, nec erit otiosa, licet non informet subjectum.

Ad secundum. Nego consequentiam. Ad primam probationem respondeo: in diverso genere causæ, duo ab invicem pendere possunt, et tunc causalitas unius non refunditur in aliam, sic ergo materia est causa materialis formæ, forma vero est causa formalis materiæ. Illud ergo pronunciatum, quod est causa causæ etc. solum verum est, quando ab effectu causæ alicujus pendet effectus aliquis diversus ab utraque causa, et in eodem genere in quo effectus pendet a sua causa, ut explicant Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 9. art. 3. ad 1., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 16. sect. 4. ad 4. quod in præsenti non accidit. Causa autem cur illa consecutio valeat in causis ejusdem generis, non in causis diversi generis est quam reddit Suarez disp. 27. Metaph. sect. 2. n. 24. Sed illa ratio licet in causa finali et efficiente bene ostendat cur non valeat dicta consecutio, in aliis non videtur ostendere. Et ratio est, quia quod ab aliquo pendet in esse, distingui debet ab eo a quo pendet. Ergo cum materia v. gr. a seipsa distingui non possit, nec potest esse causa sui ipsius. Ad secundam probationem recte Fonseca illa qu. 3. citata sect. 2.: materia rerum corruptibilium non pendet ab una sola numero forma in conservari. Ratio est: nam si succedat alia causa eundem effectum conservans, non necessario desinit effectus cessante una numero causa. In præsenti vero ita fit, nam corrupta una forma, succedit alia æque potens ad conservandum ac prior. Ad confirmationem respondeo. Est quidem aliqua similitudo inter materiam primam et subjectum formæ artificialis, est nihilominus etiam latum discrimen. Nam res artificiales fiunt ex entibus completis physice, quibus accedens forma artificialis non facit aliquid ad conservationem illorum; at vero compositio naturalis fit ex entibus

incompletis, quæ in operatione pendent ab invicem, ac proinde etiam in esse, si altera pars compositi non sit spiritualis.

Ad tertium: nego sequelam. Ad probationem: nego paritatem. Materia enim ad hoc instituta est, ut sit subjectum componens cum forma a qua informatur, quod assequitur per quamcunque formam substantialem. Ratio vero cur accidens non possit successive plura subjecta informare, ac proinde migrare de subjecto, non est solum quia pendet a subjecto, sed alia quam qu. 5. dicto 3. adferemus.

Dico sesundo. Divina virtute potest materia existere sine ulla forma substantiali, et si excipias *ubi* et *quando* sine omni forma accidentali. Ita Scotus 2. dist. 12. qu. 2., Richardus qu. 4., Gabriel qu. 1. art. 3., Gregorius qu. 2. art. 3., Mayronis qu. 2., Trombetta 8. Metaph. qu. 2., Toletus 1. Phys. qu. 13., Sotus qu. 6. art. 2. concl. 2., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 6. art. 3., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 3 sect. 1., Suarez disp. 15. Metaph. sect. 9. n. 3. ubi plures citat, Valentia 1. part. col. 1225. agens de opere sex dierum. Probatur primo: quia nulla est implicatio quo minus hoc fiat ut ostendit Gregorius loc. cit. Si quod enim esset, maxime esset, quia materia sine existentia non potest existere, ac proinde cum existentiam habeat a forma, nec sine illa potest existere. Hæc tamen ratio nulla est, cum ut supra ostendimus, materia habeat existentiam propriam, partialem, diversam ab existentia formæ. Secundo ex Gregorio. Nam potest Deus conservare accidens sine subjecto, quamvis naturaliter pendeat ab illo in genere causæ materialis, Deo supplente in genere causæ efficientis id quod præstabat subjectum. Ergo cum non magis possit Deus supplere causæ materialis, quam formalis defectum, cum utraque causa sit æque intrinseca, sicut supplet defectum causæ materialis, ita potest supplere defectum causæ formalis. Antecedens patet. Nam sicut quantitas conservatur sine subjecto in speciebus Eucharistiæ, ita et reliqua accidentia possunt a Deo separatim conservari, ut recte ostendit Suarez tom. 3. disp. 56. sect. 3. in fine, quamvis id male negent aliqui, et disp. 37. Metaph. sect. 2. n. 4. Confirmatur. Nam sicut materia pendet a forma, ita pendet forma a materia. Sed Deus potest conservare formam naturalem v. gr. ligni sine materia, tum quia hujus nulla apparet implicatio, tum etiam quia forma substantialis non magis pendet a materia, quam accidens quod potest separari. Ergo similiter etc. cum tam intrinseca sit causa materialis quam formalis. Respondet Vallesius Controv. 7.: non posse Deum

conservare formam substantialem sine materia, quamvis possit accidens conservare sine subjecto, quia inquit ex subjecto et accidente non fit unum per se, ut ex materia et forma. Contra tamen: nam ex hac conclusione sequitur nec accidens posse conservari sine subjecto, nam forma accidentalis habet esse magis diminutum et imperfectum quam substantialis, ut recte arguit Mayronis 4. dist. 12. qu. 1. concl. 3. Quod autem non faciat unum ens per se accidens cum subjecto, oritur ex ejus imperfectione; ergo.

Ratio a priori est: nam materia et forma duplicem quasi effectum habent. Unum primarium respectu compositi, ut scilicet communicando se componant totum, ita ut materia cum forma media unione constituat compositum, et hoc Deus supplere non potest, quia non potest componere cum ulla re, nec seipsum dando compositum efficere; hæc enim imperfectionem involvunt, id enim quod componit aliquid, debet esse pars illius, ac proinde ens incompletum. Alterum effectum secundarium habet materia respectu formæ corruptibilis vel unionis, illam sustentando, et ad existentiam illarum concurrendo, sicut subjectum sustentat accidentia. Et similiter forma respectu materiæ habet similem causalitatem, cum ut diximus sine forma naturaliter existere nequeat. Et hunc effectum secundarium potest Deus supplere in genere causæ efficientis, sicut conservando accidentia sine subjecto supplet defectum subjecti. Quomodo autem hunc effectum secundarium præstent istæ causæ, an per actionem aliquam, vel solum tanquam conditiones sine quibus non, et item quomodo in genere causæ efficientis suppleri possit 2. Phys. disp. 4. qu. 1. latius dicemus.

Ex his etiam patet posse Deum conservare materiam sine omni forma accidentali, si *ubi* et *quando* excipias, sine quibus nullam rem esse posse infra suo loco ostendemus. Nam non magis necessaria sunt accidentia ad conservationem materiæ, quam forma substantialis: ergo sicut potest sine hac conservare Deus materiam, ita et sine accidentibus. Confirmatur. Nam non magis pendet materia a quantitate, quam quantitas a materia; sed quantitas esse potest sine materia in speciebus sacramentalibus: ergo. Licet ergo naturaliter non possit materia esse sine quantitate, tum quia sine illa non posset recipere formas, nec esse principium passivum operationum, naturaliter enim res corporeæ inextensæ nec agere, nec pati quidquam possunt, ut disp. De motu qu. 4. dicetur; tum etiam quia ut qu. 5. dicemus, quantitas, saltem aliqua, coæva est materiæ

et incorruptibilis; supernaturaliter tamen bene potest ut recte Soto hic qu. 6., Fonseca 6. Metaph. cap. 13. qu. 2. sect. 3. ad 3., et tamen tunc haberet partes substantiales materia, quas non accipit a quantitate, ut late ostendimus in Logica. Nec verum est quod aliqui dicunt, materiam individuari per quantitatem et ideo sine illa esse non posse; quælibet enim res seipsa est hæc numero et individua ut in Logica disp. De quantit. qu. 4. ostendimus.

Dices: non magis pendet materia a forma accidentali, quam substantiali; sed potest esse sine omni forma substantiali: ergo et sine omni accidente. Male ergo *ubi* et *quando* excipitur. Præterea si materia esset sine forma, careret fine naturali: ergo esset otiosa. Respondeo: licet materia magis pendeat a forma substantiali, magis tamen connexa illi sunt aliqua accidentia, quia sunt passiones entis creati, ut ens creatum est, cujusmodi esse *ubi* et *quando,* suis locis ostendemus, et ideo quamdiu manet ens creatum, habet talia accidentia. Nec tunc foret materia otiosa; Deus enim habere posset plurimos fines propter quos materiam sic conservaret, ut ad ostendendam omnipotentiam etc. Nec div. Thomas sensit contrarium in 1. p. qu. 66. art. 1. ut multi putant, cum enim ait div. Thomas impossibile esse ut materia sit sine omni forma, non solum intelligit de forma substantiali, sed de quocunque actu perficiente, quomodo etiam existentia est forma, et ita verum est sine ullo actu non posse existere materiam, quia sine existentia impossibile est existere. Et hoc solum probat ratio div. Thomæ ibi allata. Ait enim, materiam si existat esse ens actu, ac proinde habere actum id est existentiam.

Dico tertio: ex dictis manifeste sequi, quod si Deus materiam sine forma vellet conservare, duo miracula deberet efficere. Primum corrumpendo formam absque productione alterius formæ incompossibilis in eodem subjecto; secundum concursu effectivo supplere id quod præstabat forma, ut 2. Phys. disp. 4 dicemus.

Ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum: si materia non haberet propriam existentiam nec posset habere, convinceret argumentum, sed nunc contra nos nihil urget. — Ad secundum: jam diximus effectum primarium materiæ et formæ non posse a Deo suppleri, secundarium tamen posse, et ita Deus conservare potest materiam concursu effectivo adeo præstante, ut non egeat forma substantiali ut latius dicemus loco citato. Ad primam confirmationem: ex eo solum quod distinguantur ex natura rei, non

recte colligitur quod possint separatim existere. Si tamen distinguantur ex natura rei, et unum illorum non sit correlativum vel modus, qui proinde seipsa sit unio et actualis nexus cum alio, nulla est ratio cur non possint separata conservari. Nos vero jam dedimus rationem cur possit separari, tum quia id nullam involvit contradictionem, præsertim cum materia non sit modus formæ ut ex disp. 4. constabit; tum quia videmus, illa quæ magis dependent a subjecto quam materia a forma, separatim existere; tum denique quia Deus supplere potest effectum secundarium formæ etc. Ad secundam confirmationem respondeo cum Conimbricensibus. 1. Phys. cap. 9. qu. 6. art. 4. ad 3.: materiam sicut est sub genere, ita habre et differentiam propriam per quam sub genere substantiæ incompletæ physice est in certa et determinata specie, licet non completa sed incompleta. An vero dari possint plures materiæ specie distinctæ quæstione ultima dicetur. Ex his etiam apparet, nihil valere argumentum Pererii quo lib. 1. cap. 9. probat materiam non posse esse sine forma, quia hæc inquit sunt relativa, quorum unum sine altero non potest existere. Nam materia et forma relativa non sunt, nisi secundum dici, quorum unum sine alio potest existere ut recte etiam Conimbricenses citati ad 5.

QUAESTIO QUARTA.

An materia habeat potentiam ad omnes formas substantiales, et an haec potentia sit idem cum materia et de illius essentia, an una vel plures.

Certum est primo in præsenti controversia: materiam habere potentiam ad recipiendas formas substantiales. Ratio est: nam reipsa materia recipit formas: ergo potest illas recipere, si enim non posset recipere, nunquam reciperet, cum receptio quæ est velut actus secundus, supponat potentiam velut actum primum. Ut autem hoc obiter dicamus, sicut subjectare vel recipere formam, non est aliud quam unam rem secundum suam entitatem intime et velut penetrative conjungi et uniri alteri realiter distinctæ tanquam perfectibile suæ perfectioni: ita habere potentiam ad recipiendum non est aliud, quam esse aptum conjungi modo jam explicato tanquam perfectibile, suæ perfectioni. Quod in tali conjunctione se habet ut perfectibile, dicitur subjici et recipere alterum, quod dicitur infor-

mare. Dixi: penetrative, quia non sufficit ut solum conjungantur sicut duæ partes quantitatis, sed ut sint sibi intime præsentes, sicut anima corpori etc. Illud autem dicitur perficiens ex duabus rebus quæ conjunguntur, quod est principium immediatum earum operationum, quamvis antea non erat principium id cui advenit talis perfectio; perfectibile vero dicitur id quod ex se non est principium illarum operationum quas adveniente altera parte exercere vel recipere potest[1].

Certum est secundo: potentiam materiæ receptivam formarum substantialium, non differre ex natura rei ab ipsa materia, sed sola ratione. Est div. Thomæ 1. p. qu. 77. art. 1. ad 2. ubi potentiam materiæ ait non esse aliud quam ejus essentiam; idem qu. 55. art. 3. ad 3. et 1. Phys. sect. 15., est porro Soti 1. Phys. qu. 6. dub. 2., Soncinatis 8. Metaph. qu. 6. etc. Dixi: formarum substantialium, nam quæstione sequenti explicabimus: an respectu accidentium, quantitas sit potentia receptiva, vel potius immediate omnia accidentia recipiantur in materia. Probatur: nam potentia receptiva potest identificari rei, et non est in præsenti ullum principium ex quo colligatur distinctio: ergo. Antecedens patet: nam si potentia receptiva distinguitur a materia, vel illa erit substantia, vel accidens. Non primum; nam si est substantia: ergo cum non sit materia, nisi admitatur materia materiæ, erit forma substantialis, et de illa quæro: an recipiatur iterum in materia supposita alia potentia, et si ita, dabitur processus infinitus; si autem illa forma unitur materiæ non supposita alia forma tanquam potentia distincta a materia: ergo materia recipiet illam formam sine potentia receptiva media, distincta ab ipsa materia, et præterea faciet cum materia unam substantiam completam, cui adveniens quæcunque alia forma, solum erit accidentalis ut disp. 3. qu. 4. ostenditur[2]. Si vero potentia receptiva est accidens distinctum a materia: ergo illa recipitur in materia, vel igitur media alia potentia passiva, et sic in infinitum abibimus, vel certe veniendum est ad aliquam potentiam quæ non differat a materia, siquidem veniendum est ad aliquid quod immediate uniatur materiæ. Confirmatur. Materia per suam entitatem est ens incompletum aptum perfici et compleri: ergo per se ipsam

[1] Ex quo constat, materiam non solum habere non repugnantiam ad formas, sed inclinationem positivam et potentiam eo ipso quod sit ens incompletum et pars natura sua.

[2] Optime ostendit Suarez disp. 13. sect. 8. n. 4. et 5. potentiam ex natura rei non distingui a materia.

est potens recipere formam per quam compleatur etiamsi per intellectum semoveamus ab illa omnia præter entitatem propriam ipsius.

Dices: hoc argumento solum convinci aliquam potentiam receptivam debere identificari materiæ, ut v. gr. potentiam receptivam quantitatis, quæ immediate inest materiæ ut qu. sequ. dicetur, tamen dicere quis posset, quantitatem postea esse potentiam accidentalem realiter distinctam a materia, per quam materia recipiat formas. Contra est tamen, quia forma substantialis non unitur immediate quantitati, sed materiæ primæ: ergo immediata potentia receptiva illius est materia non quantitas. Antecedens probatur, tum quia idcirco materia et forma faciunt unum per se, quia una est potentia, altera actus et immediate uniuntur ex Aristotele 8. Metaph. in fine. Sed si immediate unitur forma materiæ, hoc non est verum. Tum quia unio quantitatis cum forma, si quæ est, accidentalis est; at unio accidentalis non potest includi in essentia physica compositi, cum tamen certum sit unionem formæ includi essentialiter in ratione compositi physici ut disp. 4. dicetur. Tum denique, quia ex quantitate et forma fieret unum per se, cum unum sit potentia alterum actus, et quantitas per formam substantialem reciperet esse substantiale, sicut per albedinem esse album, et esse accidentale etc. Ex his sumitur ratio ad nostram intentionem. Nam si potentia est accidens distinctum a materia realiter: ergo in illa recipitur immediate unio, qua unitur formæ, ac proinde immediate unitur illa potentia formæ: ergo immediate componitur ens per accidens ex tali unione, et sic compositum substantiale essentialiter claudet aliquod accidens, scilicet unionem. Confirmatur: nam forma nullam habet potentiam ad informandum realiter distinctum a se: ergo nec materia ad recipiendum. Illud tamen addo cum Toleto 1. Phys. qu. 14. fund. 1. hanc potentiam non esse nudam capacitatem recipiendi formas sine causalitate, qualis est capacitas vasis ad aquam recipiendam, sed vis quædam causativa per quam materia tribuit aliquod esse formæ saltem corruptibili, ut 2. Phys. disp. 4. ostendam. Nam non alia ratione præexigitur materia ad hoc ut tales formæ fiant, nisi quia juvat causalitatem efficientis et simul cum illo dat esse effectui et ideo corrumpuntur hæ formæ quamprimum non possunt esse unitæ materiæ eo quod occupatur materia a forma nascente adveniente. Anima vero rationalis tali modo non pendet a materia, licet ejus informatio eodem modo pendeat a materia; ac proinde semper materia

per hanc potentiam receptivam, quando recipit, tribuit aliquod esse vel formæ, vel informationi seu unioni.

Certum est tertio ex dictis, hanc potentiam receptivam materiæ esse unam in qualibet parte materiæ, tam respectu formarum substantialum, quam respectu accidentium quæ recipit immediate ipsa materia, ut recte div. Thomas 1. Phys. lectione 15. et innuit Zabarella lib. 1. cap. 15. Ratio est, nam potentia receptiva est idem realiter cum materia: ergo si materia est una realiter, impossibile est ut potentia sit multiplex realiter, non enim potest multiplicari potentia nisi multiplicetur realitas illius. Vide quæ in simili diximus in Logica disp. 6. in Prædic. qu. 6. circa 2. Illud tamen verum est quod div. Thomas loco cit. vult in eadem materia distingui ratione atque adeo etiam specie potentias. Et ratio esse potest, nam potentiæ per actus distinguuntur; sed actus seu formæ sunt specie distincti: ergo. Verum non est ratio efficax quæ cogat ad distinguendas specie potentias in materia. Licet enim concedamus potentiam specificari per actus modo explicato illa disp. 6. qu. 8. citata, id est differentiam ultimam illius desumi in ordine ad actus, non tamen constituuntur nec distinguuntur potentiæ in ordine ad quemlibet actum particularem, sed per habitudinem ad plures actus specie, quatenus eodem modo respiciuntur a tali potentia, vel per habitudinem ad aliquam rationem communem in qua conveniunt omnes actus, vel omnia objecta. Ita ergo in præsenti, licet plures formæ recipiantur in eadem materia, dicere tamen quis posset potentiam ad illas omnes esse unius speciei infimæ, ita ut hæc ratio desumatur ex eo quod recipiat omnes formas tanquam principium passivum principale. Et ita potentia receptiva quantitatis, et formarum substantialiam dici posset esse ejusdem speciei. Sed in hac re nihil certi est.

His positis controversia in præsenti quæstione solum superest: an materia non solum habeat potentiam receptivam sibi identificatam, sed etiam sit essentialis hæc potentia materiæ, ita ut sit ipsius prædicatum essentiale. Cum autem duplex potentia materiæ distinguatur, universalis, et est ipsa potentia materiæ quatenus consideratur secundum se indeterminata ad omnes formas; et particularis, quæ est eadem ipsa potentia quatenus jam per dispositiones accidentales ad aliquam particularem formam est determinata, ut late Pererius lib. 5. cap. 21., Zabarella lib. 1. De materia cap. 10., ut v. gr. potentia quam habet ista materia ligni ad

omnes formas dicitur ex se universalis, quatenus vero jam habet accidentia per quæ disponitur materia ad formam ignis, dicitur particularis et determinata. Unde Zabarella citatus cap. 14. potentiam particularem ab universali distingui censet solum ut includens ab incluso, eo quod particularis addat universali accidentia ad certam formam determinata. Hic potissimum quæstio est de potentia universali.

Prima sententia est: potentiam esse de essentia materiæ. Ita Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 1. art. 1. concl. 3., Soncinas 8. Metaph. qu. 6., Ferrariensis 1. Phys. qu. 11., citatur div. Thomas, sed iile solum vult quod in 3. suppositione docuimus, quod etiam solum volunt multi auctores qui pro hac sententia citari solent. Probant aliqui ex eo quod materia sit idem realiter cum potentia: ergo hæc est de essentia illius. Sed hanc consequentiam nullius momenti esse, supra qu. 2. dicto 3. ostendi, et in omnium sententia idem dicendum est. Nam potentia objectibilis non est de essentia rei creatæ, revera enim esset naturalis ut alibi ostendimus, et tamen non distinguitur ex natura rei a creatura. Alii probant: nam si non est essentialis; ergo accidentalis. At omne accidens distinguitur re a substantia: ergo. Sed minoris falsitatem late ostendimus in Logica disp. 3. in Præd. qu. 4.

Probant ergo alii *primo,* quia Aristoteles 1. Phys. text. 82. materiam vocat potentiam, sicut et text. 78. et 2. De anima text. 2. et 25[1]. *Secundo:* seclusa per intellectum potentia a materia, non remanet conceptus materiæ quo distinguatur ab aliis rebus. Seclusa enim potentia solum remanet in materia conceptus substantiæ imperfectæ quod etiam formæ convenit. Ergo. *Confirmatur primo:* nam seclusis omnibus accidentalibus materiæ, adhuc illa est incompletum ens, perfectibile et pars, atque adeo aptum recipere suam perfectionem et complementum: ergo adhuc intelligitur potens: ergo potentia est essentialis ipsi. *Confirmatur secundo:* nam forma est essentialiter actus; unde animam definit Aristoteles quod sit actus: ergo materia est essentialiter potentia. *Tertio:* si potentiâ

[1] Idem sentit Suarez disp. 13. sect. 8. n. 6. et præcedentibus ubi potentiam ait esse differentiam essentialem materiæ. Probat tum quia potentia est proportionata actui ait n. 5.: ergo ad actum substantialem potentia est substantialis. Secundo arguit n. 6. materia essentialiter est entitas substantialis non completa, sed partialis, non per modum actus, sed per modum potentiæ: ergo per essentiam suam est potentia. Tertio arguit n. 4. Forma per essentiam suam est actus materiæ, unde anima definitur quod sit actus: ergo e contra, materia essentialiter est potentia. Sed hæc omnia selecta sunt.

est accidens materiæ, non potest ex materia et forma fieri unum per se; ideo enim ait Aristoteles 8. Metaph. text. 15. ex materia et forma fit unum per se, quia ex potentia et actu sui generis fit unum: ergo si potentia est accidens, cum forma sit substantia, non erunt ejusdem generis potentia et actus, ac proinde non facient ens per se. Addunt alii quod si potentia sit accidens, recipitur in materia et ita debet habere aliam potentiam per quam reciperet. Confirmatur. Non potest ens substantiale involvere accidens, sed compositum ex materia et forma involvit potentiam materiæ. Nam essentialiter includit tale compositum unionem ut disp. ultima dicetur: ergo et potentiam ratione cujus partes compositi sunt aptæ uniri.

Ut secundam sententiam quæ etiam nostra est ponamus, suppono cum Toleto 1. Phys. qu. 14. potentiam dupliciter sumi posse, primo aptitudine proxima ad agendum et recipiendum; secundo pro principio substantiali a quo talis potentia oritur, vel cui debetur talis aptitudo, quomodo ait Toletus rationalitas aliquando signat aptitudinem ad ratiocinandum, et tunc est ipsa potentia intellectiva, aliquando ipsum principium substantiale cui talis potentia debetur. Iam

Dico breviter: potentiam, si sumatur pro ipsa aptitudine ad recipiendam formam, non esse de essentia materiæ. Id docet Themistius 1. Phys. digressione ultima in text. 77., Averroes com. 69., Iandunus 1. Phys. qu. 25., Toletus qu. 14. et ab eo citati, Zabarella lib. 1. De materia cap. 9. ubi optime docet, omnem potentiam tam activam quam passivam esse in prædicamento qualitatis, et cap. 11. conclus. 1. ubi pro hac sententia refert antiquos. Idem lib. De facultatibus animæ cap. 5. ad 2. repetit. Accedit Pererius lib. 5. cap. 22. ad 1., licet cap. 21. circa medium contrarium dicere videatur. Si vero sumatur potentia pro principio substantiali, cui talis aptitudo natura sua debetur, ut scilicet illi sit identificata, tunc verum est esse de essentia materiæ sed hoc nihil aliud est dicere, quam essentiam materiæ exigere talem potentiam, licet illa non sit de essentia materiæ. Ita Toletus citatus, Aegidius 1. Phys. lect. 18. etc.

Primum probatur. Nam potentia naturalis est secunda species qualitatis ex Aristotele in Prædicam. et 5. Metaph. text. 17. etc.: ergo consequenter est accidens. Sed potentia materiæ est potentia naturalis. Ergo. At nullum accidens est de essentiali ratione sub-

stantiæ qualis est materia. Ergo. Minor probatur. Nam si aliqua substantia essentialiter includit accidens, illud erit necessario vel genus vel differentia. At impossibile est ut accidens sit genus vel differentia essentialis substantiæ; tum quia sequeretur prædicamenta confundi; tum quia ut in disp. De differentia initio ex Aristotele diximus, genus et differentia debent esse intra idem prædicamentum, ita enim docet Aristoteles 6. Top. loco 44. 64., 7. Metaph. text. 43., 10. Metaph. text. 24.; tum quia totum non est aliud quam suæ partes conjunctæ: ergo si aliqua pars non est substantialis, nec totum erit substantia. Confirmatur ex dictis in Logica disp. 3. De prædicam. qu. 4. dicto 1. Nam potentia activa, etiam identificata substantiæ, non est de essentia illius: ergo nec potentia passiva. Confirmatur secundo. Nam ratio formalis quæ semel uni substantiæ est accidentalis, nulli unquam potest esse essentialis, quia quod uni est accidens, non est essentia substantialis alterius ut probavimus. Sed ratio potentiæ est ratio accidentalis. Ergo quamvis sit identificata alicui substantiæ, non erit de essentia illius. Confirmatur tertio. Nam per eandem numero potentiam respicit materia formas substantiales et accidentales ut ex dictis patet. Sed potentia ad accidentia non est de essentia materiæ, ut omnes fatentur et probari potest tum quia si talis potentia est de ejus essentia: ergo cum potentia sine actu non possit intelligi nec definiri, in definitione materiæ quæ est substantia, poni deberent accidentia, quod reprobat Aristoteles 7. Metaph. a text. 14.; tum quia si esset de ejus essentia talis potentia, materia in conceptu essentiali penderet ab accidentibus, ac proinde substantia non esset prior accidentibus, contra Aristotelem frequenter[1]. Addunt alii ad probandam hanc partem conclusionis, nullum respectivum esse de essentia alicujus absoluti, ac proinde cum omnis substantia sit absoluta, non posse esse de ejus essentia ullum respectivum; at potentia est quid respectivum: ergo. Sed qui admittunt relationes transcendentales majorum, solent urgere ut ostendimus in Logica disp. De relatione qu. 8. Et quamvis Pererius lib. 5. existimet potentiam dicere ordinem essentialem, ac proinde esse relationem transcenden-

[1] Nec est ad rem quod Cajetanus 1. p. qu. 54. art. 3. §. Ad objectiones, et qu. 77. art. 1. §. Ad evidentiam, ubi in materia et quolibet subjecto ait dari potentiam receptivam accidentium distinctam ab esse subjecti. Nam saltem illa potentia receptiva accidentium immediate debet esse in subjecto, sicut qu. sequ. dicetur quantitatem esse in materia: ergo saltem aliqua potentia ad accidentia est identificata materiæ, ac proinde sicut hæc potentia est idem cum materia, ita erit idem cum potentia ad substantias; quæ enim sunt eadem uni tertio etc.

talem, existimo tamen cum Toleto 1. Phys. qu. 14. ad 2., Zabarella illo cap. 9. potentiam non esse relativam, sed aliquid absolutum, ut loco cit. in Logica ostendimus. Nam sicut potentia activa et vera causa efficiens esse potest sine ulla relatione reali, ut patet in omnipotentia Dei, quæ nullam realem relationem ad creaturas includit, ita et potentia passiva. Et id docet div. Thomas 1 part. qu. 41. art. 5. ad 1., ubi potentiam ait non signare relationem, sed principium etc.

Secunda pars conclusionis probatur. Nam materia essentialiter est substantia quædam incompleta: ergo essentialiter petit potentiam receptivam perfectionis, per quam compleatur et perficiatur. Confirmatur. Nam concipi non potest essentia materiæ nisi concipiatur tanquam principium cui debeatur potentia passiva, sicut non potest concipi homo nisi concipiatur principium cui connaturaliter debeatur potentia discursiva: ergo sicut est de essentia hominis ut sit ens cui debeatur potentia intellectiva: ita etc. Et hoc solum probant argumenta primæ sententiæ, nam revera ut recte Pererius illo cap. 22. ait, non possumus explicare differentiam materiæ nisi per potentiam, quod scilicet sit id cui connaturalis sit potentia receptiva etc. Et hæc fuit causa deceptionis adversariorum. Sicut enim non possumus explicare essentiam animalis nisi in ordine ad potentias sensitivas, nec essentiam hominis nisi in ordine ad intellectivam potentiam, animal enim est cui connaturaliter debentur potentiæ sensitivæ, seu quod est principium sentiendi etc., et tamen ex eo non recte quis colligeret potentiam sensitivam esse de essentia animalis: ita in præsenti.

Ad primum respondeo. Illis locis solum haberi, materiam esse ens in potentia, non tamen potentiam esse de essentia materiæ. Et si quando auctores ita loquuntur, explicari debent, quod materia essentialiter sit id cui debetur potentia et quod habet potentiam receptivam, non tamen quod ipsa potentia sit essentialis. *Ad secundum.* Non potest concipi materia a nobis nisi ut principium cui debetur potentia receptiva, sicut nec potest concipi gradus animalis, nisi ut id cui debetur potentia sentiens, nec relatio sine termino, ex quo tamen nihil contra nos colligitur. *Ad primam confirmationem.* Seclusis omnibus quæ non sunt essentialia materiæ, adhuc materia est ens cui connaturale est habere potentiam receptivam. Et hic est ultimus conceptus essentialis illius, nego tamen ex hoc sequi, potentiam esse de essentia materiæ. *Ad secundam confirmationem.*

De essentia formæ est quod sit tale ens quod possit connaturaliter informare, sicut de essentia materiæ est quod sit ens cui connaturaliter debeatur potentia receptiva. Nego tamen ipsam potentia informativam vel rceptivam esse de essentia formæ vel materiæ.[1] *Ad tertium*[2]. Ad hoc ut aliqua faciant unum per se, debent esse talia ut unum sit ens potentia, alterum actus, id est ut unum habeat potentiam ad recipiendum alterum; et præterea quod ejusdem sint generis, quæ in materia et forma substantiali reperiuntur, conveniunt enim in eodem genere substantiæ incompletæ, ut supra ostendimus; præterea materia est in potentia ad recipiendam formam tanquam actum. Unde ex potentia materiæ et forma non fit unum per se, sicut nec ex materia et ejus potentia, sed solum fit ens per se ex materia quæ potens est recipere et ex forma. Nec in conceptu compositi involvitur aliud quam unio et extrema unita, licet non possent uniri extrema nisi essent apta uniri.

Objicies tamen contra id quod secundo loco supposuimus. Si potentia est idem cum materia: ergo non potest separari a materia, sed durat materia durante. Sed corrupta forma aliqua quam materia semel habuit non est amplius in materia potentia ad illam formam. Ergo. Minor probatur. Nam si est talis potentia passiva in materia respectu illius formæ: ergo cum omni potentiæ passivæ naturali respondeat activa naturalis (ut colligitur ex Aristotele 2. Cœli text. 50. et 3. De anima text. 17. et ratio est, quia talis potentia frustra esset, et eo ipso quod ab agente naturali non posset reduci in actum, esset obedientialis et non naturalis), potest dari agens naturale quod reproducat formam corruptam semel. Ex quo apparet non solvi hanc objectionem ab iis qui admittunt potentiam passivam naturalem ad talem formam, negant tamen posse dari activam naturalem per quam reducatur ad actum.

Respondent aliqui: potentiam materiæ etiam post formam corruptam esse æque indifferentem ad illam formam numero ac ante

[1] Unde illa maxima: res potest concipi essentialiter sine eo quod non est de illius essentia, universaliter vera non est. Nam ut disp. 2. De universal. qu. 2. dub. 5. circa 2. diximus nunquam potest ullum prædicatum essentiale rei ut distinctum ratione ab alio prædicato concipi a nobis sine aliquo extrinseco cujus sit radix et principium, licet tale extrinsecum non sit de illius essentia, sed potius ab essentia realiter distinguatur. Solum ergo illa maxima vera est in prædicatis quorum unum non est principium et radix vel terminus alterius. Et in universum in prædicatis superioribus et inferioribus, seu magis vel minus universalibus. Unde ratio substantiæ sine speciebus inferioribus, ratio entis sine inferioribus concipi potest, ut disp. De analogia qu. 4. dicto. 1. ostendimus ex hoc principio.

[2] Vide Toletum 2. De anima qu. 9. concl. 1. ad 1. prob. div. Thomæ. Vide etiam disp. De unitate in Metaphysica.

fuerit. Contra est: nam ex eo sequitur adhuc, quod potest dari naturalis potentia activa ad talem numero formam, sicut ex eo quod ante habuerit talem potentiam passivam sequebatur posse etiam dari activam naturalem, circa quam objectionem multa Soncinas 5. Metaph. qu. 18.

Sed iis omissis respondeo: hanc objectionem petere illam difficultatem, cur idem numero semel corruptum reproduci non possit, de quo latius 2. Phys. disp. 3. qu. 8. Breviter dico: materiam seipsa esse potentem ad formas, ita tamen ut quemadmodum non omnes causæ efficientes omnes numero effectus producere possunt, sed quælibet efficiens sicut habet determinatos specie effectus quos potest producere, ita etiam determinata individua, quorum unum non potest producere nisi ordine quodam post alium: sic pari ratione materia seipsa potens est ad recipiendas formas tales numero a tali agente et tali ordine, unam post aliam, et ita non habet potentiam ut recipiat effectum quem semel recepit, quia potentia naturalis materiæ non est, nisi ut post hunc effectum ab hoc agente recipiat alium determinatum effectum, et ad hoc datur potentia naturalis. Nunquam autem habuit materia potentiam ad hoc, ut post hunc effectum iterum recipiat alium corruptum quem ante habuit, et ita ad hoc non datur naturalis potentia. Sed hæc melius intelligentur ex dicendis loco citato. Dici etiam posset, potentiæ naturali debere respondere agens per quod reducatur aliquando ad actum, non tamen esse necesse ut semper reducatur, sicut quamvis anima separata habeat appetitum et potentiam ad unionem cum corpore, non est tamen frustra ille appetitus, eo quod semel ab agente naturali reductus sit in actum. Sed revera in anima non est potentia naturalis ad unionem iterum recipiendam, sed solum obedientialis.

QUAESTIO QUINTA.

An materia habeat potentiam receptivam immediatam ad omnes formas accidentales corporeas, seu quod idem est: an sit immediatum subjectum quantitatis et aliorum accidentium.

Ostendimus præcedenti quæstione omnes formas substantiales immediate recipi in materia, nunc videndum est, an similiter omnes formæ accidentales corporeæ immediate recipiantur. Dixi *corporeæ*,

de accidentibus enim incorporeis nulla est difficultas, nam hujusmodi accidentia non subjectantur in materia ut intellectio, volitio etc., nec in quantitate, quum hujusmodi accidentia spiritualia sint et indivisibilia, ac proinde extendi non possunt, ut deberent extendi si in quantitate subjectarentur. Certum præterea est, *ubi* et *quando* non in sola materia subjectari, sed etiam in forma, imo in quolibet accidente distincto a materia, nam in motu locali non tantum materia et forma, sed et omnia accidentia moventur et intrinsece mutantur secundum locum, ac proinde in singulis producitur terminus proprius motus localis. Si enim non produceretur, transformarentur hujusmodi accidentia ex uno loco in alium sine mutatione intrinseca. Idem de duratione postea ostendemus. Denique illud etiam est certum, accidentia identificata materiæ immediate subjectari in illa ut potentia etc., sicut identificata formæ vel quantitati immediate subjectantur in illis. Solum ergo controversia est: an quantitas et qualitates primæ, calor scil., frigus, humiditas et siccitas et quæ ex his oriuntur secundæ ut gravitas, colores etc.; item lumen, species intentionales etc. immediate subjectentur in materia.

Prima sententia est eorum qui dicunt, nullum ex his accidentibus immediate subjectari in materia, sed in toto composito; ita Cajetanus cap. 7. De ente et essentia qu. 16. n. 17., Soncinas 8. Metaph. qu. 7. et sequ., Javellus qu. 2., Sotus 5. Phys. qu. 3. ad 6, et 1. Phys. qu. 7., Bannez 1. De generat. cap. 5. qu. 9., Durandus 1. dist. 8. qu. 4. Favet div. Thomas 1. p. qu. 76. art. 6. et locis ibi citatis ad marginem.[1]

Probatur primo: si accidentia non sunt in composito toto sed in sola materia, subjectum motus quo ista accidentia acquiruntur non esset ens actu, sed ens in potentia contra Aristotelem 5. Phys. text. 8. et 1. De generat. text. 31. Et confirmatur. Nam 2. Phys.

[1] Suarez disp. 14. Sect. 1. n. 1. docet primo: accidentia habere causam materialem; experimur enim dependere in esse a subjecto, et ideo si expelluntur a subjecto, corrumpuntur. Deinde datur transmutatio accidentalis · ergo et subjectum illius, atque adeo termini. Dein ostendere vult omne accidens habere debere causam materialem, quia in se subsistere non potest, sed eget subjecto licet sit incomplete. Sed hoc non procedit de creatione etc. — Sectione 2. n. 4. ait: substantiam aliquod accidens ita immediate recipere, ut non sit necesse illi addere potentiam ex natura rei distinctam per quam constituatur potens recipere, sed seipsa recipiat, Contra Soncinatem 12. Metaph. qu. 26. et Javellum qu. 8. (qui ajunt ad quodlibet accidens debere substantiam habere aliquam potentiam qua ad idem prædicamentum revocetur ad quod accidens quod recipit) probatur: vel substantia immediate recipit v. gr. quantitatem, et habeo intentum; vel medio aliquo accidente, et de illo iterum quæro: an medio accidente etc., et sic vel venietur ad aliquod accidens immediate receptum in substantia, vel dabitur infinitus processus. Licet addo, ego eodem modo de hac potentia philosophor ac de potentia materiæ.

text. 66. ait Aristoteles prius esse ens per se, ente per accidens: ergo. Præterea accidentia vere denominant totum compositum et non denominatione extrinseca: ergo sunt in toto composito.

Secundo, et est argumentum div. Thomæ loco cit.: materia est pura potentia ad actum substantialem et accidentalem; utrumque ergo potest recipere. Sed ut optimo modo recipiat, prius debet recipere formas substantiales, postea accidentales. Ergo. Minor probatur, tum quia forma substantialis est perfectior, tum quia illa dat esse simpliciter, ac proinde supponi debet ad esse secundum quid, quod dat accidens.

Tertio; si ullum accidens immediate in est materiæ et non toti composito, illud erit quantitas; nam reliqua accidentia non subjectari in illa immediate, infra ostendetur. Sed quantitas non subjectatur immediate in materia, sed in toto composito, quod probatur. *Tum* 1-o quia si quantitas est in materia, materia erit substantia completa distincte posita in prædicamento; erit enim corpus de prædicamento substantiæ, siquidem ratio corporis in hoc consistit quod sit capax trinæ dimensionis, id quod materiæ convenit si immediate recipiat quantitatem. *Tum* 2-o quia si quantitas est in materia immediate, non erunt tria principia mutationis naturalis, sed addi deberet quartum, scilicet quantitas, nam illud est principium quod necessario supponitur ad formæ substantialis introductionem. At si quantitas est in materia, necessario ipsa supponitur ad introductionem formæ: ergo. *Tum* 3-o quia si quantitas est in materia, erit ingenerabilis et incorruptibilis, nam quantitas a contrario corrumpi non potest, neque enim habet contrarium; nec pendet a causa secunda conservante vel termino extrinseco propter cujus defectum corrumpatur; nec corrumpi potest ex eo quod tollantur ab illa dispositiones necessariæ, nam quantitas est susceptiva contrariorum; nec determinat qualitates ad sui conservationem, ac proinde non magis illi disconveniens est una constitutio primarum qualitatum quam alia; nec ex divisione, quia ex se non habet minimum divisionis; denique si materia sit ejus subjectum, cum illa sit incorruptibilis, corrumpi non poterit ad corruptionem subjecti, ac proinde cum non sit alius modus quo res corrumpatur, neque posset corrumpi vel produci, quod tamen est contra Aristotelem, qui ad quantitatem ait dari motum proprium, per quem scilicet producatur. *Tum* 4-o quia si quantitas est in materia: ergo sola materia erit quanta, cum tamen Aristoteles 7. Metaph. text. 8.

dicat materiam non esse quantam. Consequentia probatur. Nam accidens solum illud subjectum denominat cui inhæret; sed formæ substantiali et composito secundum adversarios non inhæret sed soli materiæ: ergo compositum non erit quantum, nec formæ substantiales materiales. Si enim illæ sint quantæ: ergo illis unita est quantitas: ergo cum unio accidentis cum substantia non sit nisi inhæsio, inhærebit etiam formæ. Revera enim quantitas non potest facere ut forma sit quanta ex eo solum quod unita sit materiæ cui forma substantialis est etiam unita, nam si hoc sufficiat, etiam anima rationalis erit quanta. *Tum* 5-o quia quantitas est passio corporis naturalis et non materiæ, quæ non est corpus, cum corpus constituatur per formam: ergo inest ipsi corpori, et corrupto corpore etiam quantitas corrumpitur, quia propriæ passiones sunt in eo cujus sunt passiones et cum eodem corrumpuntur, et ab iis manant; quantitas autem a materia manare nequit, cum materia activa non sit ex Aristotele De gener. lib. 1. text. 55. et lib. 2. text. 63.

Quarto probatur. Nam si accidens aliquod esset in materia tanquam subjecto, sequeretur non corrumpi omnia accidentia corrupto composito, nam accidentia illa, saltem pleraque, cum non expellantur a contrario, solum corrumpi possunt ad corruptionem subjecti; sed sequela est falsa et contra Aristotelem, qui cap. De substan. ait destructis primis substantiis nil remanere, 2. De gener. text. 23. in generatione nullum subjectum sensibile remanere, et tamen si manerent accidentia materiæ, per illa sentiretur materia, et 1. Phys. text. 82. in materiam ultimo resolvi compositum docet. Et hanc sententiam sequi videntur omnes ii qui volunt in generatione semper fieri resolutionem usque ad materiam primam, inter quos sunt etiam Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 8. art. 2. ad 3. et 2. Phys. cap. 7. qu. 18. art. 6. in fine.

Secunda sententia est: quantitatem immediate subjectari in materia sola. Ita Averroës 1. Phys. com. 63., lib. De substantia orbis cap. 1., Philoponus 1. De gener. com. 90. 99., alias text. 33. et 40., Marsilius 1. De gener. qu. 7. art. 2., Albertus de Saxonia ibidem qu. 6. et 8., Paulus Venetus 1. De gener. text. 24., Zimara Theorem. 47., Gregorius 2. dist. 12. qu. 2. art. 2., Bassolius qu. 3., Gabriel dist. 17. qu. 1. art. 1., Pererius libr. 5. cap. 18., Niphus 8. Metaph. disp. 4. etc. Toletus etiam 1. De gener. qu. 7. conclus. 3. in 1. argumento et ad 3. primæ sententiæ admittit aliqua accidentia immediate in materia, quamvis idem ipse 1. Phys. qu. 15. ad

argumenta Averrois respondens dicat quando forma corrumpitur corrumpi etiam quantitatem, et novam produci cum nova forma, quia inquit accidentia corrumpuntur ad corruptionem compositi subjecti, quibus verbis indicat quantitatem esse in composito subjecto. Et hoc est quod Averroës ait quantitatem interminatam dari in materia, coævam illi, id est quæ nunquam corrumpatur sicut nec materia, sed eadem numero semper maneat. Vocat autem interminatam, quia materia nullum certum limitem et terminum in quantitate postulat natura sua, quia scilicet potest esse materia major vel minor, rarior vel densior, et solum ratione formæ postulat determinatam quantitatem, sicut etiam formæ beneficio habet ut hanc potius quam illam speciem constituat ut recte Zabarella libr. 2. De materia cap. 9.[1]

Dico primo. Materia est immediatum subjectum aliquorum accidentium. Probatur primo: nam generatio substantialis est quædam actio per quam producitur forma substantialis, vel unio formæ cum materia. Sed hæc est in materia ut in subjecto, ut recte Cajetanus 3. part. qu. 35. art. 1., Aristoteles 1. De gener. text. 24. et ibi div. Thomas, et 5. Phys. text. 7. et 8. Aristoteles distinguit generationem ab alteratione, quod generatio sit in materia, alteratio vero in ente actu, ut ex disp. De actione patebit, ex qua certum est, hanc actionem non esse in forma producta, quæ est terminus talis actionis ut ibi ostendam. Secundo: in materia sunt relationes identitatis et similitudinis immediate, et de accidentibus relativis fatetur veram esse nostram conclusionem Soncinas 7. Metaph. qu. 6., Flandrensis 5. Metaph. qu. 16., sed id fieri ajunt, quia relationes istæ non differunt ex natura rei a materia. Tertio: motus localis, ubi et quando seu duratio sunt intrinseca ipsi materiæ ut ex dicendis constabit. Ergo. Et pari ratione dicendum est, multa accidentia inhærere soli formæ ut potentias, actus etc.

Dico secundo: quantitas immediate subjectatur in materia et non in toto composito, licet totum compositum etiam dicatur quantum, sicut et intellectivum ab intellectu qui est in anima.[2] Hæc

[1] Unde ut cap. 10. idem Zabarella docet, nunquam sensit Averroës materiam esse actu sub quantitate interminata, quin potius sicut semper habet aliquam formam, ita et terminos quos postulat talis forma, licet eos materia ex se non postulet. Et eandem ait esse quantitatem terminatam et interminatam, sicut eadem materia si secundum essentiam suam spectetur dicitur informis, licet nunquam sit sine forma.

[2] Suarez disp. 14. sect. 3. an. 12. optime ostendit nullam esse repugnantiam quominus materia immediata subjectet quantitatem. Et totam conclusionem nostram docet n. 35. et conimbricenses 1. De gener. cap. 4. qu. 4. art. 1.

conclusio non intelligitur de extensione in ordine ad locum, cui etiam convenit aliquomodo ratio quantitatis in communi; hæc enim in ipsa quantitate, distincta ab extensione in ordine ad locum, subjectatur, ut infra constabit ex iis quæ in speciebus sacramentalibus accidere videmus. Solum ergo intelligitur conclusio de quantitate quæ est radix hujusmodi extensionis.

Probatur primo argumento Gregorii loco citato art. 2. In homine quantitas subjectatur in sola materia et non in composito: ergo similiter in aliis. Consequentia patet; nam si semel concedatur materiam solam esse subjectum proportionatum quantitatis, ita ut immediate insit illi, et non composito, et nihilominus ex eo solum quod in materia hominis est quantitas totus homo dicitur quantus, nulla est ratio cur non id in aliis compositis possit dici. Maxime quia si in sola materia subjectatur quantitas hominis, sequitur quod si corrupto homine incipiat subjectari in toto composito, quodammodo migrabit ex uno subjecto in aliud, et postquam habet causam materialem adæquatam, acquirit nihilominus novum subjectum et novam causam materialem. Antecedens probatur: nam forma hominis est spiritualis et indivisibilis, ac proinde non potest extendi ita ut una pars sit extra aliam, hoc enim supponit rem quæ extenditur habere partes. Ergo anima est incapax effectus formalis quantitatis, qui tamen communicari deberet animæ si in ipsa tanquam subjecto esset quantitas. Impossibile enim est ut inhæreat accidens alicui subjecto, et non det illi suum effectum formalem, cum non alio modo id fiat quam per unionem.[1] Confirmatur: nam in homine duæ sunt partes, altera materialis, altera spiritualis; et similiter duplices proprietates, aliæ spirituales, aliæ materiales inter quas præcipua est quantitas. Ergo sicut spirituales in sola anima subjectantur ut intellectus etc. et non in materia, ita proprietates materiales in sola materia subjectantur. Sicut enim anima, licet sit ens incompletum et non completa substantia, potest esse subjectum accidentium immediate, ita et materia.

Respondet Durandus 1. dist. 8. qu. 4. animam rationalem recipere quantitatem partialiter, sicut et materia recipit partialiter, non tamen dicitur quanta. Sicut enim, licet visionem recipiat anima et corpus, non dicitur tamen anima videns, sed homo: ita etc. Et ideo ait, ex hoc solum quod aliqua pars sit causa receptiva

[1] Si uniretur quantitas animæ, eam informaret eique daret suum effectum formalem; si autem non unitur animæ, sed soli materiæ: ergo illi soli inhaeret.

partialis quantitatis, non sequitur illam esse quantam, sed solum aggregatum ex partibus. Si dicas: eodem modo sequitur nec materiam, nec ullam formam materialem esse quantam, quia tantum sunt partiale receptivum quantitatis, respondet: ex eo solum quod partialiter recipiant quantitatem, non dici ista quanta, sed solum ex eo quod sint corporea. Idem fere 2. dist. 12. qu. 2. repetit. Contra hanc tamen solutionem est: nam cum totum compositum non sit aliud quam materia et forma unita, si recipitur quantitas in toto, revera recipitur in materia et forma. Impossibile autem est, si anima recipit quantitatem ut non communicet illi suum effectum, nempe extensionem, ut ostendimus. Ergo cum anima rationalis non sit extensa, non recipit in se quantitatem. Deinde non est alia ratio cur anima non possit habere denominationem corporei et quanti, nisi quia non potest quantitatem subjectare. Porro non alia de causa materia est corporea et non spiritualis nisi quia potest recipere quantitatem et per illam extendi; hoc enim est esse corpus, scilicet esse principium cui debeatur quantitas per quam extendi possit.[1] Nam ex eo solum quod habeat aliqua res partes, non dicitur corpus vel corporea, siquidem qualitates spirituales quæ intenduntur habent partes, tamen non sunt corporeæ. Ergo si anima potest subjectare quantitatem æque ac materia, æque ac illa erit corporea. Confirmatur: nam sicut quando duæ causæ efficientes partialiter producunt aliquid, quælibet efficit partialiter effectum, ita causæ receptivæ partiales, partialiter recipiunt effectum formæ quam recipiunt: ergo et anima recipiet extensionem.

Probatur secundo cum Suaresio sect. illa 3. n. 23. Nam materia est subjectum generationis substantialis: ergo in se habet omnia requisita ad exercendum actu munus subjecti; ac proinde omnia quæ necessaria sunt ad hoc ut constituatur materia apta recipere generationem, necessario præintelligi debent ante adventum formæ et in ipso instanti receptionis generationis. Sed unum ex necessariis est ut subjectum sit quantum, agens enim corporeum non potest exercere actum nisi in subjecto extenso, ex lib. De sensu cap. 6. et 8. et ostendemus disp. De motu qu. 4. Ergo in ipso instanti generationis in quo recipit materia actum, debet esse extensa ipsa materia. Sed si quantitas esset in composito, cum in illo instanti quo est actio productiva novi compositi non sit præcedens compositum, in illo instanti non esset quantitas præexistens,

[1] Cf. Disput. de quantitate qu. 1. ad argumenta Nominalium.

nisi dicas illam sine subjecto perseverare. Dices: in eo instanti comproduci cum forma novam quantitatem, quod sufficit ad hoc ut subjectum generationis sit extensum. Contra tamen est: nam ad hoc ut recipiat materia actionem agentis, debet esse extensa; sed actio productiva quantitatis non potest recipi in materia quanta, siquidem cum est actio productiva quantitatis novæ, tunc non est in materia præexistens quantitas, esset enim simul cum quantitate producta ac proinde se penetrarent. Ergo cum etiam suum terminum non supponat talis actio, recipi debebit in materia non extensa ac proinde non habente sufficientem dispositionem ad talem actionem recipiendam, quod probo. Nam unum ex necessariis ad recipiendam actionem agentis corporei est extensio subjecti; cum ergo omnia illa quæ necessaria sunt ad constituendum subjectum aptum recipere actionem, necessario præcedere debeant ipsam actionem: sequitur necessario debere in materia semper esse quantitatem, nec posse illam recipere actionem productivam quantitatis.

Tertio probatur: nam si quantitas recipiatur in toto composito et non in materia: ergo corrupto toto, corrumpitur quantitas, nisi dicas migrare illam ad novum subjectum. At falsam esse sequelam, mox dicto 3. et fusius in lib. De gener. ostendemus. Ergo.

Ratio a priori hujus conclusionis est: nam quantitas est potentia passiva accidentalis, receptiva aliorum accidentium, ut mox dicemus, et præterea est accidens commune omnibus corporibus, cum tamen accidentia quæ composito conveniunt sint diversa pro diversitate compositorum: ergo nulli alteri subjecto debetur, nec inhæret alteri, quam materiæ, quæ est potentia substantialis passiva seu substantia incompleta potens recipere, et communis omnibus corporibus naturalibus. Et sane, div. Thomas 4. Contra gentes cap. 81. docet, in homine mortuo manere materiam cum eadem quantitate. Unde non immerito aliqui Thomistæ volunt, div. Thomam non ita velle quantitatem inesse composito ut partialiter inhæreat formæ, sed solum velle quantitatem ita inhærere materiæ ut hæc prius sit determinata et actuata forma substantiali, ideoque formam substantialem primo recipi in materia, qua ablata, tolli etiam accidentia, eo quod materia necessario debeat informari forma substantiali ad hoc ut recipiat formam accidentalem, quod verissimum est. Nam forma substantialis revera necessaria est ad conservationem materiæ et quantitatis ut qu. 3. diximus.

Dico tertio: accidentia corporea distincta a quantitate non

subjectantur in toto composito. Probatur unico argumento. Nam si in toto subjectarentur: ergo destructo composito corrumperentur omnia illius accidentia, vel certe transirent accidentia ab uno subjecto ad aliud. Sed utrumque est omnino falsum. Primo enim, quia non corrumpuntur omnia accidentia quæ fuerunt in re corrupta docet Aristoteles 1. De gener. text. 24., et 2. De generat. text. 25. ex eo probat facilius transmutari elementa symbola quam dissymbola, quia una qualitas in symbolis remanet communis utrique elemento. Deinde sensu percipimus simillima accidentia iis quæ præfuerunt in re, etiam postquam corrupta est, manere. At si hæc accidentia non sunt penitus eadem quæ ante fuerant, non potest ullum agens assignari a quo producantur hujusmodi accidentia, ut etiam disp. 1. qu. 1. in 3. supposito diximus.[1] Hæc enim accidentia non introducuntur a generante novum compositum ut vult Cajetanus qu. 17. De ente, nam sæpe accidentia quæ remanent sunt contraria formæ genitæ, sæpe vero penitus impertinentia ad formam genitam, ut in nævo, figura, cicatrice etc. patet, quæ non est ulla ratio, nec ullus finis naturalis cur introducantur, ac proinde superfluum esset talia accidentia producere. Deinde animal sursum projectum potest in ascensu mori, et nihilominus ascendere: ergo adhuc habet impetum a quo sursum movetur, qui tamen produci non potest a cadavere cujus nulla connexio est cum imptetu; nec a projiciente, cum longe absit; nec ab impetu præexistente qui corruptus est, id enim quod actu nihil est, agere non potest: ergo remanet impetus productus ab agente etiam in animali mortuo: ergo et illius subjectum. Nec dici potest talia accidentia manare a genito, nam si semel manant, semper manabunt quando tali accidente carent, et tamen qui non habuit cicatricem vivus, nec habet mortuus. Præterea non potest manare ab aliquo accidens impertinens ad sui conservationem vel perfectionem, et multo minus accidens destructivum sui ipsius. Ergo. Confirmatur: ex sententia Thomistarum forma substantialis v. gr. vermis ex terra geniti, absente jam sole a quo terra calefacta est, producitur ab accidentibus existentibus in terra: ergo in illo instanti in quo producitur forma vermis, existunt illa accidentia, siquidem ut infra ostendemus causa efficiens necessario debet esse actu cum producit aliquid actu. In illo autem instanti in quo jam est vermis, non

[1] Utitur hoc argumento Suarez illa sect. 3. n. 20. et 21., ubi n. 37. concludit remanere quædam accidentia in genito.

est terra: ergo accidentia quæ existebant in terra, remanent eadem in verme, quod argumentum suppositis principiis divi Thomæ demonstrat intentum.

Secundo, quod non mutet accidens subjectum ita ut idem accidens remaneat sed novo subjecto uniatur, ac proinde quod in universum non possit accidens migrare ex uno subjecto in aliud naturaliter, probatur. Primo ex Aristotele qui 7. Metaph. text 4. ait accidentium nullum esse separabile a subjecto, et 1. Phys. text. 39. inseparabiles ait esse passiones et qualitates a subjecto, et cap. 2. Antepræd. ea quæ in subjecto sunt, scilicet accidentia, impossibile esse ut sint sine eo in quo sunt. Idem docet 1. Phys. text. 14., quibus locis non solum docet Aristoteles accidens non posse esse sine omni subjecto, (ut inductione patet, et ratio eadem est quæ de formis substantialibus corruptibilibus), verum etiam non posse ab uno subjecto separari et ad aliud migrare. Secundo ratione probatur. Nam non potest separari accidens a subjecto in quo est naturaliter nisi per formæ contrariæ incompossibilis introductionem, quæ dum actuat materiam facit ut propter suam limitatam vim non possit subjectum in genere causæ materialis concurrere ad formam præcedentem et ejus unionem conservandam ut disp. 4. in 2. Phys. qu. 1. explanabitur. Revera enim alio modo fieri non potest separatio formæ a subjecto, cum nulla causa efficiens creata conservet effective accidens et ejus unionem, saltem ut plurimum, in subjecto. At sublato concursu materialis ad accidentis existentiam, necessario statim corrumpitur accidens, siquidem deest illi aliqua causa necessaria ad existendum, scilicet materialis. Nisi enim hoc esset, quantumvis excluderetur forma a materia per adventum formæ incompossibilis, non corrumperetur, sed duntaxat separata remaneret: ergo non potest migrare accidens ad aliud subjectum sed desinet esse, cum impossibile sit rem existere nisi dependenter ab omnibus causis necessariis ad existentiam.

Dices: in quo instanti primum non est concursus prioris subjecti necessarius ad existentiam accidentis, in eo primum incipit concursus alterius subjecti ex vi cujus æque remanet in esse sicut ante quemadmodum diximus de materia qu. 3. ad 2. secundæ sententiæ. Contra: nam si potest agens naturale unire novo subjecto accidens præexistens; ergo illud subjectum habet potentiam naturalem ad hoc accidens conservandum, cum concursus causæ materialis necessarius sit ad omnes formas corruptibiles. Nisi enim

necessarius esset, non posset dari causa cur cum introducitur accidens incompossibile præcedenti accidenti, desinat esse in rerum natura accidens præexistens, et non potius remaneat sicut anima rationalis. Si habet subjectum potentiam ad hoc numero accidens: ergo hoc numero accidens posset ab agente naturali produci e potentia talis subjecti, licet existeret in alio subjecto vel etiam corruptum fuisset in illo, quorum utrumque absurdum est. Consequentia probatur, quia ut qu. 4. ostendimus, si datur potentia passiva ad hoc numero accidens, in subjecto distincto ab eo in quo semel est: ergo dari potest potentia activa a qua producatur in tali subjecto. Præterea constabit ex 2. Phys. disp. 2. qu. 8. si semel admittamus plures partes materiæ, vel plura subjecta posse idem numero accidens recipere naturaliter, non posse dari rationem cur non possit semel corruptum reparari.

Ratio a priori hujus conclusionis est: nam accidentia sunt dispositiones ad formam, et ideo producuntur ante formam ut determinent materiam ad eam recipiendam. At non determinant compositum, sed materiam: ergo non sunt in composito. Et sane, si instanti quo forma producitur non sint accidentia in materia, nullo modo est determinata illa materia ad formam hujus speciei potius quam illius et omnino imprudenter ordinasset natura accidentia tanquam dispositiones ad formam generandam, si illa deberent perire in instanti quo forma deberet produci, præsertim cum alia accidentia ejusdem speciei debeant statim succedere,

Dico quarto: qualitates corporeas immediate subjectari in quantitate probabilissimum est. Hæc conclusio est contra Fonsecam 4. Metaph. text 14. ubi ait nullum accidens esse subjectum alterius accidentis, quamvis posset esse causa et dispositio cur subjectum recipiat illud accidens. Idem Gabriel 2. dist. 12. qu. 2. art. 2. ubi ait materiam esse immediatum subjectum cujusvis accidentis et non quantitatem; idem Zabarella lib. De gener. cap. 9. et. probat quia ex potentia materiæ educuntur non ex potentia quantitatis. Nostra tamen conclusio est Suaresii tom. 3. disp. 56. sect. 3. et disp. 57. sect. 2. in fine et citatorum ab illo, div. Thomae 3. part. qu. 77. art. 2. ad 2. et. 1. 2-æ. qu. 56. a. 1. ad 3., Scoti 4. dist. 12. qu. 2. et 5., Durandi qu. 1., Paludani qu. 3., Capreoli, Soti, Bonaventuræ, Richardi, Ledesmæ, Ferrariensis 4. Contra gent. cap. 65., Henrici, Aegidii, Cajetani 3. p. qu. 77. etc. Est et Aristotelis 4. Phys. text. 25. ubi ait corpus idcirco esse album quia

albedo est in superficie in qua non amplius secundum aliud est albedo, et 5. Metaph. text 23. docet superficiem per se esse coloratam, et colorem in superficie primum fieri.

Probatur argumentis factis a Suaresio citato, primo: nam species sacramentales manent aliqua ratione inter se unitæ, alias enim mota quantitate non sequeretur ex natura rei moveri albedinem, quod est contra experientiam. Sed non uniuntur immediate qualitates inter se, quia non est ratio cur una potius sit subjectum quam altera. Ergo uniuntur uni tertio, quod non est ulla pars substantialis panis quæ ibi non remanet, nec quidquam aptius cogitari potest ipsa quantitate: ergo immediate uniuntur quantitati. Ergo cum unio accidentis cum alio non sit aliud quam inhæsio, cætera accidentia inhærent quantitati. Nam unio effectiva, per quam scilicet quantitas effective concurrat ad continendas simul species ne separentur, omnino gratis fingeretur[1].

Secundo et efficatius. Si qualitates specierum sacramentalium non essent in aliquo subjecto, non possent naturaliter alterari, ut calorem et frigus recipere, nec intensio unius alterius remissionem causaret, quia formaliter solum pugnent inter se in ordine ad idem subjectum. Sed non potest esse aliud subjectum præter quantitatem. Ergo. Confirmatur: nam si non sunt in subjecto ex cujus potentia reducantur, creabuntur accidentia quæ de novo incipiunt esse in speciebus, et annihilarentur quæ esse disinunt. Dices: eodem modo probari quantitatem esse in subjecto, quia alias non posset naturaliter rarefieri aut condensari, quod concedit Scotus dist. 12. qu. 4. quia putat per rarefactionem acquiri novam quantitatem. Cajetanus loco citato admittens idem fundamentum, conatur solvere argumentum, sed nihil agit. Respondeo ergo cum Suarez: ex hoc sequi potius raritatem esse in quantitate ut in subjecto, per rarefactionem autem acquiritur modus quidam quantitatis, seu extensio ad locum quæ est in quantitate ut in subjecto, licet ipsa quoque extensio rationem summi generis quantitatis participet ut 3. Phys. ostendemus, ac proinde non sit qualitas. Hoc argumento etiam ostenditur quantitatem esse naturale subjectum accidentium. Si enim quantitas non est potentia naturalis receptiva accidentium;

[1] Suarez disp. 14. sect. 4. n. 6. ait non posse omne accidens inhærere immediate accidenti, quia tandem tota accidentium collectio substantiæ debet inniti ut latius ostendit n. 1. et docet div. Thomas 1. p. qu. 77. art. 1. ad 5 Multa tamen accidentia immediate inhærent quantitati ait n. 7.

ergo tantum habet potentiam obedientialem ad illa recipienda: ergo nullum agens naturale alterare poterit species per proprias vires, vel ex potentia quantitatis educere accidens. Unde ulterius sequitur, quantitatem esse totale subjectum horum accidentium. Si enim in quantitate non est potentia completa ad recipiendum accidentia immediate, nunquam viribus naturæ poterunt agentia naturalia alterare species et educere accidentia ex quantitate. Potentia enim obedientialis solum respicit Deum ut causam principalem, creaturas vero ut instrumenta Dei.

Tertio: albedo specierum, ut sensuum indicio constat, est extensa et impenetrabilis alteri albedini. At hoc fieri non potest nisi vel albedo quantitati, vel quantitas insit albedini; alio enim modo extendi non posset, cum ad extensionem sola præsentia intima non sufficiat. Certum autem est, quantitatem non esse in albedine, quia quantitas est propinguior materiæ, magisque participat rationem potentiæ receptivæ, quam qualitas quæ formam consequitur. Ergo. Confirmatur: alio modo unitur albedo et calor in eodem subjecto quam albedo et superficies, siquidem ex eo quod albedo sit visibilis, etiam superficies visibilis est tanquam sensibile commune, calor vero non est per se visibilis, nequidem ut sensibile commune. Sed albedo et calor uniuntur in eodem tertio, i. e. subjecto. Ergo albedo et superficies magis inter se uniuntur, quam in illo tertio. Similiter albedo dicitur quanta, non dulcis, licet sint in eodem subjecto. Ergo aliqua peculiari ratione unitur albedo cum quantitate qua non unitur cum dulcedine. Ergo etc. Quod si aliquando Aristoteles dicat, qualitates esse in materia prima, ut 2. De generat. text. 6. etc., intelligit mediate. Et quod diximus de potentia materiæ, idem dicendum est de potentia receptiva quantitatis, eam scilicet esse rationem accidentalem, licet identificatam ipsi quantitati, non solum quia ad conceptum essentialem quantitatis non sit necessarius talis conceptus potentiæ, ut patet ex ratione quantitatis explicata in Logica, verum etiam quia licet necessarius esset, ita ut quantitas concipi non posset nisi ut potentia receptiva, adhuc ex eo præcise non sequeretur potentiam esse de ejus essentia ut ex dictis qu. 4. patet. Illud enim axioma: res potest essentialiter concipi sine eo quod non est de ejus essentia, universaliter verum non est. Ratio a priori hujus conclusionis est: nam sicut natura tribuit formæ potentias activas ad producendum effectum, ut igni calorem etc.:

ita materiæ quæ est substantia receptiva, tribuit potentiam receptivam accidentalem quæ immediate recipiat dispositiones. Sicut ergo qualitas quæ sequitur formam est principium agendi, sic quantitas quæ sequitur materiam est principium recipiendi accidentia; et sicut qualitas activa supernaturaliter separata a subjecto, potest agere: ita et quantitas supernaturaliter separata, naturaliter sustentabit accidentia

Objicies *primo:* Aristoteles 4. Metaph. text. 14. ait, accidens non esse accidentis accidens. At si quantitas esset subjectum aliorum accidentium, hoc non esset verum. Confirmatur: nam nulla substantia potest inhærere alteri substantiæ: ergo nullum accidens potest esse subjectum alterius accidentis. *Secundo.* Si accidentia sunt in quantitate: ergo illa accidentia non dicunt ordinem essentialem ad substantiam immediate, et producta aliqua qualitate non immediate mutaretur substantia, si talia accidentia non recipiuntur immediate in substantia. *Tertio.* Si accidentia immediate non insunt materiæ, nulla potest dari ratio cur ex quantitate et accidentibus non fiat unum per se. Similiter nulla potest dari ratio cur in cœlis dari non possint qualitates similes iis quæ sunt in sublunaribus, siquidem quantitas cœlorum est ejusdem rationis cum quantitate sublunarium. *Denique* non potest explicari quomodo per accidentia quæ sunt in quantitate disponatur materia ad formam recipiendam; ad hoc enim ut materia disponatur ad formam, nil refert esse in quantitate accidentia aliqua. Addunt alii: substantiæ solius esse, ut eadem numero manens, recipiat contraria. Sed in Logica cap. De substan. quomodo id intelligatur, explicavimus. Recte enim Suarez disp. 40. sect. 2. n. 23. ait substantiam esse subjectum primum; quantitatem proximum.

Ad primum respondeo: Aristoteles solum vult, accidens non esse ultimarium et principale subjectum alterius accidentis, quamvis possit esse subjectum immediatum, nam omnium sententia habitus et actus vitales sunt immediate in potentiis etc. Aristoteles ergo solum vult, dari debere unum primum subjectum accidentium, quod sit substantia, et idcirco non docet simpliciter, accidens non esse accidentis accidens, sed solum ait non esse accidens accidentis, nisi utrumque eidem accidat. Unde satis est, si unum immediate, alterum mediate eidem substantiæ accidat, ad hoc ut unum accidens sit subjectum alterius accidentis. Ad confirmationem respondeo cum Suarez loco citato: negando consequentiam, nisi forte sensus

consequentis sit non posse accidens substare tanquam subjectum primum et principale.

Ad secundum: omnia accidentia dicunt ordinem ad substantiam tanquam ad primum subjectum, et tanquam ad finem propter quem dantur accidentia in rerum natura, non tamen tanquam ad immediatum subjectum cui inhæreant. Et ita verum est etiam, non per quodlibet accidens mutari substantiam immediate, sed mediate.

Ad tertium: sicuti ex quantitate et materia non fit unum per se, quia ex solo actu ejusdem generis cum eo quod est in potentia fit unum per se ut qu. 4. ad 3. diximus; ita ob eandem causam ex quantitate et accidentibus non fit unum per se. Deinde sicut illi qui ajunt in cœlis esse materiam ejusdem rationis cum nostra, negant illam materiam posse recipere aliam formam, eo quod tali forma quæ natura sua perpetua est informatur; ita quantitas ex se capax accidentium, ex eo quod sit in tali subjecto, impeditur ne possit recipere accidentia. Et ratio a priori est: nam idcirco quantitas recipit accidentia, ut ejus subjectum disponatur ad formam producendam; cum ergo cœli sint incorruptibiles, non potest eorum quantitas recipere accidentia disponentia ad novam formam.[1]

Ad ultimum respondeo: accidentia licet non immediate inhæreant materiæ, eam tamen disponunt ad formam. Accidentia enim solum eatenus requiruntur ad introductionem formæ, ut forma possit exercere ea munera ad quæ natura sua ordinatur, et quæ ad ipsius finem proprium conducunt, quo fit ut illis ablatis forma desinat esse, quia idcirco forma informat materiam, ut compositum per illam constitutum operetur, quare ablatis potentiis formæ, cessat ejus finis, ac proinde non conservabitur amplius ut qu. 3. dicto 1. ostendimus. Et quamvis accidentia subjectarentur in materia, non posset alio modo explicari cur necessaria sint accidentia ad formæ conservationem. Hoc autem totum æque locum habet si accidentia subjectentur in quantitate, ac si subjectarentur in materia. Sicut enim possent deservire ipsi substantiali formæ accidentia subjectata in materia, ita deservire possunt accidentia subjectata in quantitate quæ in ipsa materia recipitur.

Ad argumenta primæ sententiæ. *Ad primum* respondeo: Aristoteles illo 5. Phys. solum ait, id quod generatur non moveri. Quod enim non est simpliciter, i. e. non existit, moveri non potest;

[1] Sicut opacitas impedit ne lumen suscipiatur, et impassibilitas corporum gloriosorum ne patiantur ait Molina citandus disp. 1. in lib. De coelo etc.: ita etc.

at quod generatur non existit ante generationem: ergo non potest moveri, quod verum est, sed non ad rem. Illo 1. De generat. solum docet, materiam non posse esse sine quantitate, et licet esse posset, adhuc tamen si ex non quanto fieret aliquid quantum, generatio esse posset, non augmentatio, quæ est additio quantitatis ad quantitatem præexistentem. Ad illud 2. Phys. mox dicam, sicut etiam ad illud quo quærebatur, quomodo accidens quod alteri tantum parti inhæret, denominare possit totum compositum.

Ad secundum. Minor propositio si intelligatur de priori duratione falsa est, in eodem enim instanti in quo materia habet formam accidentalem habet et substantialem, nec naturaliter potest esse nisi utramque habeat. Si vero intelligatur de prioritate naturæ seu causalitatis, tunc recte probatur prius in genere causæ finalis uniri formam substantialem materiæ, quam accidentalem. Finis enim ad quem ordinantur accidentia tanquam dispositiones, est formæ substantialis introductio et conservatio in materia. Sed similiter in genere causæ materialis, ad quam revocatur dispositio respectu formæ, priores natura sunt dispositiones accidentales in materia, quam forma substantialis; ex quo nihil omnino colligitur ad rem. Eodem modo cum dicunt auctores prius esse ens per se ente per accidens, exponendum est de priori natura, præterquam quod etiam materia sit ens per se, licet incompletum, et non solum compositum est ens per se, ut docet Zabarella lib. 2. De materia cap. 11. ad 4. ubi materiam ait esse unum per se prout distinguitur contra unum per accidens.[1]

Ad tertium. Nego minorem. *Ad primam probationem* respondeo: nego sequelam. Ratio enim corporis directe positi in prædicamento substantiæ, non est ens capax trinæ dimensionis, sed ens constans materia et forma cui connaturaliter debeatur quantitas saltem ratione unius partis. Ex quo constat, cur homo, cum altera parte materiali altera spirituali constet, absolute dicatur corporeus, cum tamen præcipua ejus pars sit spiritualis; quia scilicet homo habet integram rationem substantiæ corporeæ, quæ in eo consistit, ut sit substantia composita materia et forma, cui ratione unius saltem partis debeatur quantitas.

Ad secundam probationem respondeo: cur quantitas non sit principium mutationis disp. præc. qu. 3. dicto 2. ostendimus. Prin-

[1] Idem Zabarella lib. De generat. cap. 9. latius explicat quomodo prius recipiat materia formas substantiales; non tempore sed natura.

cipium ergo materiale generationis est id solum quod suscipit generationem, quod est sola materia, non vero ea omnia quæ requiruntur ad generationem.

Ad tertiam: in quantitate sunt puncta, lineæ, superficies, uniones, corpus; præterea distinguenda est in quantitate extensio in ordine ad locum, ab alia specie quantitatis quæ hanc extensionem non exigit, cujusmodi est quantitas corporis Christi in Eucharistia. Iam ergo puncta, lineæ, superficies corrumpuntur per divisionem ut recte Aristoteles 3. Metaph. text. 17. sub finem. Ratio est, quia cum sint uniones partium, quæ essentialiter sunt actualis nexus, ac proinde non possint existere nisi actu uniant, partes autem separatas et loco distantes unire non possint naturaliter, Deus qui immediate conservat in genere causæ efficientis ista, cessare debet ab eorum conservatione. Similiter extensio in ordine ad locum corrumpitur et producitur ut in rarefactione accidere ostendimus. Argumentum igitur factum solum probat, corpus de prædicamento quantitatis non posse corrumpi (si tamen concedamus in rarefactione non acquiri novam quantitatem ita ut præcedens corrumpatur, sicut de extensione ad locum diximus), quia non est ratio ulla cur naturaliter exigatur ut Deus cesset ab ejus conservatione, sicut exigitur ut cesset a conservatione unionum post divisionem. — Ex quo apparet falli eos qui universaliter ajunt omnem quantitatem esse coævam materiæ, cum solum corpus quantitativum sit coævum eo quod illud corrumpi non possit ut diximus. Ut autem sit verus motus augmentationis, non est necesse ut producatur novum corpus quantitativum ut alibi ostenditur.[1]

Ad quartam probationem respondeo: quantitas denominat totum compositum quantum. Denominationes enim tribuuntur toti supposito, quamvis forma denominans non inhæreat nisi alicui parti ipsius. Unde suppositum dicitur agere, quamvis sola forma sit activa. Præterea verum est etiam, materiam esse quantam per quantitatem inhærentem, nec Aristoteles loco citato id negat, sed solum vult, ut qu. 2. diximus, materiam secundum essentiam suam

[1] Sed verum ut fatear, licet efficaciter ostendatur quod quantitas immediate inhæreat materiæ, ac proinde quod defectu subjecti non corrumpatur, sicut nec a contrario; tamen nisi probetur per rarefactionem non acquiri novam quantitatem, non potest probari corpus quantitativum non corrumpi, sed idem numero permanere. Sicut enim Durandus et alii dicunt, in intensione corrumpi totam quantitatem præexistentem, et novam perfectiorem produci; imo sicut nos simile quid dicemus de existensione in ordine ad locum, cum agemus de rarefactione: ita quis dicere posset, a majori quantitate adveniente expelli minorem. Ac proinde ex iis quæ de rarefactione dicturi sumus constabit, an sit coæva quantitas vel non materiæ.

et naturam non esse quantam. Deinde facile est explicare quomodo accidentia quæ immediate inhærent quantitati sint quanta et extensa per quantitatem. At vero qua ratione formæ substantiales extendantur per quantitatem non ita facile est explicare. Revera enim argumentum factum reddit hanc rem valde difficilem. Ego existimarem[1], ad hoc ut aliquid sit extensum per quantitatem, saltem mediate, satis esse si sit unitum materiæ extensæ per quantitatem, dummodo cetera adsint, tunc enim licet non immediate, tamen mediate etiam id quod est unitum materiæ extenditur. Ratio vero cur anima rationalis unita materiæ quantæ non extendatur est, quia ut per illam mediatam unionem cum quantitate extendatur forma, debet habere partes. Ut enim in Logica disp. De quant. qu. 1. dicto 4. ostendimus, ad hoc ut aliquid recipiat effectum formalem quantitatis, scil. extensionem, debet habere partes. Impossibile enim est ut per quantitatem una pars rei constituatur extra aliam, nisi sint plures partes illius rei. Sicut ergo non dicitur videns qui habet qualitatem productam per visionem, nisi simul producat illam: ita nec dicitur res quanta licet habeat mediatam unionem cum quantitate, nisi habeat partes. Imo nec hoc solum sufficit, posset enim Deus formam materialem ita ponere in materia, ut tota esset in tota et tota in qualibet parte, et ut omnes partes formæ unirentur omnibus partibus immediate. Unde præter partes necessarium est ut res quæ denominatur quanta, non habeat quamlibet partem unitam cuilibet parti. Modus enim ille existendi indivisibilis impediret denominationem quæ provenire poterat a quantitate.

[1] Suarez disp. 14. sect. 3. n. 43. ait probabile esse quantitatem esse unitam formis divisibilibus immediate. Nam participant effectum formalem quantitatis, illi enim coextenduntur et partes illarum non possunt penetratione simul esse. Confirmatur: nam sicut ex eo quod anima rationalis non extenditur colligimus non inhærere illi quantitatem, ita ex eo quod aliæ formæ extendantur contrarium colligere debemus. Si enim affirmatio est causa affirmationis: ergo. Confirmatur. Non alio modo potest res extendi nisi quia subjectet quantitatem vel in illa subjectetur; forma substantialis non subjectatur in quantitate et tamen extenditur: ergo.

Numero vero 47. contrarium ait esse probabilius; nam nuda materia est sufficiens causa totalis quantitatis: ergo non unitur alteri rei in eodem genere quantitatis. Antecedens firmatur: nam in homine materia est causa totalis quantitatis: ergo cum semper etiam in aliis rebus causet materia in suo genere totum quod potest, etiam in aliis erit totalis causa. Ergo cum unius rei unica detur causa totalis in quolibet genere, non potest si in genere sit totalis causa, manente eadem materia et quantitate pendere ab alia causa.

Ad argumentum respondet n. 48. et sequentibus. Ut forma extendatur velut per accidens, non requiri ut insit quantitati vel quantitas illi, sed sufficit si forma habens partes ita sit in materia, ut una pars formæ educatur ex una parte materiæ, alia ex alia. Forma enim materialis ex se habet partes et non a quantitate formaliter; eo ergo ipso quod materia cui inest forma extenditur, etiam forma per accidens extenditur. Unde ait n. 50. extendi potest res licet non habeat in se quantitatem, nec sit in quantitate. Et illa extensio est effectus quasi mediatus quantitatis.

Ad quintam probationem respondeo: quantitatem esse passionem compositi ratione alterius partis in composito inclusæ, scil. ratione materiæ. Sicut ergo intellectus et est passio animæ et hominis, ita quantitas et est passio materiæ et compositi ad quod et ipsama teria et ejus proprietates ordinantur. Recte ergo Pererius lib. 5. cap. 18. in 10. ratione et Durandus 1. dist. 8. qu. 4. docent quantitatem esse passionem corporis naturalis, sed illi convenire ratione materiæ, quia maxime requiritur ad hoc ut materia munus suum exercere possit, i. e. recipere accidentia, quæ media quantitate tanquam potentia passiva recipit, et idcirco etiam est accidens commune per quod non magis disponitur materia ad hanc formam quam ad illam. — Ad ultimam probationem: non vult Aristoteles omnem substantiam priorem esse tempore omni accidente, sed solum aliquam substantiam, scil. Deum priorem esse accidentibus, licet aliqua substantia v. gr. materia non sit prior tempore quantitate, natura tamen prior est, quia est subjectum quantitatis, licet et quantitas tanquam conditio necessaria ad ejus existentiam necessaria sit[1].

Ad ultimum argumentum respondeo concedendo sequelam, ad ejus impugnationem vero respondeo: si prima substantia totaliter corrumpatur, una scil. ejus materia et forma, nullum accidens remanebit; si tamen maneat aliqua pars primæ substantiæ, manet et accidens. In generatione autem solum vult Aristoteles non remanere aliquod compositum substantiale, quod appellat subjectum sensibile, eo quod in composito cum non sit nisi una forma substantialis, fiat resolutio usque ad materiam primam quo ad compositionem substantialem. Et idem docet 1. Phys. cum ait: ultimo resolvi rem in materiam, i. e. nil substantiale intrinsecum composito remanere præter materiam cum res corrumpitur.

QUAESTIO SEXTA.

De proprietatibus materiae.

Tria sunt quæ tanquam proprietates attribui solent materiæ, quod scilicet scit ingenerabilis, quod sit una omnium rerum, et denique quod appetat formam, quæ ordine sunt explicanda.

[1] Zabarella lib. 2. De materia cap. 11. ad 1. fuse explicat illum locum Aristotelis, ubi ait solum velle Aristotelem, subjectum et substantiam posse omnibus illis modis priorem esse accidente, vel omni, vel saltem aliquo, et Zimara ab eo citatus illud *et* accipit pro *vel*, sicut in definitione naturæ, ut sensus sit: substantiam vel natura vel tempore esse priorem.

Circa primum Aristoteles 1. Phys. text. 82. ait, materiam secundum se esse ingenerabilem et incorruptibilem quod bene explicant et probant Toletus 1. Phys. qu. 16., Conimbricenses 1. Phys. cap. 7. qu. 1. art. 2.[1] Certum autem est, materiam cum non sit ens a se, sed sit natura quædam imperfectissima, productam esse per creationem a Deo, et posse etiam desinere per annihilationem; nihilominus a nullo agente naturali posse generari vel corrumpi verissimum est, ut bene Suarez disp. 13. sect. 4. n. 17. Ratio est: nam si materia produceretur, necessario ex nihilo produci deberet, ac proinde creari, quod solius Dei est, ita ut saltem de facto nullum agens naturale ex nihilo producat, ut disp. præcedenti ostendimus. Sequela probatur. Nam si non fieret ex nihilo: ergo fieret ex præsupposito subjecto. At hoc fieri non potest, siquidem materia est primum subjectum ut loco citato docet Aristoteles, et probavimus supra[2]. Confirmatur: nam materia non potest corrumpi nisi vel a contrariis; atqui nullum habet contrarium, — vel quia spolietur omni forma; at agentia naturalia id facere non possunt, siquidem non spoliant materiam una forma, nisi inducendo aliam a qua propter incompossibilitatem cum forma præcedente excluduntur, — vel denique quia causa conservans cesset a conservatione illius; atqui a Deo solo conservatur materia effective, cujus concursus conservativus supposito ordine naturali est perpetuus, nec a conservatione cessat Deus secundum naturæ cursum, nisi id petant causæ secundæ et ordo universi. Nihil autem potest assignari quod postulet suspendi concursum conservativum materiæ. Ergo.

Dices: si materia est ingenerabilis, quare compositum naturale non dicitur ab illa incorruptibile etc., sicut dicitur materiale etc. Deinde si materia est incorruptibilis, præstantior est formis corruptibilibus; res enim incorruptibiles nobiliores sunt corruptibilibus. Denique actio quæ est generatio formæ, est in materia tanquam subjecto: ergo eam denominat generari, sicut albedo denominat subjectum album, et alteratio subjectum alteratum.

Respondeo: ejusmodi negationes includunt distributionem ex negatione provenientem; significant enim rem nulla ex parte esse generabilem et corruptibilem, cum tamen compositum generetur et corrumpatur eo quod vel forma substantialis vel ejus unio cum

[1] Vide quæ de hoc dixi ex Suarez qu. 2. dicto 2. in nota.
[2] Adde confirmationem quam Suarez innuit l. c.

materia producatur et corrumpatur. Deinde ex eo quod materia incorruptibilis sit, non sequitur illam esse perfectiorem, nam perfectio non sumitur ex duratione rerum majori ut recte Conimbricenses 8. Phys. cap. 2. qu. 6. art. 3. ad 4., corvus enim et cervus etc. diutius durant quam homo etc. Rerum ergo major perfectio ex altiori gradu intra latitudinem entis sumi debet; formæ autem substantiales sunt actus: ergo superant materiam et habent gradum entis altiorem. Ad ultimam respondeo: Hæc actio generativa, existens in materia, sicut non denominat materiam agere, sed tantum constituit illam in via ad terminum: ita nec denominat generari. Quod enim materia dicatur alterari et non generari licet æque subjectet generationem ac alterationem, ratio est quia alteratio formaliter significat mutationem, ac proinde cum subjectum mutationis dicatur mutari, etiam subjectum alterationis dici potest alterari. At vero generatio non significat formaliter mutationem sed productionem rei, subjectum autem productionis non producitur, et ita non potest dici quod generetur. Licet enim generatio formaliter sit mutatio, tamen ex usu vocabuli potius pro productione quam pro mutatione usurpatur.

Aliqui tamen recentiores ajunt, dici generari et corrumpi subjective i. e. esse subjectum generationis, sed est improprius modus loquendi, quamvis Aristotelis esse videatur 12. Metaph. text. 10. et 8. Metaph. text. 4. Addit Aristoteles 1. Phys. text. 82. materiam dici posse corrumpi per accidens, eo quod privatio formæ corrumpatur quo ad negationem adveniente forma. Denique illud addendum est, recte ab Aristotele 1. Cœli text. 136., 1. De generat. text. 54., 2. De generat. text. 51. etc. dici materiam primam esse causam et primam originem generationis et corruptionis rerum, et 7. Metaph. text. 53. materiam ait esse causam ut res sint et non sint, de quo Toletus qu. 20. Quod non ita intelligendum est, quasi materia per se sit causa corruptionis, sed solum quod materia eo quod sit capax aliarum formarum, potest recipere novas formas, ac proinde ab illis corrumpi potest per incompossibilitatem forma præexistens.

Circa secundum difficultas solum potest esse: an materia omnium rerum sit una specie. Nam quod non sit una numero clarum est, ut recte Suarez disp. 13. sect. 11. n. 11., siquidem materia cujuslibet individui realiter et numero differt a materia alterius individui, sunt enim in diversis locis; at idem non potest

naturaliter esse in diversis locis. Præterea potest materia unius individui desinere esse, ut patet in materiá panis et vini consecrati, et tamen non desinit materia aliorum individuorum. Differunt autem hæ materiæ numero, sua entitate et realitate quam non habent a forma, cum sub diversis formis eadem remaneat materia, et ita recte Fonseca 5. Metaph. cap. 6. qu. 4. sect. 3. ait individuari materiam seipsa, per gradum absolutum differentiæ individualis identificatum ipsi materiæ, ut in Metaphysica dicemus, quamvis Bannez 1. De generat. cap. 5. qu. 3. art. 7. concl. 2. et Cajetanus cap. 2. De ente qu. 4. dicant, materiam individuari per formam, ac proinde eandem numero materiam realiter diversam esse si successive sit informata pluribus formis, quod manifeste falsum est, maxime cum quælibet res seipsa sit una et non per aliquid superadditum sibi et a se distinctum, ut in Logica disp. De quant. qu. 4. ostendimus. Quodsi Averroës 12. Metaph. com. 14. dicat, unam numero esse materiam omnium rerum, solum id intelligi hoc sensu potest, ut dicatur ex se non postulare divisionem, sed quantum est in se, posset omnes partes habere continuatas, quæ tamen locutio impropria est nec usurpanda. Quod igitur ad præsentem difficultatem spectat, certum est materiam omnium rerum sublunarium esse ejusdem speciei, seu ejusdem rationis nec distingui essentialiter quod docuit Aristoteles 1. Phys. Postquam enim text. 60. et 66. dixerat, materiam esse unum numero principium text. 69. subdit, esse unum non quia sit unum singulare existens, sed esse unum ratione. Idem indicat 1. De gener. text. 22., 4. Cœli 35. etc., et sæpe alibi docet omnia quæ transmutantur habere communem materiam. Semper enim in iis quæ transmutantur invenitur eadem numero materia, ut cum ex terra fit herba, ex herba caro bovis, ex bove vermis vel caro humana etc. Similiter cum ex aqua fit arbor, ex arboris succo pomum etc. At certum est experientia, corruptibilia omnia vel proxime vel remote transmutari: ergo.

Ratio a priori est: nam materia non est aliud quam substantia incompleta, potens recipere formas; sed materia omnium corruptibilium est æque in potentia ad quamlibet formam corruptibilem: ergo. Minor patet. Nam in eam videmus posse introduci dispositiones a quolibet agente fortiori; si autem non possit fieri transmutatio substantialis, non daretur alteratio quæ est dispositio proxima ad generationem, ut in lib. De generat. ostenditur: ergo. Illud ergo solum quæri posset, an possit divina virtute produci

materia rerum corruptibilium diversæ rationis ab hac, ita ut v. gr. non habeat potentiam nisi ad duas formas specie distinctas recipiendas.[1] In qua re existimo, non repugnare produci materias essentialiter diversas etiam rerum corruptibilium.[2] Nam de facto, quod ad materiam rerum incorruptibilium attinet, multi censent in cœlis dari materiam diversæ rationis a materia sublunarium, quod in lib. De cœlo explicabitur.

Probatur nostra sententia. Nam nulla est implicatio ut Deus producat novum mundum in quo sint elementa et mixta diversa ab iis quæ sunt in hoc mundo, ita ut licet mixta illius mundi transmutentur, tamen non possint alterari ab elementis hujus mundi, nec introduci in illam materiam forma horum elementorum, cum sine dispositionibus non introducantur. At materia natura sua incapax alicujus formæ, essentialiter differt a materia capaci natura sua illius formæ: ergo. Similiter potest dari materia quæ non possit recipere has dispositiones quas recipit nostra materia, ut calorem, frigus etc., sed aliam contrarietatem dispositionum ad quam hæc materia quæ de facto est, non habet potentiam, cum habeat solum potentiam ad contraria quæ de facto sunt in isto mundo. Sicut ergo formæ corruptibiles specie distinctæ dari possunt, ita non video cur materiæ dari non possint.

Circa tertium docet Aristoteles 1. Phys. text. 81. materiam appetere formas, quemadmodum turpe appetit pulchrum, quod ipsum docuit Plato ut ostendunt Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 5. Quod ut explicemus sciendum est, appetitum in genere aliud non esse quam inclinationem quandam in id quod bonum est et perfectio appetentis, quando hujusmodi bonum est absens. Duplex autem distinguitur appetitus, elicitus scilicet et naturalis, sicut in duplici genere sunt ea quæ bonum appetunt. Quædam enim cognoscunt bonum proprium, et hujusmodi agentia appetunt bonum actu quodam elicito. Aliæ vero res non cognoscunt bonum proprium, et idcirco non appetunt illud actu proprio quem eliciant, sed solum illud appetunt appetitu quodam et pondere naturali quo feruntur in illud bonum. Unde appetitus elicitus est actus potentiæ quo

[1] Negat Zabarella lib. De natura coeli, ex eoque probat materiam coeli non esse diversæ rationis.

[2] Ita Suarez disp. 13. sect. 11. n. 8. Nam materia habet suam propriam essentiam distinctam a forma, licet incompletam. Ergo potest in illo modo essentiæ partialis esse diversitas. Sicut enim potentia passiva accidentalis potest esse specie diversa, et formæ specie distinctæ, ita etc.

tendit in bonum; naturalis vero seu innatus aliud non est quam ipsa potentia inclinans ad aliquam perfectionem sine ullo actu a se elicito. Hujusmodi enim potentia si absit perfectio et bonum ad quod datur talis potentia, dicitur appetitus per metaphoram a rebus cognoscentibus et actu elicito desiderantibus suum bonum. Alia discrimina inter elicitum et innatum appetitum late prosequitur Fonseca 1. Metaph. cap. 1. qu. 1. a sect. 3.

Ex quo constat, appetitum naturalem non esse aliud quam potentiam aptam recipere aliquam perfectionem, illa tamen destitutam, et ideo cum talis potentia habet suam perfectionem, non dicitur illam appetere, quia illa potentia non dicitur appetitus nisi respectu formæ qua caret. At vero appetitus elicitus est actus realiter distinctus a potentia. Ex quo ulterius apparet, materiam appetere formas quas non habet appetitu naturali, non vero elicito, quia habet potentiam ad formas recipiendas quibus tamen caret. Et præterea appetitum materiæ distingui ab ejus potentia. Nam appetitus præter potentiam includit privationem boni et perfectionis, unde non dicitur appetere nisi bonum absens. At vero ratio potentiæ id non exigit, revera enim materia habet potentiam etiam ad formam a qua actu informatur. Si enim non habet potentiam ad illam formam et tamen habet illam: ergo habet quod non potest habere. Verum tamen est, non solemus dicere materiam esse in potentia ad formam quam habet, hoc enim ex communi usu significat esse solum in potentia. Ex quo patet quoque, sicut non est potentia ad formam corruptam, ita nec appetitus. Similiter non est appetitus ad privationem ut Zabarella lib. 1. De materia cap. 10. ait, quia privatio non est appetibilis et bona.

Sed objici potest 1-o. Materia solum habet inclinationem ad formam ut sic, hujus vero vel illius formæ nullam habet curam; sed quando habet unam formam, jam habet rationem formæ ut sic: ergo aliam non desiderat. *Secundo:* potentiæ naturales dicuntur desiderium vel appetitus naturalis sumpta metaphora ab appetitu rationali, quatenus ad instar illius intelligitur formata a Deo. Sed nullus appetitus rationalis ordinate procedens pro eo instanti quo habet majus bonum, appetit minus quod sit incompossibile majori. Ergo nec materia appetet minus bonum seu imperfectiorem formam quamdiu habet perfectiorem, ac proinde saltem cum habet animam rationalem nullam aliam formam appetet. *Tertio.* Si materia appetit formam, similiter forma appetet materiam, quod nemo dixerit.

Ad primum respondeo: materia appetit formam in quantum est perfectio illius; cum ergo non tantum in quantum formæ, sed etiam in quantum tales formæ perficiant materiam, idcirco appetit etiam tales formas. *Ad secundum.* Appetitus materiæ nil aliud est quam potentia cum privatione. Unde quamcunque formam habeat, semper appetit formam quam habere potest et non habet. Nec in hoc potest esse quæstio nisi de nomine. *Ad tertium.* Formæ inclinantur quidem ad informandam materiam, quia tamen formæ corporales nunquam sunt prius materia, nec migrant ex una materia in aliam, idcirco non dicuntur appetere, quia sine materia non sunt, et aliam materiam informare non possunt, idcirco earum potentia non dicitur appetitus, quia potentia non est appetitus nisi respectu boni absentis. Anima tamen rationalis dici potest appetere materiam cum est separata.

Solent nonnullæ aliæ proprietates materiæ assignari. Prima, quod careat omni potentia activa, i. e. solum habeat potentiam passivam. Aristoteles enim 1. De gener. text. 55. et 2. De gener. text. 53. docet materiam non esse activam, quod intelligendum ita est, ut materia non sit activa effective. Nam 2. Phys. disp. 4. examinabimus: an sustentatio formarum corruptibilium sit actio. Quod vero materia nil producat effective, probabile est (quamvis ut disp. sequenti qu. 3. in fine dicam contrarium non sit impossibile), tum quia si quid produceret effective materia, illud educeret ex potentia materiæ, neque enim ex nihilo posset producere. At materia non potest agere circa subjectum distinctum a se et ex illius potentia educere formam, cum ipsa sit primum subjectum. Nec ex potentia propria, cum nihil agat in se ipsum. Ergo. Tum quia materia est prima potentia passiva cujus proprium est pati, non agere effective. *Secundo* solet dici quod materia sit infinita, quod ita intelligendum est ut sensus sit materiam esse infinitam eo quod non determinet de se tantam vel tantam quantitatem.

Dices: videri materiam esse perfectionis infinitæ, nam causa efficiens quæ plures et plures effectus etiam se mutuo in perfectione excedentes potest producere, est infinita: ergo similiter causa materialis quæ plures et plures effectus, in infinitum etiam perfectiores potest sustinere, erit infinita. — De hoc argumento vide Fonsecam 2. Metaph. cap. 2. qu. 2. sect. 5.

Respondeo breviter: idcirco recte infertur infinita vis in causa efficiente si producat infinitos effectus, quia cum causa efficiens

det totum esse effectui, debet effectum continere virtualiter aut eminenter. At vero in causa materiali id non sequitur, nam hæc solum dat idem esse, nempe suam entitatem pluribus formis et idcirco solum potest communicare infinitis formis suam finitam entitatem, non vero dat infinitum esse. Si autem admittamus causam materialem per novam actionem concurrere ad existentiam formæ, ostendemus disp. sequenti quod adhuc non sequatur infinitæ perfectionis esse materiam.[1]

Disputatio III.

DE FORMA ET PRIVATIONE.

QUAESTIO PRIMA.

An sit et quid sit forma substantialis.

Formæ nomen diversas habet notiones apud Philosophos. Ut enim ommittam vulgares illas acceptiones, quod scilicet significet speciem, rerum statum, figuram rei naturalis, quomodo sumitur in quarta specie qualitatis etc., forma interdum significat naturam et essentiam rei, ut cum 2. Phys. text. 28. ait Aristoteles formam esse rationem quidditatis; aliquando substantias separatas et ideas quas ponebat Plato ut 1. Metaph. text. 33., 7. Metaph. text. 51., 12. Metaph. text. 30. etc. Frequentius tamen significat formam physicam informantem materiam, sive sit substantialis sive accidentalis, et idcirco etiam nomen ex eo traxit quod formet et perficiat materiam ex se informem et deformem. Sicut ergo præcedenti disp. qu. 4. diximus materiam esse receptivam et partem perfectibilem, ita hic nomine formæ intelligimus partem informantem seu actuantem et perficientem subjectum.

Variis autem nominibus appellari solet forma apud Philosophos, ut late ostendit Fonseca 1. Metaph. cap. 7. q. 3. sect. 9., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 10. art. 2., Pererius lib. 6. cap. 1.

[1] Quomodo materia sit causa perpetua generationis cf. Zabarellam lib. De gener. cap. 11. An sit imperfectissima omnium entium materia, vide Suarez disp. 13. sect. 11. n. 11. An vero aliqua materia perfectior sit altera vid. disp. 13. sect. 12. ubi citat eos qui ajunt materiam esse rerum quæ produci possunt imperfectissimam.

Vocatur enim *species* 2. Phys. text. 10. et 12. quia species et decor materiæ oritur ex forma, unde 1. Phys. text. 81. dicitur quod materia appetat formam ut turpe pulchrum. Vocatur *ratio* 1. Phys. text. 69., 7. Metaph. text. 53., 8. Metaph. text. 3. quia scilicet ex forma potissimum sumitur definitio, quæ solet vocari ratio; unde 2. Phys. text. 28. dixit Aristoteles formam esse rationem quidditatis. Dicitur *actus* 2. De anima initio, quia actuat et perficit materiam. Dicitur *terminus* 4. Phys. text. 35., 5. Metaph. text. 22. quia scilicet terminat materiam et continet ait Aristoteles 3. Phys. text. 67. ut scilicet constituat hanc speciem entis, cum ex se apta sit ad quamvis speciem constituendam. Dicitur denique *bonum* et *divinum quid* 1. Phys. text. 81. et demum ἐντελέχεια nuncupatur, de quo nomine late Fonseca et Pererius disputant, sed nil aliud significat ἐντελέχεια apud Aristotelem quam perfectionem habitam. — His positis, nobis in præsenti solum disputatio est de formis physicis quæ materiam informant. Et cum certum sit per sensus, dari multas formas accidentales ut etiam disp. 1. qu. 1. ostendimus, solum controversia est: an præter formas accidentales admittendæ sint formæ substantiales, seu substantiæ quædam incompletæ quæ cum materia componant integram substantiam non tanquam modi, sed tanquam partes compositi substantialis.

Prima sententia est antiquorum qui ut colligitur ex Aristotele 1. Metaph. sum. 2. cap. 1., 2. De gener. text. 52., 1. De part. animal. cap. 1. nullam admiserunt formam substantialem, sed substantiam rei ajebant esse solam materiam, quæ per varia accidentia determinata, varias entis species constituit, ac proinde formas rerum non esse nisi accidentia, et res omnes idem esse secundum naturam, solum accidentibus differre, quod etiam sensere Parmenides et Melissus ut ex dictis disputatione 1. qu. 1. patet. Videtur Galeni, qui in lib. An affectiones animi sequantur temperamentum corporis et lib. 3. De locis affectis cap. 2. docere videtur animum esse temperamentum accidentium. Idem sentiunt qui formas elementorum ajunt esse primas qualitates, de quibus in lib. De generat. Quæ sententia dupliciter potest intelligi. Primo eo modo quo intellexerunt antiqui, ut scilicet tota essentia substantiæ sit materia et res solum differant accidentaliter per varia accidentia. Secundo ita ut ipsa accidentia efficiant unam essentiam cum materia, ad eum modum quo nos dicimus formam cum materia facere unam essentiam, atque ita res ab invicem non solum accidentaliter, sed essentialiter differant

per accidentia, quæ sint de essentia rei. Et quidem hoc secundo modo nullus defendit hanc sententiam. Nam accidens non potest constituere unum per se cum substantia, nec substantia potest componi ex non substantiis ut habet Aristoteles 1. Phys. text. 28., 52. etc. Nam accidens est extra essentiam rei; eo autem ipso quod constituat unam essentiam, non erit extra essentiam illius quod constituit. Adde quod forma non potest dare esse formaliter, nisi illud quod habet. Cum igitur accidentia non sint substantia formaliter, non possunt dare esse substantiale[1]. In primo ergo sensu defendunt hanc sententiam antiqui, et probabiliter id defendi posse ait Niphus 1. Phys. in text. 73. nisi esset anima rationalis cujus operationes revocari non possunt in accidentia, et Simon Porcius lib. 2. De principiis cap. 1. ait non posse contrarium demonstrari.

Probatur hæc sententia *primo* auctoritate Aristotelis, qui sæpe docet substantiam non esse contrariam substantiæ. At elementa sunt contraria ex 2. De generat. text. 24. Ergo constituuntur non per formam substantialem, sed accidentalem. Unde ibidem vocat Aristoteles qualitates differentias elementorum, et text. 7. vocat formas ipsorum. *Secundo.* Nullum est principium ex quo colligantur formæ substantiales: ergo frustra finguntur. Antecedens patet. Si enim colligi posset dari formam, vel colligeretur 1-o ex operationibus. Atqui operationes immediate sunt ab accidentibus etiam secundum peripateticos, scilicet a potentiis accidentalibus, et deinde temperies qualitatum sufficit ad omnes operationes explicandas, cum videamus medicamenta quæ non habent nisi temperiem qualitatum ex commixtione simplicium ortam, mirabiles effectus habere, ut purgare choleram, levare capitis gravedinem etc. Et sane Aristoteles quoties operationum alicujus rei causam dat, per accidentia dat causam, ut cum quærit sect. 1. Problem. 42. cur aliquæ medicinæ purgent per vomitum, aliæ per dejectionem, causam ait esse caliditatem vel frigiditatem. Vel colligeretur 2-o ex substantiali diversitate et transmutatione rerum. At non est necesse admittere hujusmodi diversitatem vel mutationem, sed solum v. gr. dici ignem quod ante lignum dicebatur, sicut dicitur nix, glacies etc. quod ante aqua dicebatur, propter solam accidentalem mutationem. Ergo.

Secunda sententia est Platonis ut ostendunt Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 9. art. 1., Aristotelis frequentissime, ut 1. Phys.

[1] Alia argumenta habet Suarez disp. 15. sect. 1. quarum secundum allatum est a nobis disp. 1. qu. 1. in refutatione Parmenidis; tertium est quod qu. 2. mox referemus.

text. 65., 2. Phys. text. 12., 2. De gener. text. 51. etc., dari scilicet formas substantiales quod etiam subodorati sunt Democritus et Empedocles ut docet Aristoteles 2. Phys. text. 22., 1 Metaph. text. 51., et 1. De partib. animal. cap. 1.

Dico primo. Præter formas accidentales, dari substantiales formas quæ simul cum materia constituant compositum substantiale. Hanc conclusionem quæ a priori ostendi non potest, a posteriori latissime probant Fonseca 1. Metaph. cap. 2. qu. 3. sect. 2., Conimbricenses citati, Toletus hic qu. 19., Pererius lib. 6. cap. 2. et alii. *Probatur primo*[1], ex productione rerum. Si enim præter materiam non daretur alia pars substantialis componens ipsum compositum, nulla esset generatio et corruptio substantialis, sed omnia essent idem secundum essentiam et solum mutarentur accidentaliter. Si enim differrent essentialiter: ergo cum omnia includant materiam tanquam partem essentialem, præter illam aliquid essentiale includunt. Id autem non potest esse accidens ut initio primæ sententiæ diximus. At vero absurdum est concedere omnia esse idem secundum essentiam, ex eo enim sequitur omnia habere easdem proprietates et affectiones quæ debentur essentiæ, quod est contra experientiam. Confirmatur. Nam si tollitur generatio substantialis, nulla ratio dari potest cur non omnia animalia, etiam perfecta, producantur ex putri materia, cur non ferat omnis tellus omnia.

Secundo probant ex unitate et distinctione rerum inter se. Nam quælibet res est unius essentiæ. Hæc autem essentia non est sola materia, sed aliqua præterea forma, eaque non accidentalis ut late ostendit Fonseca sect. 3. et patet argumentis factis initio primæ sententiæ: ergo substantialis. Similiter homo et leo essentialiter distinguntur. At si non habeant aliquam formam substan-

[1] Eadem argumenta adfert Suarez disp. 15. sect. 1. a n. 8. Addit n. 15. Res quædam habens plures facultates ita operatur, ut quo magis una potentia applicatur ad operandum, eo minus alia potentia operetur: ergo signum est eas potentias esse subordinatas eidem formæ quæ principaliter operatur per omnes potentias. Si enim nullam inter se vel cum tertio haberent subordinationem quælibet earum haberet operationem independenter ab alia, et conatus unius non impediret conatum alterius. Antecedens patet in nobis ut late infra. — Responderi posset illam radicem esse accidens.

Addit n. 19. Si talis actus est accidentalis: ergo accidit alicui. Non composito quod constituit ut clarum est cum sit de essentia illius: ergo materiae; at solum dici potest accidere materiæ quia adest et abest sine illius corruptione. Sed hoc non sufficit, nam etiam animæ rationali id convenit, quæ tamen est substantialis forma. Dicis esse accidens quia habet entitatem ita diminutam et imperfectam ut sit inferioris ordinis tota latitudine substantiæ. Contra ait: nam hoc gratis et sine fundamento dicitur.

tialem non distinguntur essentialiter, materiam enim habent ejusdem rationis ut supra ostendimus, per formas autem accidentales essentialiter distingui non possunt: ergo. Confirmatur. Nam si essentia rei v. gr. leonis sit materia cum tali temperamento, sequitur mutato vel minimo illo temperamento, corrumpi leonem.

Tertio probant ex conservatione rerum. Nam res quædam si per alterationem dimoveantur a suo statu naturali, quamprimum possunt, se ad naturalem statum revocant, ut aqua calefacta revocat se ad frigus, vapor ad aquam, ferrum candescens ad frigus connaturale etc. At hujus causa dari non potest nisi admittatur forma substiantialis quæ producat talem qualitatem sibi connaturaliter debitam. Nam id oriri non potest ex quantitate vel materia, quæ ex se cum æque sint capaces unius vel alterius qualitatis, non magis unam quam aliam qualitatem producent. Nec id fit ab ipso frigore quod remanet in aqua, quasi id perficiat se remoto contrario, siquidem exiguum et vix ullum frigus remanet in aqua bulliente, et si quod remaneat, vinci potest a calore quia etiam naturaliter se perficit sicut frigus si habet vim se perficiendi. Sed ut lib. De generat. ostendemus nulla qualitas prima potest seipsam in eodem subjecto intendere, ubi etiam ostendemus non posse aquam v. gr. reducere se ad nativum frigus ob alias causas quæ assignari possunt, ac proinde a sola forma substantiali quæ conconservare se nititur produci has qualitates. Confirmatur, nam in mixtis sunt quatuor qualitates inter se contriæ, et interdum una qualitas plurimum excedit alteram, ita ut facile esset penitus destruere contrariam qualitatem, nisi esset aliquid quod contineret tales qualitates. Hoc autem non est materia quæ æque capax est omnium accidentium nec quidquam aliud præter formas substantiales[1], quo argumento utitur Aristoteles 2. De anima text. 39. et sequentibus. Major patet, nam quædam animalia in fornacibus ardentibus in quibus metalla liquescunt, vivere consuescunt; Cardanus lib. 7. De subtilitate ait, adamantem in igne non calefieri, et ideo Plinius lib. 38. cap. 4. ait ignem et ferrum contemnere adamantem, et de amiante idem Plinius lib. 36. cap. 19. ait quod nihil igne deperdat etc. Certum autem est, qualitatem v. gr. frigus non conservari a materia, ne summus calor ignis excludat ab his

[1] Hoc nullius momenti esse ait Suarez dis. 15. sect. 1 n. 14. Nam in eodem subjecto existentes qualitates contrariæ nil penitus agunt, nec se mutuo corrumpunt. Id enim fieret si unum contrarium se intendere posset quod est impossibile. Si véro ejusdem rei partes sint heterogeneæ, forma non potest impedire mutuam earum actionem, ut patet in animalibus.

rebus, siquidem materia æque capax est omnium accidentium, et non excludit calorem similem materia cum est in stuppa: sola ergo forma substantialis est quæ connaturalem sibi qualitatem conservat, etiam potentissima qualitate contraria præsente.

Quarto probant ex operatione rerum naturalium. Nam quælibet res habet proprias et peculiares operationes quarum radix et principium adæquatum non est materia: ergo præter illam datur forma a qua tanquam a prima radice oriantur tales qualitates et perfectiones. Antecedens patet, nam materia prima communis est et ejusdem rationis in omnibus compositis, ac proinde in omnibus compositis est principium earundem operationum. Nec hujus rei causa sunt accidentia, nam ratio cur hæc accidentia huic potius enti debeantur quam illi, non sunt ipsa accidentia. Confirmatur, nam non potest reddi ratio cur magnes ferrum trahat, cur res aliqua habeat sympathiam cum una re, antipathiam cum alia, ut ruta inserta in ficum latissime excrescit teste Aristotele sect. 20. problem. 18., Plinius lib. 19. cap. 8., de quibus Cardanus libr. 7. De subtilitate et Fracastorius in lib. De sympathia, unde aut quomodo animalia instinctu naturæ tam multa efficiant etc. Hæc inquam omnia et quam plurima alia quomodo fiant, absque forma substantiali explicari non possunt.

Hæ rationes sunt admodum probabiles, revera tamen non convincunt negantes formam substantialem. Ad primum et secundum argumentum facile responderetur eo modo quo diximus disp. 1. qu. 2. Nam dici posset cum Parmenide et Melisso, nullam esse productionem substantialem, et res omnes esse idem secundum essentiam, solis accidentibus distingui. Tertium et quartum argumentum autem solum convincit, dari in rebus naturalibus aliquam formam quæ connaturaliter exigat tales qualitates, et quas possit producere, si non habeat: et similiter talem formam esse principium conservationis, antipathiæ etc. Verum hanc formam esse substantialem, et non potius accidentalem consurgentem ad tale temperamentum primarum qualitatum non ostenditur. Dicere enim quis posset, talem qualitatem consurgere ad tale temperamentum primarum qualitatum, nec tamen statim ac minimum mutatur illud temperamentum mutari etiam illam qualitatem, sed potius illæsam permanere et se ad debitam sibi qualitatum temperiem revocare ut illa disp. 1. qu. 1. explicavimus, et hujusmodi qualitatem ea omnia præstare quod alii dicunt fieri a forma substantiali.

Unica igitur efficaci ratione hanc conclusionem probari posse existimo, quam illa disp. 1. qu. 1. attulimus. Nam et de fide et lumine naturali certum est, dari in homine præter materiam etiam formam substantialem, quæ componat cum materia unam essentiam ex quo efficaciter colligitur materiam ex se esse aliquod ens incompletum, aptum compleri per aliam partem cum qua unum ens per se constituat. Hæc autem pars distincta a materia non potest esse accidens, quia ex substantia qualis est materia, et ex accidente, non fit unum per se. Ergo est forma substantialis. Confirmatur, nam materia hominis et aliarum rerum est ejusdem rationis ut ex mutua transmutatione ostendimus loco citato. Aut igitur in homine materia ipsa est substantia perfecta, et ita non constituet unam essentiam cum anima rationali, aut certe in homine est substantia imperfecta, et ita semper erit substantia incompleta et imperfecta, ac proinde perfici debet forma substantiali, cum ut supra disp. 2. qu. 3. diximus, substantia incompleta quæ non habet operationes independentes ab alia parte per quam debet compleri, existere naturaliter nequeat sine suo complemento.

Dico secundo: Forma substantialis est actus et substantia partialis quæ informando aliam partem constituit compositum, a qua etiam habet compositum ut sit in tali specie entis, cum ex se materia indifferens sit ad quamlibet speciem completam. Dicitur *actus,* non quod sit purus actus nullam habens potentialitatem sicut Deus, sed quia determinat et informat materiam. Dicitur *substantia partialis,* est enim substantia incompleta constituens cum materia compositum, per quod ab angelis distinguitur. Sicut ergo in materia est potentia receptiva identificata materiæ, ita in forma est vis informativa, forma enim non posset informare seipsam communicando, nisi haberet vim causandi unionem sui ipsius cum materia, quæ unio quomodo dicatur informatio et receptio 2. Phys. disp. 4. qu. 1. dicetur. Præterea sicut in materia est appetitus ad formam qua caret, ita si aliqua forma existat sine materia appetit illam, ut disp. præcedenti qu. 6. circa 3. dixi. Denique eodem modo quo ostendimus disp. præced. materiam realiter et essentialiter distingui a forma, ostendi potest formam realiter et essentialiter distingui a materia. Addidi: *a qua habet compositum etc.* ut definitio Aristotelis tradita 1. Phys. text. 28. intelligatur, ubi formam ait esse rationem quidditatis, i. e. ut Averroës et Conimbricenses supra qu. 10. art. 1. exponunt, est

id per quod res potissimum constituitur in esse specifico et in certa aliqua natura, cum materia ex se non minus apta sit ad hanc quam ad illam speciem constituendam.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum: quomodo substantiæ nihil sit contrarium, explicavimus in cap. De substantia, ubi ostendimus quod si formæ substantiales se mutuo expellunt per formalem incompossibilitatem, revera sunt contrariæ, et tunc illa proprietas substantiæ solum convenit completis substantiis ut ibi Soncinas, ac proinde nil mirum si etiam formæ elementorum dicantur contrariæ, quamvis Aristoteles ibi nec hoc dicat, sed solum elementa esse contraria, ratione scilicet qualitatum contrariarum. Vocat item qualitates differentias elementorum, accidentales scilicet; formas vero vocat, vel quia qualitates sumit pro forma latente sub his qualitatibus et a qua ipsæ promanant, quod nemini mirum videbitur qui advertat formas substantiales nobis incognitas per effectus et accidentia cognosci et nominari; vel certe vocat formas accidentales per quas ad rerum transmutationem concurrunt.

Ad secundum: jam nos ostendimus ex quo principio colligatur efficaciter forma substantialis, licet ex iis quæ in argumento enumerantur id non ostendatur.

QUAESTIO SECUNDA.

Quomodo producantur formae substantiales, et quid sit educi ex potentia materiae.

Supponimus nunc ex 2. Phys. disp. 3. agentia naturalia producere aliquas formas de novo, quo posito in hac quæstione ratio difficultatis est quam ponit Zabarella lib. 2. De materia cap. 13. Nam si formæ producuntur: ergo creantur et ex nihilo fiunt, quod tamen fieri non posse disp. 1. ostendimus. Consequentia probatur. Nam tota entitas formæ quæ realiter distinguitur a materia inciperet esse secundum se totam: ergo fieret ex nihilo, siquidem nihil illius præfuerit in materia ante productionem. Respondent Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 12. art. 6. ad 2. formam non fieri, sed totum compositum. Contra est: nam hoc est revocare rem ad quæstionem de nomine. Constat enim totam entitatem formæ quæ ante nihil erat, incipere esse cum producitur, ac proinde ex nihilo produci. Sive ergo dicatur fieri aliquid ut totum, sive ut pars,

dummodo fiat ex nihilo, revera creatur. Dices non fieri ex nihilo, sed ex materia. Contra: non fit ex materia aliquid nisi per additionem formæ quæ est entitas distincta a materia; hæc autem entitas formæ immediate ante productionem nihil fuit. Ergo[1].

Propter hoc argumentum ut vidimus disp. 1. qu. 1. negabant Parmenides et Melissus compositionem ex forma substantiali et materia, ac proinde generationem substantialem. Plato vero et Avicenna ut referunt Conimbricenses l. cit. art. 3. dicebant omnes formas substantiales produci non ab agentibus naturalibus, sed a substantia separata creari, quod et theologis quibusdam placuisse docet Albertus apud Conimbricenses art. 6. ad 2. Sed contra hos 2. Phys. ostendemus agentia naturalia producere aliquid de novo. Alii apud Antonium Andream 7. Metaph. qu. 11., Toletus hic qu. 19., Zabarella lib. 2. De materia cap. 6. docent, in materia esse quasdam inchoationes formarum, quæ sunt partes ipsarum formarum, has vero ab agente perfici productione alterius partis formæ, et ita cum tota forma non sit producta ita ut nihil ipsius præfuerit, non creatur, quam sententiam tribuit Soto 1. Phys. qu. 7. Aureolo, et favet Aristoteles 7. Metaph. text. 29. Alii vero ut Albertus 1. Phys. tract. 3. cap. 3. et 15. putant integras formas esse in materia quoad essentiam, non tamen quoad existentiam, quamvis Sonçinas 7. Metaph. qu. 28. ipsum nil tale posuisse contendat.

Dico primo. Tota entitas formæ producitur de novo (sive a Deo solo, sive a causa secunda, de quo 2. Phys. disp. 3. qu. 3.), ita ut nulla pars formæ præextiterit in materia. Ita div. Thomas 1. p. qu. 45. art. 8., Durandus 2. dist. 18. qu. 2., Scotus qu. unica, Sotus 1. Phys. qu. 7., Trombetta 12. Metaph. qu. 6., Niphus 7. Metaph. disp. 11., Zabarella lib. 2. De materia cap. 14. etc. Probatur primo, quia sine ratione et necessitate finguntur inchoationes formarum in materia. Ideo enim dicunt has inchoationes dari, ut explicent quomodo formæ non producantur ex nihilo, quod tamen non expediunt. Nam tota illa pars formæ quæ non præfuit in materia, sed de novo producitur, ex nihilo fieret, cum nulla illius pars præfuerit. Et sicut illa pars produci potuit, licet nulla inchoatio ipsius præfuerit in materia, ita tota forma produci poterit ut recte etiam Zabarella retorquet fundamentum

[1] Similiter quando corrumpitur compositum desinit forma: ergo annihilatur. Denique compositum non dicitur fieri nisi quia aliquid in ejus constitutione inclusum sit, cum tota entitas compositi non producatur. Hoc autem est forma. Ergo.

adversariorum in illos illo lib. 2. cap. 20. ad 1. Secundo: illæ inchoationes formarum sunt formæ, siquidem quidquid est in materia, est forma illius, si sit distinctum ab illa. Vel ergo sunt formæ substantiales, vel accidentales. Si hoc secundum: ergo tales formæ non possunt esse partes formæ substantialis. Si primum: præterquamquod haberentur plures formæ simul in materia, talis forma erit certe alicujus speciei; vel ergo ejusdem speciei cujus forma gignenda, vel alterius. Si ejusdem: ergo jam nihil de novo gignitur; si diversæ: ergo fieri non potest forma alterius speciei, sicut albedo non potest fieri nigredo. Confirmatur. Nam istæ inchoationes formarum, seu entitates in materia præexistentes, aut sunt plures ita ut quælibet forma habeat suum gradum proprium; aut est unus gradus omnium formarum. Si primum: erunt infinitæ entitates in materia, cum hæc sit in potentia ad plures et plures formas in infinitum recipiendas. Si secundum: ergo eadem entitas fieret pars contrariarum et simul plurium formarum. Deinde cum omnes partes formæ ejusdem, sint ejusdem rationis, non potest ille gradus præexistens esse pars diversarum formarum specie. Nec satis est dicere cum Alberto, præcedere totam formam secundum essentiam, non secundum existentiam. Nam illæ formæ vel præcedunt secundum aliquod esse actuale diversum a materia, et sic præcedent etiam secundum existentiam, quia esse actuale non differt ab existentia rei; vel præcedunt solum secundum esse possibile, quod et nos concedimus, sed tunc non explicat Albertus quomodo tota entitas formæ incipiat esse actu sine creatione. Confirmatur. Nam si in materia sunt essentiæ formarum, vel hæ sunt productæ a Deo, et sic erunt existentes, cum terminus qui fit per productionem sit aliquid existens; vel non sunt productæ, et sic erit aliquid extra Deum quod sit increatum et ens a se: ergo evidens est, aut nihil formæ esse in materia ante productionem, aut si quid est, existens esse.

Dico secundo: omnes formæ substantiales, præter animam rationalem, fiunt cum concursu materiæ, et ideo non creantur, sed educuntur de potentia materiæ,[1] quod ut explicetur suppono: inter animam rationalem et reliquas formas substantiales hoc esse discri-

[1] Non creari omnes formas probat Suarez disp. 15. sect. 2. n. 9. Si crearentur: ergo essent subsistentes sicut anima rationalis, creationis enim terminus non pendet a materiali causa. Deinde etiam accidentia crearentur. Eadem enim ratio difficultatis propter quam dicuntur creari formæ substantiales, cogit dicere et accidentales creari. Et sic non producuntur ab agentibus naturalibus quæ creare non possunt, sicque res creatæ nil agerent.

men, quod aliæ formæ pendent in esse et conservari a materia, siquidem eo ipso quod separantur a materia, corrumpuntur. Cujus ratio a priori est quam qu. 3. De materia, dicto 1. attulimus. Nam cum totum esse formarum substantialium hujusmodi sit, esse partes compositi quæ simul cum materia constituant unum principium completum operationum, (licet enim solæ formæ sint prima principia effectiva operationum, non tamen completa sine materia, eo quod nullam exercere possint operationem a materia independentem, sicut potest anima rationalis) hinc est ut dissoluta unione formæ cum materia non debeatur illis amplius concursus conservativus, cum non possint esse principium operationum, ac proinde forent otiosæ si separatæ existerent. Anima vero rationalis, cum spiritualis sit, non pendet a materia, et idcirco etiam separata conservatur. Cum autem ab iisdem causis res pendeat in fieri a quibus in conservari, consequens est ut aliæ formæ præter rationalem animam, sicut pendent in esse a materia, ita pendeant etiam in fieri.

Sciendum enim est, materiam non solum esse causam compositi, eo quod intrinsece componat illud tanquam pars, sed etiam formarum materialium, eo quod tanquam subjectum sustentet illas, cum non possint nisi dependenter a causa materiali existere propter suam imperfectionem; unde materia est per se requisitum ad existentiam hujusmodi formarum tanquam sustentans illas, et causa materialis illarum. At vero anima rationalis adeo perfecta est ut per se sine materia possit subsistere, et ideo materia non est causa illius, quamvis sit causa unionis animæ cum corpore. Ex quo patet, aliquam formam fieri dependenter a materia, non esse fieri illam in materia, ita ut informet materiam, et materia recipiat illam. Nam etiam anima rationalis ita producitur ut in materia recipiatur, illamque informet, quia enim est forma corporis non petit produci nisi informando, licet subjectum non concurrat ad ejus productionem et conservationem in aliquo genere causæ, sicut terra naturaliter non potest produci nisi in infimo loco, quamvis locus non concurrat ut causa ad ejus generationem, sed quia talis locus debetur naturaliter tali corpori.

Fieri ergo dependenter a materia est, materiam aliquo alio modo quam recipiendo formam esse causam formæ. Quo autem modo sit causa, an scilicet per veram actionem, vel quo alio modo, in 2. Phys. disp. 4. explicabo, hic enim quia multa supponenda essent ex disputatione De causis, commode non potest explicari.

Illud certum est, non bene a quibusdam junioribus explicari quid sit educi formam etc. qui ajunt, nil esse aliud quam fieri dependenter a subsistentia materiæ; volunt enim tales formas non habere propriam subsistentiam, sed subsistere subsistentia materiæ. Hoc inquam non bene rem explicat. Tum quia in Metaphysica ostendemus, etiam formas completas habere suam partialem subsistentiam; tum quia accidentia educuntur e potentia materiæ, ut illi concedunt, et tamen non subsistunt subsistentia materiæ, cum implicet contradictionem accidens subsistere. Ergo eductio formæ alio modo explicanda est. Educi ergo formam e potentia materiæ est, fieri dependenter a materia tanquam causa concurrente ad ejus productionem et conservationem. Dicitur autem *educi,* quia effectus antequam fiat dicitur esse in virtute causæ, postquam fit, dicitur exire extra causas. Quia ergo forma dependens a materia prius est in virtute materiæ, dicitur extrahi et exire de potentia ipsius ut recte Soncinas 7. Metaph. qu. 8., Pererius lib. 5. cap. 8. ad 1. dub. Unde div. Thomas 1. p. qu. 90. art. 2. ad 2. educi aliquid de potentia materiæ ait esse idem, quod fieri actu quod ante erat in potentia, materiæ scilicet ad ejus esse concurrente ut late ibi Cajetanus.

Ex quo apparet latum discrimen inter productionem formarum et creationem. Creatio enim ut ait div. Thomas 1. p. qu. 45. est productio rei subsistentis ex nihilo; at vero productio formæ dependentis a materia cum non terminetur ad totum subsistentem, sed ad formam dependentem a materia et illa concurrente productam, non est creatio. Similiter, licet fiat ex nihilo tanquam parte, quia nulla pars ejus præextitit, non tamen fit ex nihilo tanquam subjecto, i. e. nullo subjecto ad ejus productionem concurrente, quod est de ratione creationis. Et hoc est per creationem fieri rem ex nihilo i. e. ita ut nullum subjectum concurrat ad ejus productionem, causando scilicet illud.

Dices: si fieri aliquid dependenter a materia impedit quominus creetur illud, sequitur formam cœli, formas elementorum etc. initio mundi productas a Deo, non esse creatas, ac proinde nec creaturas.[1] — Respondet Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 4. sect. 2. propter hoc argumentum ait, ad hoc ut aliquid dicatur educi e potentia materiæ, non satis esse ut fiat dependenter a causa materiali. Si

[1] Forma cœli cur non educatur Suarez disp. 15. sect. 2. n. 17. quia eadem actione ait creata est materia et forma illius. Contra est: unde ergo distinctio actionum, si non ex terminis?

enim inquit sect. 1. hoc satis esset, sequitur id quod objectio vult, formas scilicet in principio a Deo conditas non esse creatas, sed e potentia materiæ per generationem eductas, quod putat esse absurdum. Ait ergo illas solas formas educi ex potentia materiæ quæ fiunt dependenter a materia habente potentiam naturalem ad illas, ita ut tempore præextiterit materia, ac proinde cum mutatione materiæ fiunt. Ex quo infert dona supernaturalia non educi e potentia subjecti, siquidem ad illa recipienda non habet potentiam naturalem, sed obedientialem subjectum, licet ad illa sustentenda habeat naturalem potentiam. Addit sect. 3. relationes non educi e potentia subjectorum. Eandem doctrinam habent Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 12. art. 5. ubi ajunt eas solas formas educi de potentia materiæ quarum privationes in materia præfuerunt, et art. 6. in fine, relationes non educi de potentia materiæ. Idem fere Soncinas 7. Metaph. qu. 8. et alii citati a Conimbricensibus art. 6. ad 3. qui ajunt lumen, species intentionales etc. non educi de potentia, quia non fiunt per transmutationem propriam, seu motum proprie dictum. Pererius etiam lib. 7. cap. 2. et 3. putat formas artificiales non educi e potentia subjecti, quia ad illas non datur potentia naturalis. Unde sentit ea sola educi e potentia subjecti, ad quæ habet subjectum naturalem potentiam.

Respondeo tamen, revera formas omnes quæ dependent in esse a causa materiali, educi e potentia materiæ, nec quidquam aliud requiri ad hanc eductionem, quam ut virtute materiæ, seu dependenter a materia incipiat esse forma. Et tunc solum dicitur non educi forma aliqua, quando producitur independenter a subjecto. Certum autem est, formas initio conditas dependenter a materia esse productas, et similiter dona infusa produci dependenter a subjecto ut probant theologi et docet Molina 1. p. qu. 45. art. 1. et latius Suarez disp. 16. sect. 2. n. 9. contra Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 12., Fonsecam 5. Metaph. cap. 2. qu. 4. Et ratio utriusque est breviter: nam hujusmodi formæ in conservari pendent a subjecto: ergo cum illud esse non sit perfectius post primum esse, quam in primo esse, etiam in primo esse seu in productione pendebit. Antecedens probatur: nam si non penderet a subjecto in conservari; ergo etiamsi per formam incompossibilem excludatur a subjecto, adhuc remanebit in rerum natura et non corrumpetur. Non enim alia de causa corrumpuntur formæ, quam quod sine subjecto a quo per formam incompossibilem excluduntur, non possint existere.

Ad objectionem vero respondeo: revera in primo instanti productionis formæ elementorum dependenter a materia tanquam a causa sunt factæ, et ita actionem partialem ad illas formas terminatam non fuisse proprie creationem, nihilominus elementum dicitur absolute creatum et ex nihilo factum, quia eodem instanti facta est materia et forma nullo supposito subjecto. Quia ergo materia creata est, et ex alia parte nihil præfuit totius illius effectus immediate ante, elementum dicitur creatum. Nunc vero cum educitur nova forma, non dicitur creari compositum, quia immediate ante præfuit ejus pars, scilicet materia.

Dices: etiam materia cœli producta est dependenter a forma cœli: ergo non est creata. — Respondeo: solum est contra rationem creationis, si id quod producitur ex termino a quo positivo producitur quomodo transsubstantiatio cum supponat terminum a quo positivum creatio non est. Et præterea, si producatur concurrente causa materiali seu dependenter a subjecto; non vero est contra rationem creationis ut res producatur dependenter ab alio quomodocunque. Unde etiam anima rationalis dependet a suis proprietatibus, a subsistentia, et tamen creatur. Non impedit igitur dependentia materiæ a forma quominus ipsa materia sit creata.

Ex his constat, etiam motus violentos, ut v. gr. gravium sursum, educi e potentia subjecti ut Fonseca illa sect. 3., Conimbricenses art. 6. ad 4. docent. Cur autem hujusmodi motus naturales non sint, cum habeant etiam formæ potentiam naturalem ad talem motum 2. Phys. disp. 1. explicatur. Præterea existimo etiam formas artificiales educi e potentia subjecti, ut recte Fonseca ibidem, quamvis male Conimbricenses art. 7. ad 1. dicant educi ex potentia obedientiali, quod etiam repetunt 8. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 1., cum potentia obedientialis non detur nisi ad res supernaturales, saltem quoad modum productionis. At vero per artem nil producitur nisi variæ figuræ (si quando enim aliquid aliud producitur, id ab agentibus naturalibus producitur, et ars solum applicat activa passivis), superficies etc., ad quas quantitas habet potentiam naturalem, non minus quam materia ad alias formas. Ex quibus etiam manet explanata ratio difficultatis et probata conclusio. Nam omnes formæ præter animam rationalem producuntur ab agente naturali, et pendent in esse a materia. Ergo cum agens naturale nihil possit producere sine concursu subjecti, ut disp. 2. qu. 1. ostendimus, omnes formæ producuntur, præter animam rationalem, concurrente

causa materiali, ac proinde educuntur ex potentia subjecti. Constat etiam cur non creentur tales formæ. Accidentia autem ex potentia quantitatis educuntur; ac proinde si quantitas sit sine subjecto, eodem modo producuntur accidentia materialia quo producerentur si existeret quantitas in materia, ut recte div. Thomas 4. Contra gent. cap. 66. docet.

QUAESTIO TERTIA.

An sint in eadem parte materiae plures formae substantiales. Ubi de forma corporeitatis, et cur formae substantiales non inhaereant.

Multa sunt quæ ad plenam hujus conclusionis intelligentiam possent explicari, ut: an plures formæ elementorum in eodem mixto remaneant, an in uno vivente plures animæ sint, an quot sunt in viventibus partes heterogeneæ, tot sint formæ partiales.[1] Sed hæc suis locis explicabuntur, nunc in genere solum quærimus: an eadem pars materiæ habeat plures formas substantiales. In qua re

Prima sententia est eorum qui dicunt, tot esse formas substantiales distinctas in qualibet re, quot sunt prædicata ejus essentialia. Refert hanc sententiam div. Thomas 1. p. qu. 50. art. 2., et 2. De anima lect. 1. eamque tribuit Avicebron, qui ponebat inquit unam et eandem rem per unam formam esse substantiam, per aliam corpus etc., Soncinas 8. Metaph. qu. 12. tribuit Averroi. Idem Iandunus 2. Metaph. qu. 10. ubi probat gradus metaphysicos esse distinctos ex natura rei, ac proinde tot esse formas quot sunt hujusmodi gradus. Et hanc sententiam sequi docet qui gradus metaphysicos in eadem v. gr. anima distinguunt ex natura rei, siquidem multas entitates in eadem forma distinguere debent et quamlibet ex illis debent dicere esse formam, siquidem forma non est composita nisi ex entitatibus quæ sunt formæ, quod ipsum duntaxat voluit Iandunus.[2]

[1] Suarez disp. 15. sect. 10. late disputat hæc omnia.

[2] Favet Zabarella lib. De generat. et interitu cap. 2. ubi postquam ostendisset posse plures formas simul esse, objicit: unius rei unum est esse ait, et quod advenit enti actu, est accidens: ergo cum per formam res fiat actu, non potest nisi accidens addi materiae habenti formam. Respondet: unius rei unum est esse speciale seu specificum, possunt tamen esse plura generalia seu generica, unde idem individuum potest esse substantia, mixtum, aliud homo, non potest tamen esse homo et equus. Unde Averroës 1. Metaph. com. 15. dicit materiam prius recipere formas universales, postea partiales. Unum ergo est esse quod res sumit a forma specifica ait, quae sola absolute dicitur actus, cum non habeat potentiam recipiendi alium actum. At vero formae priores cum materia prima constituunt materiam propinguam ultimae formae. Haec ille.

Probatur *primo* auctoritate Aristotelis qui 2. Metaph. a text. 8. probat non dari infinitum processum in formis, quia non datur in prædicatis, et 7. Metaph. text. 33. partes definitionis ait respondere partibus rei: ergo sicut definitio habet partes, ita et definitum habebit diversos gradus tanquam partes diversas. *Secundo probatur* ratione. Nam idem non potest substantialiter convenire cum aliquo et ab eodem differre secundum eandem formam. Sed homo substantialiter convenit eum lapide in gradu substantiæ, corporis etc. et substantialiter differt in ratione viventis; ergo per aliam formam est animal. Confirmatur omnibus argumentis allatis in Logica disp. 2. De univers. qu. 2. ad probandum gradus metaphysicos ex natura rei distingui.

Secunda sententia vult quidem non dari tot formas substantiales in qualibet re, quot in ea reperiuntur prædicata essentialia, ait tamen posse eandem materiam plures simul formas substantiales habere; quæ tamen sententia non eodem modo ab omnibus explicatur. Primo enim aliqui volunt dari quandam formam corporeitatis per quam scilicet res constituitur in esse corporis, et hanc a materia inseparabilem esse, nec unquam corrumpi, licet aliæ formæ corrumpantur. Et quidem hanc formam corporeitatis distinctam a propria et peculiari forma per quam res constituitur in tali specie, probabiliter admitti posse ait Soncinas 8. Metaph. qu. 8., Scotus 4. dist. 10. qu. 4. et dist. 11. qu. 3. art. 2. in solis viventibus admittit talem formam, et eam facit corruptibilem. Occam vero 4. qu. 6., Henricus Quodlib. 2. qu. 2. et 3., et Quodlib. 3. qu. 13. in solo homine admittendam esse talem formam censent. Idem Niphus 1. De generat. com. 78. et Durandus 3. dist. 21. qu. 1.[1]

Probatur hæc sententia *primo.* Homo et alia viventia realiter componuntur ex corpore et anima. Sed si non per aliam formam constituatur homo corpus quam per animam, id verum non est. Nam compositio ex his quæ realiter distincta non sunt, non est realis; at si corpus includit animam in viventibus, et per illam constituitur corpus, non distinguitur corpus ab anima, sed sola materia. Ergo. *Secundo* probat Scotus. Nam in morte viventis nulla nova forma in materiam introducitur: ergo, et tamen materia sine forma non manet: ergo. Antecedens probat, tum quia nullum est agens quod inducat talem formam; tum quia si quod esset,

[1] Citat pro hac forma corporeitatis Zabarella lib. 2. De materia cap. 12. Avicennam, Albertum Lynconiensem, Suessanum, Joannem Gandavensem etc.

sequeretur quod pro diversitate agentium quæ mortem inferunt diversæ formæ producerentur, quod tamen est falsum. *Tertio* probat Henricus. Nam homo est corpus, et non per animam rationalem quæ spiritualis est: ergo per aliam formam. Dices: animam rationalem virtualiter corpoream esse, licet formaliter sit incorporea. Contra ait Henricus, nam homo formaliter est corporeus et non virtualiter tantum: ergo per aliquam formam quæ sit formaliter corporea, neque enim forma constituit aliquid formaliter quod ipsa non est, quod argumentum ursimus nos in Logica disp. 2. De univers. qu. 2. dub. 7. in quarta probatione conclusionis. *Confirmatur:* nam anima est actus corporis: ergo supponit corpus. Sed corpus requirit formam: ergo. Deinde ex eo probat Aristoteles animam non esse corpus, quia essent duo corpora simul: ergo etiam sine anima est corpus. *Quarto.* In morte Christi mansit idem corpus quod erat ante; at si non habuisset formam corporis distinctam ab anima quæ tempore mortis separata erat, id non esset verum: ergo. Antecedens est commune dictum Patrum. *Confirmatur.* Nam in Eucharistia ex vi verborum est corpus sub speciebus panis: ergo et forma corporis. At certum est ex vi verborum non esse animam rationalem, sed per concomitantiam: ergo anima rationalis non est forma quæ det esse corporis.

Alii etsi non admittant formam corporeitatis distinctam ab aliis formis, putant tamen in eadem parte materiæ posse plures simul formas partiales reperiri, quæ sunt veluti dispositiones ad formam totalem in materia recipiendam et conservandam. Unde ajunt in vivente v. gr. in homine dari formam substantialem ossis, carnis, nervorum etc. et tamen eandem materiam quam informant hæ formæ partiales, informari etiam ab anima rationali. Et idem in brutis accidere ajunt. Hæc sententia communis est juniorum,[1] sed vix ullus veterum eam sequitur præter Mayronem 2. dist. 16. qu. unica. *Probant primo:* si enim non sunt plures formæ substantiales

[1] Zabarella lib. De generat. et interitu cap. 2. in elementis et mixtis inanimatis unam ponit formam, in animatis minimum duas, scil. formam mixti quæ ex quatuor elementorum formis coalescit et animam. Probat: in animatis dantur duo motus distincti, unus progressivus v. gr., alter motus deorsum qui naturalis est non minus quam ipsi terræ ex Aristotele 8. Phys. text. 27. Sed hi sunt motus distincti: ergo non ab eodem principio manant, sed a pluribus formis, cum principium motuum naturalium sit forma. At motus deorsum per gravitatem non est ab anima; imo potius repugnat animæ, propterea enim laborat anima cum movet corpus quia sursum tollit quod grave est. Confirmatur: nam non simul corrumpitur anima et forma mixti, sed hæc multo post per putrefactionem. Similiter odores, sapores etc. formam mixti consequuntur non animam, unde manent in herbis mortuis: ergo. Et sicut possunt ait duæ formæ esse simul, ita et centum.

partiales in eadem materia: ergo per eandem animam constituitur in homine caro, os, nervus etc., ac proinde hæc omnia non distinguuntur essentialiter, quod tamen falsum est. Ex eo enim sequeretur corpus animatum totum esse homogeneum, nec animam esse actum corporis organici; præterea sequeretur omnes partes esse carnem, ossa etc. simul, quam sequelam probo. Nam forma dat esse carnis, ossis etc. informando et communicando se; sed in singulis partibus est forma quæ dat esse carnis, ossis etc.: ergo singulæ partes sunt caro, os etc. Cum enim anima tota sit perinde unita uni parti ac alteri, quidquid dat uni, dat etiam alteri: ergo si uni parti dat esse carnis etc., etiam alteri dabit.

Dices cum Bannes citando art. 4. in fine secundæ conclusionis: id non sequi. Anima enim non dat ulli parti aliud esse, quam ad quod esse recipiendum habet dispositiones; non sunt autem dispositiones in qualibet parte materiæ ad quodlibet esse recipiendum: et ita non dat cuilibet parti esse carnis etc. — Contra est: tum quia dispositiones non idcirco sunt necessariæ ut forma det tale vel tale esse, sed ut possit informare materiam; cum enim seipsa formaliter det tale esse, statim ac informat dat totum esse suum quod habet et quod potest dare, hoc enim est dare formaliter esse: ergo si in omnibus partibus sunt sufficientes dispositiones ad recipiendam totam formam, erunt etiam sufficientes dispositiones ad recipiendum totum esse quod forma dare potest formaliter, et omnino inintelligibile est formam uniri secundum totam suam entitatem materiæ, et tamen non dare omnes effectus formales quos potest dare alicui subjecto. Tum quia si forma non potest dare aliquod esse, nisi subjecto habenti dispositiones necessarias ad operationes, sequitur animam rationalem non dare infantibus esse hominis, quia illi nequeunt ratiocinari. Confirmat Mayronis: nam nisi admittantur formæ partiales, solum accidentaliter distinguuntur caro, os etc. At hoc falsum est. Nam nos non possumus cognoscere distinctionem formarum substantialium nisi ex accidentibus, atquæ ideo quæ diversissima habent accidentia, diversas etiam dicimus habere formas. Ergo cum accidentia carnis et ossis sint tam diversa, habent formas diversas. Imo addit ibi Mayronis etiam brachium v. gr. habere formam diversam a carne et osse. Ratio est, nam virtus ejusdem rationis potest attingere effectum ejusdem rationis; sed vis vegetatrix producit ossa, carnem etc. ex alimento: ergo si brachium non habeat aliam formam a forma carnis, ossis

etc. etiam illud producere posset, licet semel abscindatur. Si autem concedamus os distingui specie a carne, per diversas formas constituuntur, eadem enim forma non potest constituere nisi rem ejusdem speciei.

Probatur secundo. Si non sunt formæ partiales in animali per quarum unam constituatur os, per alteram caro etc. sequetur animam ipsius animalis continere has formas partiales vel virtute, vel formaliter. Si primum: ergo non potest constituere formaliter carnem et os, et tamen in animali est caro et os. Si secundum: ergo anima conflata est ex diversis istis formis, quod tamen fieri non potest. Nam hæ formæ sunt inter se pugnantes et requirunt diversas dispositiones seseque mutuo expellunt ab eodem subjecto.

Tertio. Quando separatur aliqua pars ab homine, non remanet ibi anima, remanet tamen caro et os, ac proinde forma per quam constituitur caro. Hæc autem forma non potest de novo produci: ergo in illa parte præfuit etiam dum informaretur ab anima. Minor probatur. Nam vel hæc forma producitur ab eo quod abscindit partem aut occidit vivens; at cum tam diversa sint quæ possint abscindere ut lignum, lapis, ferrum etc., credibile non est in his omnibus esse eandem vim producendi similes formas. Vel a dispositionibus per quas corrumpitur pars, aut quæ ad abscissionem sequuntur; atqui eodem modo incredibile est, res diversissimas producere accidentia similia. Et præterea, si hujusmodi accidentia habeant vim producendi formam, habebunt etiam a fortiori vim conservandi illam, siquidem pauciora requiruntur ad conservationem, et tamen experimur partem abscissam facillime putrescere et corrumpi. Vel denique parti abscissæ dat esse carnis, ossis etc. forma cadaveris producta de novo. At talis forma sine necessitate fingitur, cum nulla accidentia nullasque habeat operationes per quas cognosci possit, et præterea nullas habeat talis forma dispositiones. Cum enim a tam diversis agentibus producitur, credibile non est illa omnia agentia similes dispositiones necessarias ad talem formam producere posse.

Tertia sententia communis est: in una materia non dari nisi unam formam substantialem. Ita div. Thomas constanter ubique, ut 1. p. qu. 9., qu. 76. art. 3. 4. 6., qu. 118. art. 2. ad 2., 2. De anima lect. 1. impossibile est ait unius rei esse plures formas substantiales, quia prima faceret ens simpliciter, et omnes aliæ accidentaliter advenirent subjecto; et qu. De anima art. 9. si qua

inquit forma adveniat materiæ jam constitutæ per aliquem actum, accidentalis erit non substantialis. Idem Themistius 5. Phys. text. 7., Cajetanus in illa loca div. Thomæ, Soncinas 8. Metaph. qu. 8. 11. 12., Javellus qu. 4., Gregorius 2. dist. 16. qu. 2. concl. 4., Gabriel qu. 1., Soto 1. Phys. qu. 7., Toletus qu. 15., Bannes 1. De generat. cap. 4. qu. 8., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 14. sect. 5. ad 5., et cap. 4. qu. 4. sect. 6. ad 4. et cap. 8. qu. 2. sect. 2., et iterum cap. 4. qu. 3. sect. 2. in fine, et idem ex modernis Suarez 3. p. tom. 3. disp. 50. sect. 4., ubi contra secundam sententiam supponit ex philosophia, nec dari formam corporeitatis nec plures formas in eadem materia.

Dico primo. Diversitas prædicatorum non requirit diversitatem formarum, ac proinde non dantur tot formæ quot prædicata in uno subjecto. Ita Bannes citatus art. 1. et ab illo citati Soncinas 8. Metaph. qu. 12., Javellus 2. Metaph. qu. 7., Gregorius citatus concl. 1. etc. Probatur argumentis Gregorii a quo illa sumpsit Bannes, Soncinas etc. *Primo:* nam si alia forma seu alia entitas formæ est per quam ignis est corpus, et alia per quam substantia, quæro: aut compositum quod constituitur in igne ex materia et forma substantiæ, est corporea aut incorporea, aut ab utroque abstrahens. Si corporea: ergo per illam entitatem per quam formaliter constituitur ignis in esse substantiæ, constituitur etiam corporeus, ac proinde falsum est diversos istos gradus exigere diversas formas. Si incorporea: ergo similiter per eandem formam constituitur incorporea per quam substantia, siquidem incorporeum est prædicatum quoddam commune etiam angelis et oppositum corporeo, ac proinde diversa prædicata ab eadem entitate formæ proveniunt. Si nec est corporea nec incorporea: ergo est substantia alterius rationis a corporea et incorporea; et cum tale compositum ex forma substantiæ et materia hujus ignis, sit substantia quædam singularis, neque enim existit universale ut sic extra intellectum, erit necessario alicujus speciei distinctæ a substantia corporea et incorporea, et per consequens aliqua species substantiæ prædicabitur *in quid* de tali composito. Similiter, si ignis per unam aliquam peculiarem formam est corpus, per aliam substantia, quæro: illa forma ut distincta ab omnibus aliis formis vel est substantialis vel accidentalis. Si secundum: ergo ignis accidentaliter est corpus, sicut accidentaliter est albus, quod nemo concedet, siquidem esse corporis est esse substantiale, quod non potest dare accidens.

Si primum: ergo illa forma dat esse substantiæ, ac proinde per eandem entitatem formæ potest res constitui et substantia et corpus: ergo cum eadem sit ratio de aliis prædicatis, poterit etiam per eandem formam habere omnia prædicata. Hoc argumentum ursimus etiam in Logica disp. 2. De univ. qu. 2. dub. 7., et omnia argumenta quæ probant gradus metaphysicos non distingui ex natura rei, probant hanc conclusionem.

Secundo. Si homo v. gr. constituitur corpus per aliquam formam distinctam ab anima rationali: ergo corpus non erit genus, nec poterit prædicari *in quid* de homine. Sequela probatur. Nam corpus cum non sit aliud quam materia cum forma per quam solum constituitur corpus, sequitur corpus esse partem physicam quæ cum anima rationali addita constituit totum hominem: ergo cum pars physica ut materia nec sit genus, nec prædicatur in recto essentialiter de toto, ita nec corpus.

Confirmatur 1-o: nam hæc sententia tollit ordinem prædicamentalem, nec juxta eam dari possunt prædicata superiora quæ quidditative contineantur et sint de essentia inferiorum specierum. Si enim forma per quam homo est corpus realiter differt ab ea per quam est vivens, non magis essentialiter corpus convenit viventi, quam gravi frigus etc., per accidens scilicet et ratione subjecti, non enim est de essentia viventis corpus, cum constituatur corpus per formam realiter et essentialiter diversam a forma viventis. Ex quo ulterius sequitur ut recte notat div. Thomas cap. 3. De ente, non posse genus in abstracto prædicari de specie in abstracto, ut color est qualitas, quia illud per quod formaliter est color, non includit illam formam per quam formaliter est qualitas. Sicut ergo solum in concreto possunt accidentia de se mutuo prædicari, ut album est dulce, eo quod idem subjectum per diversas formas constituitur album et dulce, ita similiter solum in concreto, ad eum omnino modum quo accidentia, prædicarentur essentialia prædicata substantiæ de inferioribus.

Confirmatur 2-o. Nam si per aliam formam constituatur homo substantia, animal et rationalis: ergo non est bona definitio hominis quæ per genus proximum et ultimam differentiam datur, quod tamen falsum esse in Logica disp. 1. in lib. Poster. ostendimus. Sequela probatur. Nam definitio debet totam rei naturam manifestare; at si per aliam formam homo est substantia, corpus etc. et per alias animal, rationale etc., non manifestarentur per talem definitio-

nem formæ superiores, atque ita nec prædicata quæ ab illis proveniunt; ac proinde, sicut loco citato diximus propter similem rationem non esse bonam definitionem per genus summum et ultimam differentiam, ita dicendum esset nec definitionem per genus proximum esse bonam.

Tertio. Nam homini eadem anima tribuit esse animalis, viventis, rationalis etc., neque enim sunt plures animæ in illo ut lib. De anima ostendetur: ergo per eandem formam possunt rei diversa prædicata convenire. Similiter in angelis diversa prædicata sunt, et non per diversas formas.[1] Ratio a priori est, quia forma nobilior potest æquivalere ignobilioribus pluribus: ergo. Addit Gregorius quod si hæ formæ sint diversæ, posset Deus conservare materiam cum sola forma ignis, sine aliis formis, et tunc esset ignis et non substantia, esset equus et non animal etc. Et e contra posset esse substantia et nulla species substantiæ etc.

Ad argumenta primæ sententiæ. *Ad primum* respondeo cum Gregorio et Bannes, Aristotelem ex eo probare non dari infinitas formas, quia darentur infinita prædicata, quia quælibet forma saltem unum prædicatum tribuit; nunquam tamen argumentatus est Aristoteles a contrario hoc modo: sunt plura prædicata; ergo sunt plures formæ, id enim non sequitur. Et ratio est nam prædicata metaphysica non sunt nisi ipsa natura concepta ut principium hujus vel illius proprietatis etc. Potest autem una res simplex esse principium diversarum proprietatum ut disp. 2. De univer. late ostendimus. Illo vero 7. Metaph. solum vult Aristoteles genus et differentiam ex quibus conflatur definitio proportionari partibus physicis, genus materiæ, differentia formæ, ut in Logica dictum. Vel certe dico cum Gregorio et Bannes, genus esse partem metaphysicam

[1] Et ex his etiam refutatur Zabarella lib. 2. De materia cap. 17. ubi idem sentit cum Janduno, scil. omnia prædicata rei univoca desumi ab aliqua re simplici quæ respondeat illi prædicato a parte rei, ut gradum viventis ab anima vegetativa etc. Et ita ait solam rationem corporis (quam ponit esse supremum genus prædicamenti substantiae) sine ulla forma constitui eo quod materia prima absque ulla forma ex propria sua natura sit corpus, genus summum prædicamenti substantiæ. Probat: nam corpus de prædicamento substantiæ est illud cui debetur trina dimensio, seu a quo emanat et cui inhæret trina dimensio; sed talis est materia: ergo. Sed ut omittam falso Zabarellam putare summum genus substantiæ esse corpus, cum ut in Logica ostendimus ratio substantiæ communis angelis et rebus corporeis sit generalissimum illius prædicamenti, omnino improbabile est, corpus quod tanquam genus prædicatur in recto et essentialiter de speciebus infimis, ut homine, esse materiam. Falsa enim est hæc prædicatio: homo est materia, cum tamen hæc vera sit: homo est corpus, vivens etc. Nec verum est, corpus quod est prædicatum completum respectu speciei infimæ, esse illud quod est immediatum subjectum quantitatis. Nam ut dicemus, potius est completa physice substantia cui debetur quantitas; nec in hac re potest esse controversia, nisi de nomine.

rei definitæ, et similiter differentiam, non quod sint partes realiter, sed per intellectum, quia ut ex Avicenna tradit Gregorius non est multitudo hæc a parte rei, sed tantum per intellectum, eadem enim res ut concepta indeterminate seu tanquam genus, est pars, ut vero concepta explicite et perfecte est totum compositum ex genere et differentia.

Ad secundum respondeo: per eandem formam realem potest unum esse simile et dissimile alteri. Nam ut recte Bannes citatus ad 4., in eadem entitate possunt diversæ rationes concipi, et potest res convenire cum alia ut habet talem rationem, esse vero dessimilis illi ut habeat aliam rationem per intellectum distinctam ut disp. 2. De univ. qu. 3. ad argum. 2-æ sent. Quod non ita est intelligendum, quasi a parte rei sint duæ relationes distinctæ quarum una sit similitudo, alia dissimilitudo, ut loco cit. qu. 2. dub. 7. ad. 1. arg. diximus, sed quod sit unica realis relatio per quam una res refertur ad aliam, in qua tamen relatione ab intellectu distinguitur similitudo et dissimilitudo, sicut in ejus fundamento distinguitur gradus communis et proprius; unde illa relatio similitudo est quatenus præcise intelligitur fundata in gradu generico, dissimilitudo quatenus in specifico. Ab eadem ergo forma v. gr. hominis provenire possunt diversa prædicata per quorum aliqua ut distincta per intellectum ab aliis gradibus conveniat homo cum equo, per alia sit dissimilis, licet realiter se toto convenit, et se toto differt.

Objicit Gregorius: si homo per eandem formam qua est homo, est animal: sequitur quod homo quatenus animal, esset homo, quod probatur. Nam quidquid convenit homini per formam qua est animal, convenit illi quatenus est animal; sed per formam qua est animal convenit ut sit homo: ergo homini quatenus animal convenit ut sit homo. Sed homini ut homo est convenit ut sit risibilis: ergo etiam homini ut animal est idem convenit. At quod convenit homini ut est animal, convenit omni animali ex virtute reduplicationis: ergo omne animal erit risibile. — Respondeo: nego sequelam. Sicut enim inquit Gregorius non valet, per eandem formam per quam res est alba est qualis, non tamen ut qualis, alba est: ita etc. Ratio est ex Bannes citato, quia licet sit unica forma simplex, per intellectum tamen distingui possunt in illa diversi gradus, quorum unus ut formaliter distinctus ab altero est principium alicujus operationis, cujus principium non est alius gradus ut formaliter

distinctus ab altero gradu, ut ex dictis in Logica loc. cit. patet, et maxime ex dub. 4. ad 2. Durandi.

Dico secundo: non est ponenda forma corporeitatis distincta ab aliis formis ex natura rei. Ita Pererius lib. 5. cap. 13. et 16., Bannes cit. art. 2., Toletus, Suarez, Soncinas, Themistius, div. Thomas citati pro tertia sententia. — Probatur primo. Quia sine ulla necessitate ponitur talis forma distincta ab aliis cum nullus sit effectus illius et salvari possint omnia propter quæ hæc forma excogitata est, etiam sine illa ut ex solutione argumentorum constabit et ex eo constat, quia forma inferior perfectior est superioribus ut v. gr. anima perfectior est omnibus formis et potest præstare omnes effectus quos aliæ formæ imperfectiores præstant, ut habet Aristoteles 2. De anima text. 31., et Pererius illo cap. 16. in fine late ostendit inducendo per omnia, posse sine tali forma omnia bene explicari: ergo.[1]

Secundo: si per aliquam formam specialem distinctam ab anima rationali constituitur homo in esse corporis: ergo sicut hæc forma corporis physice componit cum materia, ita etiam homo qui essentialiter est corpus, physice componeretur ex anima et corpore quod constituitur per formam peculiarem. Ex quo sequitur, compositionem ex gradu corporis et aliis inferioribus non esse metaphysicam, sed physicam, ac proinde ex entitatibus distinctis ex natura rei, quod alibi rejecimus. Et ulterius sequitur manifeste, ut præcedenti con-

[1] Suarez disp. 13. sect. 3. a n. 8. sic probat conclusionem nostram. Nam vel illa forma constituit compositum cum materia in aliqua specie infima, vel dat tantum esse genericum, non tamen specificum. Non primum ut probat n. 9. et 10. Tum quia sine necessitate fingitur pluralitas formarum constituentium eandem rem in specie infima, cum nullum sit indicium, nec ullus physicus effectus ad quem necessaria sit talis forma. Tum quia non potest eadem substantia essentialiter constitui in duabus speciebus ultimis ut deberet constitui per formam corporeitatis et per aliam formam additam. Revera enim quaelibet substantia quantumvis complata actuari posset alia forma substantiali, cum non sit major ratio de una completa substantia, quam de alia, siquidem ex duobus in actu fieret ens per se contra Aristotelem. Secundum vero impossibile est ait n. 16. Quaelibet enim forma existens est in aliqua infima specie formae, siquidem habet propriam differentiam et rationem per quam essentialiter distinguitur ab omnibus aliis formis habentibus diversam essentiam cum quibus convenit in ratione formae substantialis. Ergo cum forma communicet composito totum suum esse, constituit illud in specie infima. Non enim alio modo potest constitui compositum speciei infimae. Dices: materia est species infima, et tamen est communis substantiis essentialiter diversis: ergo et forma. — Respondet: disparitas est. Nam materia est quasi fundamentum essentiae integrae, atque ita solum inchoata essentia apta ex se diversas essentias constituere, forma vero est complementum essentiae, et ita eo ipso quod habet completam essentiam et speciem infimam determinat materiam ad speciem infimam. Confirmatur. Nam ex hac sententia sequitur, rationem genericam et specificam ex natura rei distingui in eadem re, cum sumantur ex formis realiter distinctis. Deinde sicut unus gradus datur per unam formam, ita alii per alias, et sic tot erunt formae, quot praedicata essentialia, quod refutavimus.

clusione ostendimus, corpus non posse prædicari essentialiter de homine, sed solum denominative. Pars enim physica non prædicatur nisi denominative de toto, cujus rationem dedimus in Logica disp. De gener. qu. 2. ad 1. Sicut ergo homo non dicitur anima vel materia, sed animatus etc., ita non potest dici corpus, sed corporeus.

Dices: prædicari posse, eo quod corpus in confuso dicit totum quod homo. Contra est, nam si corpus constituitur per formam peculiarem, distinctam ab anima, corpus nihil aliud significat quam compositum ex materia et forma corporeitatis, ac proinde non dicit in confuso totum id quod inferiora dicunt. Licet ergo, si per eandem formam res constituatur corpus, animal, homo etc., gradus corporis significet totam entitatem a qua desumitur, ac proinde saltem implicite omnes gradus quibus in re est identificatus, qua de causa recte dici potest in confuso dicere totum quod inferiora, ac proinde prædicari *in quid* ut in Logica disp. De analogis qu. 4. dicto 2. dicebamus, si tamen per diversam formam constituatur corpus, nulla talis confusio inferiorum reperiri potest. Confirmatur: nam sicut gradus genericus corporis tribuitur per formam distinctam ab ea per quam res habet gradum specificum, ita non est ratio cur non quilibet gradus genericus peculiarem formam exigat, ac proinde prima sententia oppugnata rediret.

Tertiò: impossibile est dari a parte rei individuum positum sub genere quin ponatur etiam sub aliqua specie 2. De anima, 4. Topic. loco 7. At si datur forma per quam res constituitur corpus compositum, constans tali forma et materia, est sub genere substantiæ et sub nulla specie, quia illa forma non dat nisi esse corporis, cum tamen si esset in aliqua specie infima, daret tale compositum habere aliquod aliud esse. Et hoc Scotus concedit dicens, corrupta vel separata anima remanere materiam cum sola forma corporeitatis, quod accidisse in Christi morte, et reliquorum hominum docet, ac proinde tunc illud individuum erit sub genere et sub nulla specie, quod impossibile est. Si autem forma constituit aliquam speciem infimam, fieri non potest ut alia forma substantialis addatur ut conclusione 3. dicetur. Confirmatur: nam ex hac sententia sequitur, unum individuum generis, posse successive contrahi ad individua diversarum specierum, ut quod semel est sensibile, fiat vegetabile etc., ac proinde corrupta aliqua specie non corrumperentur omnes gradus metaphysici illius.

Quarto probatur. Nam forma v. gr. lapidis et forma elemen-

forum ex natura sua, etiam ut distinctæ a qualibet alia forma sunt corporeæ et coëxtensæ materiæ, cum quidquid est in illis, corporeum sit, ut in Logica ostendimus loco supra citato. Ergo per illas formas possunt constitui talia entia in esse corporis. Ergo frustra alia forma distincta additur, et ita saltem in aliis, præter hominem, nulla talis forma est admittenda. Quomodo autem homo possit constitui per animam rationalem, quæ spiritualis est, corpus, mox dicetur.

Ad argumenta pro Scoto allata, ad primum respondeo: Compositionem realem esse ex materia corporea et forma, et non ex materia habente formam corporeitatis et anima. Unde cum dicitur homo compositus ex anima et corpore, per corpus materia intelligitur, quæ ex se est corpus substantiale incompletum sicut est substantia incompleta, et adveniente forma fit corpus completum. Et si hoc solum vult Zabarella lib. 2. De materia cap. 17. cum ait materiam esse corpus, recte sentit; si tamen vult id quod velle videtur, gradum corporis qui prædicatur *in quid* de speciebus infimis substantiæ esse materiam, falsissimum est quod docet. Tunc enim revera non posset prædicari corpus de speciebus infimis in recto, sicut non potest prædicari materia.

Ad secundum respondeo cum Suaresio 3. p. tomo 2. disp. 38. sect. 3., Bannez citato ad 4., Cajetano 1. p. qu. 76. art. 4. et 2. De anima cap. 1., Soncinate 8. Metaph. qu. 15., Gregorio 2. dist. 16. qu. 1. ad 3. contra 4. conclus. etc. mortuo vivente produci formam cadaveris in ejus materia. Quod probatur, tum quia si nulla nova forma tunc producitur, sed remanet materia cum forma corporeitatis vel aliis formis partialibus, sequitur manifeste dari corruptionem sine generatione alterius, et tamen Aristoteles 1. De generat. text. 17. ait unius corruptionem esse generationem alterius.[1] Tum quia contra naturæ ordinem est ut aliquid corrumpatur et nil producatur, cum natura per se non tendat ad corruptionem, sed hæc per accidens sequitur ad generationem. Tum quia talis forma corporeitatis, vel partiales formæ si dantur, sunt incompletæ. Ergo pendent connaturaliter ab ulteriori forma completa, ac proinde

[1] Respondet Zabarella lib. De generat. cap. 4. ad 3. remanere eandem formam mixtionis quam ante habebat compositum, ante tamen dum in vivente v. gr. esset forma specifica, non dabat illa forma nisi esse genericum et solum constituebat mixtum, postea vero cum ab anima non coarctatur, dat esse specificum, et ita generatur i. e. incipit dare esse specificum quod ante non dabat. Et cap. 6. ad 1. ait formam ea ratione dici produci, quatenus incipit fungi officio formae, cum ante fungeretur officio materiae.

sine illa existere non possunt, sicut propter eandem rationem materia non potest absque forma existere. Tum denique quia si manet cadaver cum sola forma corporeitatis, daretur hoc corpus sub genere, et sub nulla specie quod absurdissimum est, et potius admittendum esset manere materiam sine omni forma, quam manere genus sine specie. Sicut enim formam corporeitatis incompletam putant posse remanere, ita poterit materia incompleta per se remanere. Unde Suarez supra ait, etiam in Christi materia post mortem productam esse talem formam cadaveris quam formam assumptam esse censet a Verbo.

Quærenti autem Scoto, a quo inducatur talis forma, respondent Bannez et Thomistæ: induci ab ea qualitate prima cujus excessu moritur vivens; hæc enim in virtute elementi cujus est qualitas connaturalis producit talem formam. Unde licet quis gladio pereat ait Bannez, tamen gladius solum se habet ut conditio sine qua non et applicans activa passivis, ipsæ tamen qualitates elementorum sunt causæ principales talis formæ, et corruptionis viventis. Et idcirco ait Bannez, formam cadaveris specie diversam esse, quoties mors provenit a diversorum elementorum prædominio, ita ut cadaver mortui ex prædominio choleræ specie distinguatur a cadavere mortui ex prædominio phlegmatis. Hæc tamen doctrina innititur falso fundamento, quod scilicet accidentia attingere possint productionem formæ substantialis virtute substantiæ etiam actu non existentis. Et in præsenti certum est, non posse eo modo produci formam cadaveris quo hi auctores volunt. Tum quia cadaver ipsum est quoddam mixtum; at nullum mixtum potest ab uno elemento ut principali agente produci: ergo nec ab ejus qualitate tanquam instrumento. Minor probatur, nam in uno mixto includuntur virtute omnia elementa et continet mixtum saltem virtute perfectiones omnium elementorum: ergo sicut unum elementum non potest producere aliud elementum, ita nec mixtum. Præterea ex eodem antecedenti probabiliter sequi, omnia mixta esse perfectiora elementis, ac proinde cum nihil possit producere aliquid perfectius seipso, saltem ut causa principalis, nullum elementum per se poterit ullum mixtum producere. Tum etiam quia non semper moritur vivens per excessum alicujus qualitatis, ut recte Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 4. sect. 6. ad 3., sed aliquando ex defectu organorum, ut cum abscinditur caput, nulla ibi est excedens alteratio ab aliqua qualitate proveniens, et tamen moritur vivens propter defectum organi principalis. Sicut enim forma viventis

postulat certas qualitates, ita etiam unionem quarundam partium inter se, sine qua non poterit corpus informare, tunc autem forma cadaveris non inducitur a qualitatibus.

Respondeo ergo: formam cadaveris induci a Deo tanquam causa particulari supplente communem defectum, quod ut explicetur, sciendum est, dupliciter fieri posse corruptionem alicujus. Primo cum ex eo quod agens introducit formam sibi similem cujus generationem intendebat, expellit a materia formam præexistentem, et tunc res corrumpitur per generationem alterius. Secundo corrumpitur res non per generationem alterius, sed propter defectum alicujus causæ vel dispositionis necessariæ, ut cum animal corrumpitur defectu organi præcipui et huic corruptioni respondet generatio quæ est velut per accidens ad supplendum communem defectum, ne scilicet materia remaneat sine forma quam agens vel non intendit producere, ut cum libera causa amputat caput hominis, vel certe si intendit, non potuit materiam disponere sufficienter ad talem formam, quamvis interim abstulerit dispositionem necessariam ad conservationem rei quæ corrumpitur. Quia ergo tale agens non potest in materiam rei corruptæ introducere formam quam intendebat, idcirco nisi Deus suppleat defectum causæ secundæ, materia sine forma maneret, quod ne accidat supplet Deus quod deest causis secundis, quod ex 2. Phys. disp. 3. qu. 7. ad 1. latius intelligetur. — An vero diversæ sint specie formæ cadaveris, res non est certa, ut docet Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 14. sect. 5. ad 5., nec judicat improbabile Valentia ubi supra col. 1346., Suarez disp. 15. sect. 10. n. 16. et Cajetanus 1. p. qu. 76. art. 4., Gregorius supra ad 3. et 4. concl. Probabilius est, formas cadaverum viventium specie diversorum, specie diversas esse, cum enim diversis formis succedant, semper habent diversas dispositiones in materia. At vero in eadem specie viventis, cadavera sunt ejusdem speciei, ut omnia humana cadavera, quia eædem sunt et ejusdem rationis dispositiones in materia, licet intra latitudinem talis dispositionis, secundum magis et minus differant. — An vero hæc forma cadaveris habeat diversas partes heterogeneas in osse, carne etc., ex iis quæ in lib. De anima dicemus in universum de formis dissimilibus animalium, intelligetur.

Ad tertium. In Logica disp. 2. De univers. qu. 2. dub. 7. in 4. probatione conclusionis explicavimus quomodo homo sit vere corpus, licet ejus forma sit spiritualis. Respondeo ergo breviter:

animam rationalem non dare seipsa formaliter esse corporis, ita ut ipsa sit formaliter corporea, sed solum dicitur dare esse corporis, eo quod cum uniatur materiæ facit cum illa unum compositum physicum cui debetur quantitas tanquam passio ratione unius partis, scilicet materiæ, et ita anima, licet spiritualis sit, facit corpus completum, quod nihil aliud est quam compositum physicum cui debetur quantitas saltem ratione unius partis, scilicet materiæ ut diximus disp. præced. qu. 5. ad 3. — Ad confirmationem. Iam diximus ad primum argumentum, materiam esse corpus incompletum, i. e. substantiam incompletam cui debetur extensio.

Ad quartum respondeo cum div. Thoma 3. p. qu. 50. art. 5., Suaresio l. cit. corpus Christi vivi et mortui fuisse idem non omnimoda identitate et simpliciter. Dicitur tamen idem in concreto ratione suppositi divini quod idem mansit, item mansit eadem materia, quantitas et accidentia materialia a quibus ratio et denominatio corporis præcipue sumitur, quia ut recte Suarez, prima radix quantitatis et corporeæ molis est materia. Unde propter identitatem ait corporis Christi vivi et mortui, non esse negandum introductam esse formam cadaveris in materiam Christi. Eadem enim ratione inquit negari deberet in cadaveribus sanctorum introduci formam cadaveris, quia reliquiæ sanctorum venerantur tanquam ipsamet sanctorum corpora. — Ad confirmationem late respondet Suarez 3. p. Tom. 3. disp. 51. sect. 4. Breviter dico: sub speciebus panis ex vi verborum esse formam substantialem quatenus sufficiens est ad constituendum corpus organicum humanum, et ita hæc forma secundum hanc rationem præscindit a propria ratione animæ vel formæ cadaveris, licet in se semper sit anima vel forma cadaveris. Ex quo sequitur: per verba consecrationis et virtute illorum produci necessario vel animam vel formam cadaveris totam, non tamen ex vi significationis verborum, sed ratione identitatis quam habent cum termino significato per verba. Unde ex vi verborum solum producitur corpus Christi, quod si in re constituatur per animam rationalem producetur per transsubstantiationem tota anima rationalis, eo quod non possit illa produci ut constituens corpus, quin producatur tota ejus entitas, cum per eandem entitatem a parte rei constituat compositum quod est corpus, vivens, rationale.

Dico tertio. In una materia una sola forma substantialis esse

potest naturaliter.[1] Ita auctores omnes tertiæ sententiæ cum div. Thoma et ejus sectatoribus. Et omissa probatione thomistarum qui volunt materiam existere existentia formæ, ac proinde cum una res non possit nisi unam existentiam habere, nec posse plures formas habere, probatur hæc sententia

Primo: quia ut recte Gregorius, nulla est necessitas admittendi plures formas, cum et eadem forma possit esse principium diversarum operationum, plurium vel pauciorum pro majori vel minori perfectione formæ et diversas dispositiones in diversis partibus materiæ possit exigere, sicut adversarii dicunt exigere diversas formas partiales per quas disponitur materia ad talem formam recipiendam, et denique omnia explicari possunt posita una sola forma substantiali: ergo

Secundo: si admittendæ sunt ullæ formæ partiales, maxime in partibus organicis animalium. At omnino impossibile est in illis partibus ponere diversas formas ab anima, quod sic probo. Nam si dantur tales formæ quæ prius veluti dispositiones introducuntur in materiam animalis quam anima producatur, et anima corrupta vel separata remanerent, duo sequuntur perquam absurda. Primum est: productionem animalis non esse naturalem mutationem, nec in illa reperiri principia mutationis naturalis 1. Phys. requisita. Nam principia mutationis naturalis debent esse simplicia et non composita ex aliis principiis, ut ex definitione principiorum patet. At si in materia antequam informetur ab anima dentur formæ partiales, alterum principium quod cum anima componit, non esset simplex, sed compositum constans aliis principiis. Ergo ad generationem animalis non concurrerent principia rerum naturalium. Alterum absurdum est: generationem non esse mutationem totius in totum nullo subjecto sensibili remanente, quo tamen modo definit Aristoteles generationem 1. De generat. text. 23., revera enim remaneret os, caro etc. quæ sunt subjecta sensibilia.

Respondent adversarii, remanere quidem subjectum sensibile, sed non subjectum idem, quod solum docet Aristoteles. Ajunt ergo, quod cum animal moritur, licet remaneat forma ossis etc., fit tamen compositum alterius speciei, nempe cadaver, quod nil aliud est quam omnes formæ partiales simul. Unde non manet

[1] Cur plures formæ metaphysicæ seu differentiæ in eadem re dentur, non vero physicæ, ait Suarez disp 15. sect. 11. n 18. est quia quælibet forma physica constituit speciem completam, non vero quælibet metaphysica, sed solum ultima

idem subjectum accidentium, siquidem ante subjectum erat animal, postea cadaver. — Contra est: nam supra ostendimus in morte animalis non posse remanere solas formas partiales; et quamvis illæ solæ remanerent adhuc idem subjectum sensibile remaneret, nam forma carnis, ossis etc. constituunt compositum alicujus speciei etiam cum vivit animal, non minus quam mortuo animale. Revera enim, cum se ipsa formaliter constituant rem talis speciei, fieri non potest ut informando materiam, non constituant talem speciem qualem constituunt mortuo animale. Illa autem species eadem remanet mortuo animale: ergo et subjectum sensibile. Confirmatur, nam *nullum* est signum universale negativum quod complete distribuit omnia quæ post se habet. Ergo si nullum subjectum sensibile manet, nec completum, nec incompletum subjectum sensibile remanebit, si enim remanet aliquod subjectum sensibile etiam incompletum, falsum est nullum remanere, hæ enim propositiones sunt contradictoriæ.

Tertio probatur argumento quo utitur div. Thomas citatus in tertia sententia, Toletus ibi concl. 1., Gregorius concl. 3. supponendo prius, omnem formam substantialem unitam materiæ constituere speciem infimam substantiæ perfectiorem vel imperfectiorem, quod evidenter probatur. Tum quia si non constituit speciem infimam: ergo tantum gradum genericum: ergo cum Deus posset materiam cum illa forma conservare, poterit esse aliqua res sub genere et sub nulla ejus specie. Tum quia si gradus genericus per aliam formam constituitur per quam non constituitur res in specie infima, non poterit prædicari gradus genericus de specie infima, ut dicto 2. ostendimus, et ea quæ ibi diximus hoc ostendunt. Hoc ergo posito sic argumentor: si in materia præexistit v. gr. forma ossis, carnis etc. antequam generetur equus et cum forma equi remaneant illæ partiales formæ: ergo productio equi non esset generatio, sed alteratio, et forma equi esset accidentalis, cum ut recte dicebat div. Thomas, forma adveniens substantiæ constitutæ in specie infima sit accidentalis. Probatur consequentia, nam ut recte Gregorius tum loco supra citato, tum etiam in 2. dist. 12. qu. 1. art. 1. nullum aliud est principium ad ostendendum quod aliqua forma physica sit accidentalis et non substantialis, nisi quod illa forma sit accidentalis quæ materiæ informatæ aliqua forma substantiali, ac proin alicui speciei infimæ advenit. Et nisi hoc principium admittamus, revera probari non potest

quod qualitates, ut calor etc. non sint formæ substantiales advenientes substantiæ constitutæ jam per aliam formam substantialem in specie infima. Hoc autem principio admisso, evidenter sequitur non posse naturaliter materiam informatam una forma substantiali, recipere aliam substantialem. Et hoc est quod ait Aristoteles 2. De gener. text. 31. quod si aër inquiens permaneat, non potest esse nisi alteratio quælibet productio formæ in illo.

Confirmatur primo. Impossibile est ut ex pluribus formis substantialibus constituatur aliquod ens per se. Cum enim materia constituat speciem infimam cum forma substantiali priori, nec possit speciei infimæ ullum prædicatum essentiale addi, sequitur id omne quod additur individuo speciei infimæ, extra essentiam illius esse, et si id quod advenit sit species infima sub eodem genere, sequitur ex illis duabus speciebus fieri ens per accidens, sicut fieret si Deus faceret eandem numero materiam in uno loco a forma bovis, in alio a forma hominis informari. Ex quo sequitur, hominem vel quodlibet animal esse aggregatum per accidens ex osse, carne et specie humana, quod est totam physicam evertere.

Confirmatur secundo, nam formæ substantiales etiam dependentes a materia non sunt in subjecto ex cap. Antepræd. et cap. De subst. ubi dicitur, nulli substantiæ convenire ut sit in subjecto, ac proinde forma substantialis non inhæret subjecto, sed id proprium est formæ accidentalis: ergo peculiaris aliquis modus essendi in subjecto convenit formæ accidentali, qui non convenit substantiali. At explicari non potest quid sit esse in subjecto, et illi inhærere, quod soli accidenti convenit et non formæ substantiali, si concedamus plures formas substantiales esse in eadem materia: ergo: Minor probatur, nam certum est formam substantialem esse aliquomodo in subjecto, siquidem Aristoteles 2. De anima text. 4. animam ait esse in subjecto, idem 2. Phys. text. 4. et 1. Phys. sæpissime materiam ait esse primum subjectum in composito physico, ac proinde est subjectum formæ substantialis. Imo div. Thomas 1. p. qu. 75. art. 2. ad 1., Cajetanus ibi et Ferrariensis 2. Cont. gent. cap. 68. formas substantiales etiam inhærere dicunt. Et ratio est, quia uniuntur subjecto, et ab illo dependent, quod est inhærere, nec adversarii dicere possunt quid aliud necessarium sit ad inhæsionem quæ propria est accidentium, si admittamus plures formas in eadem materia. At vero si non admittamus, facile est assignare discrimen. Licet enim forma substantialis sit revera in subjecto,

incompleto tamen scilicet in materia,[1] siquidem materia est subjectum formæ corruptibilis. Et ratio est, quia nil aliud est subjectum quam res sustentans formam; sed forma substantialis sustentatur a materia tanquam a comparte constituente cum illa unum totum: ergo. Non tamen est in subjecto completo i. e. constituto jam in aliqua specie completa; at vero accidens est in subjecto completo et constituto in specie completa. Nam quantitas est in materia informata forma substantiali, et reliqua accidentia sunt in quantitate constituta complete in suo genere per propriam differentiam specificam. Esse igitur in subjecto completo, et illi inhærere est proprium accidentium; esse vero in subjecto incompleto convenit etiam formæ substantiali. At si materia informata una forma substantiali reciperet aliam formam corruptibilem, hæc revera esset in materia constituta jam et completa in aliqua specie: ergo hæc forma esset accidentalis. Ex quo apparet naturaliter loquendo universaliter verum esse illud div. Thomæ: quidquid advenit enti constituto in aliqua specie, esse accidens illius.

Dices: subsistentia advenit materiæ informatæ, et tamen non est accidentalis: ergo. — Respondeo: subsistentiam revera esse extra rationem essentialem materiæ, ac proinde hæc prædicatio: materia est subsistens, ad quartum prædicabile spectat, nec facit unam essentiam cum materia. Nihilominus tamen non est aliquid spectans ad prædicamentum accidentium, sed complementum substantiale quod cum materia facit unum subsistens per se. Et ratio est, quia non advenit materiæ informatæ forma substantiali, sed mutatis formis substantialibus semper in materia permanet subsistentia partialis per quam partialiter subsistit, ut in Metaphysica ostendemus.

Ad argumenta pro secunda sententia secundo loco allata. — Ad primum. Omissa responsione Bannez quam in argumento facto efficaciter impugnavimus, respondent aliqui: partes organicas tantum differre in accidentalibus dispositionibus, nam alias anima idem esse substantiale tribuit omnibus partibus, quia tamen alia est

[1] Respondent aliqui: id solum dici inhaerere, quod est in alio non tanquam pars i. e. alicujus, scilicet unius per se. Nam hanc particulam addit Aristoteles in Antepraedicamentis. At vero quaelibet forma substantialis est in materia tanquam pars entis per se. Contra est: nam quod formae accidentales non sint in alio tanquam pars constituens unum per se, constare non potest nisi ex eo quia est accidentalis: ergo. Sed si forma substantialis potest advenire substantiae constitutae jam in specie per formam substantialem, nullum est signum ex quo cognoscamus an aliqua sit forma accidentalis, et consequenter an sit in alio non tanquam pars entis per se: ergo.

dispositio pedis, alia capitis, ideo alias operationes habet in pede, alias in capite. Unde quamvis os non sentiat, ut multis placet, vere tamen informatur anima, quæ est principium sentiendi, et ex vi illius informationis sentire posset, quamvis non sentiat propter defectum dispositionum. Sed licet verum sit quod in fine dicebatur, tamen partes viventis solum accidentaliter differre, non videtur verum.[1] Tum quia si partes viventis heterogeneæ, tantum accidentaliter distinguuntur, anima non esset actus corporis essentialiter heterogenei, sed substantia viventis essentialiter heterogenea esset, non minus quam aqua cujus una pars igni vicinior calida est, alia frigida. Tum quia juxta ordinem naturæ dispositiones ad formam sunt juxta exigentiam formæ; unde si in diversis partibus reperiuntur diversæ dispositiones, necessario vel in ipsa forma vel in informatione ejus aliqua diversitas intelligi debet. Si enim hæc ejusdem rationis sint in omnibus partibus materiæ, intelligi non potest quomodo ratione illius diversæ dispositiones requirantur in diversis partibus.[2]

Respondeo ergo cum Suarez 3. p. tomo 3. disp. 51. sect. 5. duplicem esse organisationem in partibus viventis, unam accidentalem, quæ in eo consistit quod partes materiæ quas informat anima, habeant dispositiones diversas et dissimiles; alteram substantialem, quæ radix est illius organisationis accidentalis, ex eo enim debentur dispositiones tales membris viventium quia habent aliquam diversitatem substantialem et non omnes ejus partes sunt ejusdem rationis cum toto. Et hæc quidem organisatio substantialis facile explicatur in viventibus quæ habent animam divisibilem. Nam ut loco citato docet Suarez, quod et Bannez cit. innuit, et Sotus 1. Phys. qu. 3. ad 8. et late ostendemus lib. De anima, hæ animæ componuntur ex partibus diversæ rationis et specie incompleta diversis; unde provenit ut diversæ partes materiæ diversas dispositiones requirant. In homine vero qui habet animam spiritualem et ejusdem rationis in omnibus partibus, non datur organisatio substantialis diversa proveniens ab ipsa forma, sed tantum proveniens ab unione formæ cum materia. Ut enim disputatione sequenti ostendam unio formæ cum materia est quidam substan-

[1] Licet Conimbricenses 2. Cœli cap. 7. qu. 1. art. 1. id asserant.

[2] Sed latius ostendemus in libro De anima substantialiter differre partes animae extensae, ac proinde etiam partes viventis, et similiter partes unionis animae rationalis cum corpore esse diversae rationis.

tialis modus, et unio etiam animæ rationalis cum materia divisibilis est. Unde ut lib. De anima ostendam diversæ rationis est hæc unio in una et alia parte materiæ, et idcirco diversas dispositiones exigit homo in una parte, et diversas in altera.

Jam ergo respondeo ad argumentum: corpus animatum heterogeneum esse, atque adeo carnem et ossa substantialiter et specie incompleta differre, vel quia formæ illarum specie incompleta differunt, vel saltem quia uniones substantiales sunt specie incompleta diversæ. Præterea anima est actus corporis quod habet organisationem accidentaliter et constituit saltem mediante unione organisatum substantialiter. Demum non omnes ejus partes sunt os, quia anima facit quidem quamlibet partem viventem, non tamen facit esse os, nisi talis forma specie incompleta diversa a forma carnis, vel certe forma indivisibilis tali unione copulata materiæ. Licet ergo, quidquid anima rationalis dat, seipsa formaliter cuilibet parti det, quia tamen non per animam rationalem solum, sed per illam ut unitam tali unione specie diversa ab altera parte unionis tribuit esse carnis etc., idcirco non tribuit omnibus partibus esse carnis. — Ad confirmationem. Ex illa diversitate accidentium colligitur aliqua diversitas substantialis, ut diximus, non tamen formæ distinctæ specie completa. Cur autem brachium reproduci non possit, ut potest caro etc. lib. De anima dicetur.[1]

Ad secundum. Anima rationalis ex se est talis ut apta sit dare esse carnis, ossis etc. si uniones diversæ rationis habeat. Unde non tribuit anima rationalis esse carnis per aliquid diversum ex natura rei ab eo per quod tribuit esse ossis, sed per eandem indistinctam entitatem tali unione unitam. In anima vero divisibili, habente partes specie incompleta divisas, multo facilius solvitur argumentum.

Ad tertium. Jam ostendimus dari formam cadaveris, et a quo producatur, quæ forma constat partibus specie incompleta diversis, per quarum unam dat esse carnis, alteram ossis etc.[2]

Ex his patet nihil premi auctores secundæ sententiæ argumento quo communiter solent impugnari a Thomistis, qui ajunt per quamlibet formam constitui compositum substantiale, ac proinde cum per illam res constituatur in genere, constituetur etiam

[1] Vide Toletum 2. De anima qu. 5. concl. 3.

[2] Dices: ergo forma cadaveris est actus corporis organici. Respondeo: ita, sed non est potentia vitam habens.

specie. Unde Aristoteles 2. De anima text. 2. ait, omnem formam tribuere speciem aliquam; duæ ergo formæ constituent rem in duplici specie infima. At ex duabus speciebus non potest fieri unum per se, siquidem non fit unum per se nisi ex duobus quorum unum sit actus, alterum potentia ex Aristotele 7. Metaph. text. 49., 8. Metaph. text. 15., 2. De anima text. 7. Una vero species non est actus respectu alterius. Et probatur, nam si unum compositum substantiale est actus alterius compositi substantialis: ergo una forma erit actus alterius formæ, et illam informabit. Consequentia patet. Nam licet si duæ formæ substantiales eandem materiam informarent, posset explicari quomodo cum materia constituat quælibet forma unum per se, tamen explicari non potest quomodo compositum constitutum per unam formam, constituat unum per se cum altero composito, nisi unum compositum sit actus alterius, ac proinde forma unius informet formam alterius, et materia ut informata una forma, sit subjectum sui ipsius ut informata alia forma. Hæc inquam ratio etsi non facile solvi possit, dicere tamen possunt, formas partiales incompletas esse, et ita in potentia ad hoc ut perficiantur et compleantur alia forma. Sicut nos etiam dicimus partes continuatas formæ materialis, quæ sunt species incompletæ, efficere unam speciem incompletam et unum per se, sicut duæ partes lineæ continuatæ absque eo quod mutuo se informent efficiunt unum per se, et unam speciem longitudinis: similiter ex eo quod composito constituto in aliqua specie per aliquam formam, non sit essentialis forma alia quæ advenit, sed accidentalis, non potest colligi simpliciter quod non sit forma substantialis. Imo nec quod non possint unam tertiam speciem perfectiorem constituere, quia licet forma adveniens non sit de essentia compositi præexistentis, potest tamen esse de essentia compositi integri per utramque formam constituti.

Ex dictis tres quæstiunculæ dissolvi possunt. Prima: an virtute divina possint plures formæ esse in eadem materia? Argumentum enim Thomistarum proxime factum, et illud pronuntiatum vulgo receptum, ab illis quod advenit enti constituto in specie aliqua est accidens illius, videtur absolute probare, nec divina quidem virtute id fieri posse. Respondeo tamen: supposito ex disp. De potentia obedientiali, dari in qualibet re non solum potentiam obedientialem activam per quam res producere potest tanquam instrumentum Dei quod connaturaliter non posset, sed etiam poten-

tiam obedientialem subjectivam ad recipienda ea quæ subjectum connaturaliter recipere non posset, ut ad gratiam, dona supernaturalia etc.: existimo sine ulla probabilitate negari id posse fieri, cum nulla hujus rei appareat implicatio; et ita Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 4. sect. 5. ad 3. ait, eandem materiam duplici anima rationali posse informari divina virtute, et formas incompossibiles naturaliter, divina virtute posse simul existere in eodem subjecto docet Gregorius 1. dist. 17. qu. 3. art. 2., et late ostendemus in libris de generatione. Argumenta vero facta pro tertia conclusione solum concludunt, generationem et corruptionem non futuram tunc talem qualem naturaliter fieri semper cognovit Aristoteles. Et similiter, licet connaturaliter ita sit ut sola forma accidentalis advenire possit enti completo, et illi inhærere, supernaturaliter tamen secus accidere posse, et ita posse formam substantialem corruptibilem inhærere non minus proprie quam accidens, et præterea nos tunc nullum habituros principium ad cognoscendum talem formam advenientem enti completo esse substantialem, imo judicaturos esse accidentalem nisi Deus contrarium revelaret. Unde vitanda sunt pleraque argumenta Thomistarum quibus tertiam nostram conclusionem probare nituntur, quæ si quid probant, ostendunt nec divina quidem virtute fieri posse contrarium.[1]

Secunda quæstio est: an ea quæ diversas formas habent continuari possint, seu quod idem est: utrum res diversæ speciei possint continuari? de qua re late Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 3., Soto 5. Phys. qu. 3. ad 8. argum.[2] Et quidem recte docet Fonseca ut disp. De motu qu. 2. ostendemus motus diversos specie non posse continuari, accidentia vero permanentia esse in eodem subjecto continuo atque adeo aliquo modo continuari nil impedit.

[1] An vero formae accidentales contrariae ac proinde naturaliter incompossibiles in eodem subjecto esse possint virtute divina, alibi dicetur.

[2] Suarez disp. 40. sect. 5. n. 60. et 61. putat materias habentes diversas formas continuari posse, licet formæ non possint. Probat: nam aggeneratio substantiæ continue fit; aliquando ergo signari potest instans in quo verum sit dicere, aggenerationem venisse usque ad hunc terminum: ergo forma per generationem introducta attigit illum terminum. Ratio autem cur formæ non possint continuari, possint materiæ, ait est quia continuatio pertinet ad speciem illius formæ quam continuat, duæ autem formæ non possunt habere talem terminum. Illæ enim ad nullam speciem spectant, cum non sit ratio cur ad hanc potius, quam illam spectent. Si autem ad tertiam speciem spectet, non erit terminus proportionatus ad uniendum. Sed hæc frivola sunt. Imprimis enim quando pervenit forma ad hunc terminum, dici potest esse duo indivisibilia producta terminativa duas quantitates, et ea corrumpi cum ulterius pergat generatio, producique unum continuativum. Falsum etiam est, unionem debere esse ejusdem speciei cum forma quam unit, ut patet in puncto respectu lineæ.

Nam eadem quantitas continua potest in una parte calorem in alia frigus, in una albedinem in alia nigredinem habere. Unde cum Aristoteles 5. Phys. text. 89. ait, ea quæ differunt specie non posse continuari, solum loquitur de motibus specie distinctis. Præterea existimo contra Fonsecam cum Soto posse ea quæ habent formas substantiales specie imperfecta seu incompleta et partiali diversas, continuari. Nam ut supra dixi et latius lib. De anima probabo, partes animalium quæ habent formam divisibilem constant formis specie incompleta diversis, quæ ordinantur ad efficiendum unum individuum speciei incompletæ. At vero formæ quæ constituunt speciem completam, cum non ordinentur ad faciendam unam tertiam speciem, idcirco nec possent habere materias continuas, i. e. facere unum individuum per continuationem. Et ratio hujus a priori est, propterea enim una pars materiæ uniri potest alteri parti materiæ, ac proinde cum illa efficere unam numero materiam per continuationem, quia cum illa simul efficere potest unum numero compositum, siquidem totum esse materiæ est propter compositum. At eo ipso quod sunt duæ formæ constituentes speciem completam, non potest per illas constitui unum numero compositum, quæ enim specie completa differunt, etiam numero differant necesse est. Si enim non differrent numero, essent idem numero; id autem quod est unum numero, etiam unum specie ex Aristotele 5. Metaph. text. 11., 1. Top. cap. 6. ut late dixi in Logica disp. 3. in Præd. qu. 4.: ergo si ea quæ constituuntur per diversas formas in specie completa, efficere possent unum numero, etiam unam speciem efficient, ac proinde erunt species incompletæ. Propterea ergo duæ formæ constituentes speciem completam non possunt esse in materia continuata, quia cessat finis unionis et continuationis materiæ; quia vero hic finis non cessat si continuentur duæ formæ specie incompleta diversæ, eo quod efficere possint unum individuum speciei completæ: idcirco tales formæ possunt esse continuatæ, quales sunt formæ brutorum quæ habent partes specie incompleta distinctas.

Argumenta vero quibus Fonseca hanc rem confirmare nititur ex dicendis lib. 3. ubi explicabimus in quo subjecto sint superficies continuativæ corporis, et lineæ etc., facile constabit parum valere. Rationes tamen quibus hæc sententia oppugnari solet, solvunt bene Fonseca et Soto. Nam virga cujus una pars est arida, altera viridis et vivens, non est continua, sed viscoso humore

contiguantur ita ut sensus judicet revera esse continuas, sicut interdum glutino tam arcte et apte duæ assulæ committuntur ut sensus judicet illas esse continuas, et facilius sit frangere illas, quam ubi conglutinatæ sunt separare. Idem dicendum est de partibus animalium quarum una prius moritur quam alia, nam et tunc humores sunt qui retinent conjunctas partes, quæ revera continuæ non sunt. Eodem modo ait Soto arbor insita alteri non continuatur alteri arbori (nisi sint ejusdem speciei, tunc enim probabiliter putat continuari, hac enim arte inquit, ex musculis brachii hominis nasum abscissum supplent chirurgi), sed ramus conglutinatur trunco ut hic nodo quodam insolubili contineat ramum, eique alimenta subministret.

Tertia quæstio est: an licet plures formæ unam et eandem materiæ partem non possint informare, possit tamen una et eadem forma plures materias informare, de quo late Fonseca loc. cit. qu. 4. In qua re illud primo certum est, posse eandem formam successive informare diversas partes materiæ, continuatas tamen. Nam in nutritione hominis (et idem est in aliis animalibus perfectis si eorum animæ ponantur esse indivisibiles ut ponit. div. Thomas 1. p. qu. 76. art. 8.) successive informat anima materiam alimenti aggeneratam, et cum defluunt partes viventis, desinit informare aliquam partem materiæ. Solum ergo controversia est: an possit informare diversas materias non continuas. Certum est secundo, ut recte Fonseca loc. cit. sect. 3., Suarez 3. p. tomo 1. disp. 31. sect. 5. supernaturali Dei virtute fieri posse ut una forma plures materias informet easque non continuas. Imo id de facto accidisse in capite div. Dionysii probabile putat Fonseca. Ratio est, quia nulla est in hac re contradictio. Licet enim forma naturaliter determinata sit ad unicam materiam informandam, potest tamen elevari a Deo per potentiam obedientialem ad informandas plures materias, non minus quam materia ad recipiendas plures formas, et causa efficiens ad producendos effectus quos naturaliter producere non posset. Quomodo autem possibilis sit elevatio causæ materialis et formalis, ac proinde an detur potentia obedientialis subjectiva et informativa, disp. De potent. obedient. explicabimus, ubi etiam dicemus, quomodo ex eo quod habeat potentiam obedientialem forma ad informandas infinitas materias, et materia ad recipiendas infinitas formas, non sequatur eas esse infinitæ perfectionis.

Breviter ergo existimo cum Fonseca cit. sect. 2., naturaliter

fieri non posse ut una forma informet materias discontinuas, licet argumenta omnia quibus hanc rem probat Fonseca nihil probent, præter tertium quod non est omnino ineptum. Probatur. Nam eadem res non potest naturaliter esse in pluribus locis; at si una forma naturaliter informaret materias discontinuas esset in pluribus locis, illæ enim materiæ simul esse non possunt sicut nec quantitates illarum sine penetratione, nec forma informare potest naturaliter loquendo materiam destitutam quantitate. Deinde si forma v. gr. ligni potest informare duas numero materias: ergo agens naturale potest educere illam formam ex potentia utriusque materiæ: ergo si prius eduxisset ex potentia unius materiæ, quamvis corrupta fuisset in illa materia, adhuc posset educi ex potentia alterius materiæ, ac proinde id corruptum reproduci posset. Ratio a priori est. Nam duobus modis possumus intelligere naturaliter unam formam duas materias informare. Vel quia eadem forma educeretur ex potentia utriusque materiæ, ac proinde bis produceretur; at id naturaliter impossibile est ut 2. Phys. ostendam, quia non est finis naturalis secundæ productionis, postquam res producta est semel. Vel quia licet illa forma non educatur nisi ex potentia unius materiæ, unitur tamen postmodum alteri materiæ; at nec id. Nam propterea forma corruptibilis unitur materiæ, quia indiget illa tanquam causa materiali necessaria ad suum esse; at eo ipso quod forma est in una materia non eget alia causa materiali, siquidem in genere causæ materialis totaliter et sufficienter dependet ab una materia et cum illa constituit compositum. Imo nec potest naturaliter dependere res a pluribus causis ejusdem generis, si ab una totaliter dependet ut 2. Phys. ostendam. Ergo non est ullus finis naturalis propter quem uniatur forma secundæ materiæ. Præterea cum uniri non possit naturaliter forma materiæ nisi sit illi intime præsens, sequitur quod ab agente quod disponit secundam materiam ad recipiendam unionem cum forma jam ante unita alteri materiæ, transferretur localiter illa forma, et non relinqueret terminum a quo; imo per potentiam alterativam et non per loco motivam fieri talem motum. Et denique omnino superflue id fieri; agens enim quod producere potest dispositiones ultimas ad aliquam formam corruptam, potest illam producere, et ita non est cur formam jam antea productam transferat in aliam materiam. Dices: abscissa membra hominis aliquamdiu vivunt ut motus palpitationis etc. indicant: ergo tunc eadem anima duas materias informat. Respon-

det optime Fonseca sect. 6. ad 3. non vivere partes abscissas hominis; imo nec alimalium perfectorum. Motus enim illi a spiritibus in corpore remanentibus provenire possunt.

Cetera quæ de forma hoc loco disputari possint, ut: an omnis forma substantialis sit divisibilis; an possit intendi, remitti; an una forma substantialis contraria sit alteri etc., suis locis in lib. De gener. et De anima examinabimus. Illud solum videtur hoc loco explicandum superesse: an omnis forma sit nobilior materia. Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 3. art. 2. ad 1., Soncinas 7. Metaph. qu. 14., Iavellus qu. 4., Soto 1. Phys. qu. 6. dub. 6. absolute ajunt materiam primam omnibus formis substantialibus inferiorem esse; imo Molina 1. p. qu. 2. art. 3. in 2. ratione ait, omnium substantiarum esse imperfectissimam. Et quamvis verum sit, ut plurimum formas esse nobiliores materia, ut probant Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 5. art. 1. concl. 2. ex Aristotele 9. Metaph. text. 19., 1. Phys. text. 81. etc., cum enim formæ sint principia operationum, ex illis colligimus superare in perfectione entitativa materiam primam, universaliter tamen ostendi non potest omnes formas esse perfectiores materia, maxime cum sint quædam formæ, ut cadaverum, quæ nullam habent operationem ex qua major perfectio illarum colligi posset. Deinde materia est substantia, et non est ulla ratio cur negemus eam effective producere suas proprietates, sicut et reliquæ res, ac proinde cur quantitas etc. non producatur ab ea, sicut aliæ passiones a subjectis. Nam licet Pererius lib. 5. cap. 18. ratione 8. neget quantitatem produci a materia, nullam tamen hujus rei adfert rationem. Quamvis ergo materia sit pura potentia passiva respectu actus informativi, ac proinde ex se nullum includat actum informativum, cum tamen sit quædam substantia actualis, et essentia partialis, non apparet cur non possit suas passiones efficere. Unde in fine præcedentis disputationis diximus, probabile quidem esse materiam non esse activam effective, licet id certum non sit omnino.

QUAESTIO QUARTA.

Quid sit privatio et quomodo sit principium mutationis.

Privatio ut in Logica disp. 9. in Prædic. qu. 1. diximus aliud non est quam negatio formæ, seu carentia formæ in subjecto apto

tempore a natura determinato ut Aristoteles 5. Metaph. cap. 22. recte ait. Unde non solum negationem formæ includit, sed et subjectum, et ideo Aristoteles 10. Metaph. text. 15. ait privationem esse contradictionem quandam simul acceptam cum subjecto, et 4. Metaph. text. 4. negatio ait absentis est, in privatione vero et subjecta quædam natura est. Et hæc est propria acceptio privationis ut a negatione distinguitur, licet interdum laxius sumatur pro absentia cujusvis formæ, quomodo Aristoteles 5. Metaph. text. 27. dicit plantam oculis privatam. Imo interdum etiam forma positiva quæ imperfectior est opposita forma, dicitur privatio quomodo 2. Cœli text. 18. dicitur gravitas privatio levitatis, et 1. De generat. text. 18. frigus dicitur privatio ut etiam 12. Metaph. text. 22., de quo late Scaliger Exercit. 18. Ratio hujus est, quia ut ait Aristoteles 10. Metaph. text. 16. omnis forma contraria habet privationem sui contrarii. Cum autem dico, privationem esse negationem, per negationem non intelligimus actum intellectus negatis qui est secunda operatio intellectus, sed negationem objectivam, seu carentiam formæ, quam concipimus cum per secundam operationem judicamus hominem v. gr. non habere visionem. Difficultas ergo est, qua ratione talis privatio possit esse principium, non quidem compositi naturalis (nam ut disp. 1. qu. 3. dicto 3. ostendimus, sola materia et forma sunt principium compositi), sed mutationis substantialis.

Ratio difficultatis est *primo:* nam privatio est ens rationis, ac proinde solum habet esse per intellectum. At transmutatio substantialis esse potest, etiamsi nullus intellectus fingat ullum ens rationis. Ergo privatio non est principium necessarium ad mutationem. Major est Cajetani 1. p. qu. 15. art. 1., qui citat div. Thomam qu. 2. De veritate art. 1. dividentem ens rationis in relationem, negationem et privationem, quam divisionem etiam usurpat div. Thomas qu. 7. De poten. n. 11. Idem Soncinas 6. Metaph. qu. 18. lib. 10. qu. 15. qui fuse probat privationem esse ens rationis; idem Javellus 10. Metaph. qu. 10., Sotus 1. Phys. qu. 8. Et ratio est: nam cum intellectus apprehendit privationes, negationes et entia impossibilia, apprehendit per modum entis, siquidem ens est objectum intellectus, ac proinde quidquid apprehendit, per modum entis apprehendit. Ergo hujusmodi privationes etc. accipiunt ab intellectu rationem entis, ac proinde sunt entia rationis. Et confirmatur. Nam si nont sunt entia rationis, sunt entia realia, existentia a parte rei;

quod si ita est, revera sunt entia positiva realia et non privationes. *Secundo* sic argumentatur S. Justinus in lib. contra Aristotelem: si privatio est principium, quatuor erunt principia, siquidem duplex privatio datur, una ex parte materiæ, altera ex parte formæ. Sicut enim concipi non potest mutatio nisi materia concipiatur privata forma, ita nisi concipiatur forma privata materia etc. Ergo. *Tertio:* ex privatione ait Aristoteles 1. Phys. text. 75. fieri rem per accidens, et esse accidens materiæ, ut habet Aristoteles text. 66. Ergo.

Dico primo. Privatio formaliter sumpta est in rebus seclusa operatione intellectus, ac proinde licet formaliter loquendo non sit ens, non tamen est ens rationis. Ita Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 7. art. 1., Cajetanus 1. p. qu. 48. art. 2., Ferrariensis 3. Contra gent. cap. 19., div. Thomas qu. 1. De malo art. 1. ad 2. ubi negationem ait esse in rebus. Probatur. Nam homo cui erutus est oculus etiam nullo intellectu cogitante cæcus est; id autem quod est nullo intellectu cogitante, non est ens rationis: ergo. Confirmatur ex Mayrone Quodlib. 7. puncto 5. Nam si privatio (et eadem est ratio de negatione) est ens rationis: ergo ante opus intellectus non est, et ita homo non est cæcus ante opus intellectus. Respondet Soncinas illo 10. Metaph. et recentiores, privationem existere ante opus itellectus non formaliter, sed fundamentaliter, et ab hoc fundamento denominatur homo cæcus. Contra: nam privatio formaliter non est aliud quam carentia formæ in subjecto apto. Sed subjectum aptum, v. gr. homo ante operationem intellectus formaliter caret visu. Ergo formaliter habet privationem. Ergo privatio est formaliter ante opus intellectus. Et eodem modo ait Mayronis citatus, negationem a parte rei nullo intellectu cogitante convenire rebus, ut lapidi quod non sit homo, quia lapis quod non sit homo, non habet per entitatem aliquam superadditam lapidi, sed ex eo solum quod nil aliud habet quam entitatem per quam est lapis, et quia nullo intellectu cogitante lapis non habet aliam entitatem præter eam per quam constituitur lapis, ideo est non homo.

Dices 1-o. Si privationes et negationes sunt a parte rei: ergo sunt entia realia, ac proinde habent existentiam positivam. Respondeo negando consequentiam, siquidem negatio entis implicat ut sit ens. Sciendum ergo ut recte Cajetanus loco cit., dupliciter aliquid dici potest esse sine operatione intellectus. Primo positive, secundo negative et per modum carentiæ. Positive dicitur esse quod existit per aliquam existentiam realem ex vi alicujus causæ efficientis

productam, et quod hoc modo existit nullo intellectu cogitante, dicitur ens reale. Negative dicitur aliquid esse, seu remotive ait Cajetanus quia sine operatione intellectus removet aliquod prædicatum a subjecto, et hunc modum essendi habent privationes et negationes ante opus intellectus. Cum igitur ens reale, non negative sed positive aliquid ponendo in subjecto debeat esse ante intellectus operationem, privatio autem hunc modum essendi non habeat, clarum est non esse illam ens reale. Et licet non sit entitas realis, dicitur tamen privatio realis ut recte Pererius lib. 5 cap. ultimo ad 4. Cum enim additur privatio realis, solum significatur esse ante opus intellectus modo negativo et solum removendo aliquid positive a subjecto.

Dices 2. Inter ens reale et rationis non est medium: ergo. Respondeo: solum ens dividitur in reale et rationis; privatio autem formaliter loquendo est *non ens* ut ait Aristoteles 1. Phys. text. 75. et text. 79. privationem ait esse per se *non ens,* et 4. Phys. text. 67. vacuum et privationem vocat non ens; idem De generat. text. 11. Unde privatio cum sit nihil, non includet essentialiter subjectum, dicitur tamen connotare subjectum, quia intellectus privationem ut a negatione distinguitur non potest concipere nisi in subjecto apto, et ita etiam nomina significant negationem in subjecto.

Dices 3. Si privatio est non ens: ergo de quo prædicatur privatio, prædicatur non ens. At de quo prædicatur non ens, est non ens ex 1. Phys. text. 27.: ergo. Respondeo: de quo prædicatur non ens simpliciter, seu omne non ens, id nihil est. At vero de quo prædicatur tale non ens, ut non videns etc., non est necesse ut sit nihil, seu quod idem est, de quo prædicatur non ens in actu signato est nihil, non tamen de quo prædicatur aliquod non ens in particulari.

Dico secundo. Privatio licet non distinguatur realiter a subjecto, non tamen est eadem realitas cum subjecto. Ita Soncinas 10. Metaph. qu. 16., Javellus qu. 16., Zabarella lib. 1. De materia cap. 8. Primum patet. Nam distinctio realis debet esse inter res; at privatio formaliter est non ens ut ex Aristotele diximus. Et ratio est. Nam privatio id solum includit formaliter, quod addit supra subjectum absolute. At materiæ v. gr. ex eo quod sit privata nihil intelligitur addi nisi negatio formæ: Ergo privatio ut privatio est, solum dicit negationem, nec includit entitatem subjecti. Unde et ab Aristotele dicitur non ens, quod confirmatur. Nam privatio

et privatum diversa sunt, sicut concretum et abstractum ut ait Aristoteles in Logica cap. De oppositis et nos explicavimus in Logica disp. 1. in lib. Præd. qu. 4. dub. 2. Sed privatum nihil aliud includit quam subjectum aptum. Ergo privatio minus aliquid includet. — Secundum patet. Nam quod formaliter nihil est nec ponit aliquid in re, non potest esse illud quod formaliter ponit aliquid in re. Sed privatio formaliter est non ens, nihil positivum in re ponens, subjectum vero est res positiva: ergo. Quod vero Aristoteles innuit 1. Phys. text. 67. et 60. materiam et privationem esse idem numero, et esse idem, solum vult, esse idem numero in entitate quæ subjicitur mutationi, i. e. in positivo quod connotat privatio. Cum enim privatio dicat formaliter negationem, in subjecto tamen apto, hinc est quod non differat numero a subjecto in entitate positiva mutabili, differt tamen in suo esse negativo, eo modo quo carentia distinguitur ab ente positivo. Ex quo patet quid sit respondendum si quis argumentatur ex Aristotele 5. Metaph. text. 12. quæ sunt unum numero, sunt unum specie. Sed materia et privatio sunt unum numero: ergo.

Addo tamen, quod sicut privatio dicitur realis negative, ita dici posset distingui a materia realiter negative, cum addito scilicet diminuente, eo quod negative distingui sit unum non esse aliud, privatio autem formaliter non est entitas positiva subjecti: ergo distinguitur realiter negative. Addo præterea, privationes in eodem etiam subjecto distingui inter se ante opus intellectus, si removeant diversa positiva. Ratio est, nam in materia potest manere carentia formæ ignis, non remanente carentia formæ aquæ, et contra: ergo hæ privationes distinguntur eo modo quo privationes distingui possunt, idque ante opus intellectus, et ita div. Thomas 2. 2-æ. qu. 107. art. 2. ait privationes specie distingui, per formas specie distinctas, ut charitatem a sanctitate. Eodem modo probari potest, diversas numero privationes intra eandem speciem distingui in ordine ad diversas numero formas.

Dico tertio. Privatio formæ introducendæ, est principium non formæ quæ debet produci vel compositi naturalis, sed mutationis naturalis. Dixi *formæ introducendæ*, nam ut disp. 1. qu. 4. dicto 1. ostendimus, ad mutationem sicut non est necessaria forma positiva præexistens in materia ut patet in illuminatione aëris etc., ita nec privatio formæ præexistentis. Dixi *non esse principium formæ vel compositi,* nam ut eadem disput qu. 3. dicto 3. ostendi duo tantum

sunt principia compositi naturalis, quia hoc non componitur nisi ex materia et forma. Quod vero non sit principium formæ productæ patet, nam opponitur illi, et forma producta destruit privationem: ergo non est principium illius. Ultima denique pars conclusionis ex disp. 1. qu. 3. probata manet. Nam omnis mutatio necessario dicit transitum unius ab uno termino ad alium: ergo includit et subjectum quod transit, et terminum ad quem transit, et præterea terminum a quo transit: ergo hæc tria per essentiam conjuncta sunt mutationi. At terminus a quo necessarius ad omnem mutationem non est aliquid positivum ut illa disp. 1. qu. 4. ostendi: ergo privatio. Ex quo constat non eodem modo esse principia compositi materiam et formam, quo sunt principia mutationis materia, forma et privatio. Materia enim et forma sunt principia tanquam intrinsece componentia totum. At vero tria hæc non sunt partes componentes generationem. Nam materia non est de intrinseco conceptu generationis, sicut nec mobile est de essentia motus, sed tantum est subjectum illius; idem est de terminis. Sunt ergo hæc principia mutationis quia intrinsece requisita sunt ad illam sicut terminus ad relationem, ita ut sine illis concipi non possit mutatio, ut illa qu. 3. dicto 2. ostendimus, ubi etiam explicatum est, cur causæ efficiens et finalis non sint principia mutationis.

Dices: privatio vel est principium generationis in instanti generationis, et hoc non, quia tunc jam non est privatio, cum existat forma; vel ante instans, et hoc etiam non, quia nondum erat generatio: ergo. — Respondeo ut illa qu. 3. dicto 2. in fine dixi. Privationem præexistentem in subjecto et durantem usque ad adventum formæ esse principium generationis in illo instanti in quo est generatio, in quo instanti primum incipit non esse privatio, ac proinde tunc est principium generationis cum jam corrupta est. Aliter respondent Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 8. art. 2. ad 3. ubi admittunt in eodem instanti temporis esse privationem et formam in materia.

Ad rationes difficultatis. Ad primum respondeo ut etiam illa qu. 3. dixi, privationem non esse quidem ens reale, nec id necessarium esse ad hoc ut sit principium mutationis realis. Nec tamen esse ens rationis quod sola operatione intellectus existat ut dicto 1. ostendimus.[1] Ad rationem in contrarium respondeo: cum dicitur

[1] Vasquez 1. p. tom. 2. disp. 115. n. 6. concedit esse entia rationis privationes et negationes, ob dictam rationem.

intellectus cognoscere non entia per modum entis, non est sensus quod intellectus concipiendo negationes, nihilum etc. concipiat illa tanquam entia, ut v. gr. concipere volens nihilum concipiat hominem, revera enim sic non nihilum, sed aliquid reale concipit. Id ergo exponunt Iavellus 10. Metaph. qu. 10., Soncinas qu. 16. ut perinde sit ac si diceretur non entia cognosci per species entium. Verum cum species sint signa naturalia rerum a quibus producuntur, non poterit per speciem entis repræsentari nisi ens aliquod quod semel repræsentabatur, sicut intellectio non potest nunc unam, et postea aliam rem repræsentare, ut in Logica disp. de Aequivocis diximus. Et propter hoc Mayronis Quodlib. 7. puncto 16. vult, purum nihil ab intellectu non cognosci. Sed quidquid sit de hoc, cum dicitur intellectus non entia cognoscere per modum entis, sensus est: non cognoscere illa per se primo, sed necessario prius concipere aliquid positivum, ut si vult concipere nihil, prius debet concipere ens per speciem entis, cujus negatio est nihil. Postquam ergo cognovit ens, cognoscit non ens. An vero intellectus cognoscat non ens, per speciem quam ipse intellectus fabricatur excitatus per cognitionem entis, vel quo alio modo, in lib. De anima dicitur. Illud sufficiat, propterea solum dici quod intellectus cognoscat non entia per modum entis, quia non potest cognoscere non ens per se primo, nisi prius cognoverit ens. Ex quo non sequitur ullam entitatem tribui non enti ab intellectu, solum enim extrinseca denominatio advenit non enti ex eo quod cognoscitur. Nec verum est privationem, nihilum etc. habere solum esse objectivum in intellectu. Nam ut dixi, homo cæcus etiamsi nullum esse objectivum habeat, revera habet privationem, et similiter mundus antequam esset conditus nihil erat.

Ad secundum. Sicut disp. 2. qu. 6. de appetitu dixi, privationem non reperiri nisi in subjecto existente, proinde cum forma non existat ante generationem nec habet privationem informationis quæ necessaria sit ad generationem. Deinde etiamsi haberet talem privationem aliqua forma, ut anima rationalis respectu informationis quam per resurrectionem acquiret, non tamen reperitur talis privatio in omni mutatione, nec est necessaria ad omnem mutationem, hic vero solum agimus de principiis necessariis ad omnem mutationem naturalem.

Ad tertium jam respondimus supra disput. 1. qu. 3. in fine dicti 2.

Disputatio IV.

DE CORPORE NATURALI SEU COMPOSITO NATURALI.

Egimus de principiis tam mutationis quam etiam compositi naturalis, nunc de ipso naturali composito seu corpore naturali, quod ex his principiis componitur superest agendum. Sit igitur

QUAESTIO PRIMA.

Quid sit corpus naturale et an habeat partes ex quibus componatur, ubi an forma sit tota essentia compositi naturalis, vel potius ex illa et materia fiat unum per se.

Corpus naturale est quod constat natura, seu quod in se habet naturam ut ait Aristoteles 2. Phys. initio. Natura vero est primum principium radicale motus et quietis, quod principium cum sit radicale, necessario est substantia, accidens enim non potest esse prima radix activa, vel receptiva motus. Unde substantia corporea seu corpus naturale dicitur substantia composita, constans ex radicali et substantiali principio motus, et quod per quantitatem petit extendi secundum trinam dimensionem. Corpus enim ut supra diximus debet esse substantia cui quantitas sit connaturalis, ita ut per illam extendatur saltem ratione unius partis. Dari autem tale corpus clarum est. Nam sensu percipimus dari corpus quantum vestitum accidentibus, per intellectum vero cognoscimus in eo aliquid esse quod per se subsistat et non inhæreat alteri tanquam accidens, imo potius sustentet et recipiat accidentia. Nisi enim detur tale subjectum dabitur infinitus processus in causa subjectiva seu materiali, siquidem quodlibet ens in alio recipitur. De hoc ergo corpore naturali quærimus an componatur ex partibus substantialibus. Cum enim substantia sit, ex non substantia seu ex accidente componi non potest ut disp. 3. qu. 1. in primæ sententiæ explicatione ostendimus; neque enim ens per se subsistens, ex iis quæ alteri inhærent tanquam essentialibus componi potest. Nec disputamus: an componatur metaphysice ex gradu generico et differentiali; certum enim est, talem

compositionem habere ea omnia quæ in prædicamentis collocantur, de qua compositione late egimus in Logica disp. 2. De univ. qu. 2. dub. 6. et 7. Solum ergo controversia est an componetur ex partibus physicis substantialibus. Cum autem compositio physica sit duplex ut supra disp. 1. qu. 2. explicavimus, ex partibus scilicet integrantibus, vel ex partibus essentialibus, de utraque compositione potest esse controversia.

Dico primo: corpus naturale componitur ex pluribus partibus substantialibus, integrantibus unam substantiam, quæ partes inter se per quantitatem distant et extenduntur. Hæc conclusio est contra illos qui in Logica citati sunt disp. De quantitate qu. 1. in 4. sententia dicentes, res corporeas ex se nullas habere partes, sed a quantitate recipere, quod præter ibi citatos sentit Ferrariensis 1. Phys. qu. 4., Zimara Theorem. 98., Bannez 1. De gener. cap. 4. qu. 8. art. 2. in fine. Nostra tamen conclusio est auctorum quos loco cit. dicto 4. citavimus, quibus adde Fonsecam 5. Metaph. cap. 13. qu. 2. sect. 3. ad 3. ubi hoc egregie probat, et probatum est a nobis late illo loco citato.[1]

Et breviter probatur. Nam abscissa qualibet parte corporis naturalis abscinditur aliqua pars materiæ, et illa pars quæ abscissa est non est eadem realiter cum parte a qua abscissa est, cum hæc possit corrumpi et desinere esse, abscissa parte non corrupta. Nec dici potest per quantitatem distingui unam partem ab alia. Nam unitas et distinctio est passio entis actualis, ita ut quælibet entitas seipsa sit una, et seipsa sit distincta a qualibet alia entitate, et non per aliquid distinctum a se realiter: ergo pars materiæ quæ recipit hanc partem quantitatis, seipsa distinguitur ab illa parte materiæ quæ recipit aliam partem. Ex hoc tamen male aliqui recentiores inferunt ut notant Conimbricenses 1. Phys. qu. 2. art. 1. substantiam corpoream esse extensam propria extensione et non per solam quantitatem ut disp. De quant. qu. 1. ostendi. Ut enim in Logica loco cit. ostendimus, nec extensio in ordine ad locum, nec extensio in ordine ad se convenit substantiæ nisi per quantitatem; revera enim si hæc habeantur sine quantitate, superflua est quantitas. Confirmatur. Nam quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura. Sed substantia corporea extendi potest per quantitatem nec ulla alia extensio substantialis est

[1] Male ergo Durandus 2. dist. 30. qu. 4. ait, materia secundum se partes et partes non habet.

necessaria, sed sufficit dari plures partes in substantia quæ recipere possint quantitatem per quam formaliter extendantur.

Dico secundo. Præter partes integrantes, corpus naturale componitur ex duplici parte essentiali realiter distincta, scilicet materia et forma. Est Aristotelis 1. Phys. text. 67. etc. Probatur eo modo quo disp. 1. qu. 1. ostendimus dari principia corporis naturalis. Nam in homine sunt aliqua accidentia corporea: ergo est aliqua pars substantialis divisibilis in qua recipiuntur talia accidentia. Sunt præterea operationes quædam quæ oriri non possunt ex principio corporeo, ut intellectio universalium, substantiarum separatarum etc., hæc enim a principio corporeo non nascuntur ut patet in animalibus brutis: ergo est in homine substantia spiritualis quæ sit principium talium operationum, ac proinde homo componitur ex duabus partibus. Ex quo sequitur in qualibet alia substantia completa debere admitti hujusmodi partes substantiales ut illa qu. 1. deduxi.

Dico tertio. Materia est pars essentialis corporis naturalis, ac proinde non sola forma est essentia illius.[1] Ita Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 5. art. 2. et ab iis relati div. Augustinus, div. Thomas, Scotus, Durandus etc. Pererius vero lib. 6. cap. 7. licet dicat totam essentiam corporis naturalis esse formam, tamen in fine cap. 8. ait in hac re non esse nisi quæstionem de nomine. Nemo enim negat materiam spectare ad integritatem substantiæ ut naturæ compositi, sed qui ajunt essentiam rei esse solam formam, nomen essentiæ et quidditatis sumunt pro ea tantum parte compositi naturalis, quæ actuat determinatque materiam ad hanc speciem, et distinguit unam speciem ab alia. Est etiam Aristotelis qui 8. Metaph. text. 15. et 16. ex eo ait quidditatem compositi esse per se unam, quia constat ex actu et potentia, materia scil. et forma, et 7. Metaph. text. 36. animam ait non esse animal etc.

Probatur primo. Si tota essentia compositi v. gr. hominis est sola anima, sequitur solam animam esse hominem. At id falsum est, nam sic homo esset spiritualis, immortalis etc. cum tota ejus essentia sit spiritualis. Secundo. Compositum naturale essentialiter est aliqua substantia completa: ergo ad essentiam illius spectat id totum quod est necessarium intrinsece ad hoc ut sit completa sub-

[1] Ita Suarez disp. 36. Metaph. sect. 2. n. 3. ibique plures citati. Augustinus 19. De civit. cap. 9., Damascenus 3. De fide cap. 3. homo ait nec est anima sola, nec solum corpus, sed compositum ex utroque.

stantia. Sed tale est materia, siquidem forma de se est aliquid incompletum ut patet in anima rationali. Propterea enim anima rationalis potest informare materiam, angeli autem non possunt, quia angelus est aliquid completum, anima vero rationalis est incompleta et de se partialis substantia.

Ratio a priori est, nam essentia nihil aliud est, quam id quod est principium operationum et proprietatum, ut optime Suarez Tomo 1. disp. 11. sect. 2. dicto 3. et ostendimus ex div. Thoma in Logica disp. 2. De univ. qu. 2. dub. 6. ad 4. Ex quo sequitur, illud totum pertinere ad essentiam quod per se requiritur ad constituendum principium operationum; at materia per se requisita est ad operationes corporis naturalis, quod probatur. Nam formæ materiales pendent in esse a materia: ergo et in operari. Præterea quia si hæ formæ haberent operationem a materia independentem, essent separabiles; demum non alia de causa requiritur extensio ad operationes harum formarum nisi quia requiritur materia cui debetur extensio. De anima vero rationali docet div. Thomas 1. p. qu. 75. art. 4. pendere illam in corpore a materia, nec uniretur corpori nisi cum illo simul constituere posset principium aliquarum operationum quas per se non possit exercere. Auctores qui contra nos videntur sentire, exponendi sunt eo modo quo exponit Pererius, ut scilicet forma sit quæ determinat materiam ad hanc speciem etc.

Verum enim vero Durandus 4. dist. 44. qu. 1. existimat quidem nobiscum, materiam spectare ad essentiam rei cujusque, tamen ad essentiam v. gr. Socratis non magis pertinere hanc quam illam materiam, atque ita quamvis ait materia sit diversa, dummodo forma sit eadem semper erit idem Socrates. Nisi enim hoc dicamus inquit sequitur nec toto tempore augmentationis manere eundem numero hominem, cum plurimæ partes materiæ acquirantur, nec in resurrectione eundem resurgere, siquidem et infantibus major pars materiæ addi debet, quam sit illa quæ fuit in illis viventibus. Præterea cum eadem portio materiæ fuerit multorum hominum successive, in uno tantum ea esse poterit, non in pluribus. Rectius tamen sentiunt Conimbricenses citati, compositum physicum singulare includere tanquam partem essentialem materiam singularem. Sicut enim corpus naturale in communi includit materiam in communi, ita corpus naturale singulare, materiam singularem. Illud tamen verum est, ad hoc ut dicatur idem vivens, non esse neces-

sarium ut maneat semper eadem pars materiæ pertinens ad ipsius essentiam, sed sufficit si continuatione sit eadem ut fit in nutritione. In resurrectione autem quid futurum sit, late prosequitur Suarez 3. p. Tomo 2. disp. 44. sect. 2. ad argumentum Durandi. Ait enim sine miraculo fieri non posse ut duo homines toto vitæ decursu eandem materiam habeant. Unde semper ait restitui cuique homini illam partem materiæ quæ fuit propria illi, et non communis alteri homini. Si in aliquibus partibus materiæ communicent et non sufficiat ad utriusque corpus integre formandum, tunc vel dabitur ei qui prius habuit ut vult div. Thomas, vel ut Suarez ei cui ad bene agendum magis est cooperata, alteri vero supplebitur aliunde pars materiæ, quod non est contra rationem resurrectionis, quia etiam tunc resurget idem vivens quod ceciderat. Quod si aliquis homo nullam habeat materiam quæ alterius non fuerit semper tamen majori ex parte suum proprium corpus quod habuit recipiet. Pueris vero quod deest ad justam magnitudinem, Deus ex alia materia supplebit, nec id est contra rationem resurrectionis ut diximus.[1]

Dico quarto. Ex materia et forma substantiali fit unum compositum per se, ut late div. Thomas 1. p. qu. 76. art. 7., Durandus 2. dist. 12. qu. 2., Soncinas 8. Metaph. qu. 28., Javellus qu. 7., Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 11. art. 2., et docet sæpe Aristoteles ut 2. De anima text. 7., 8. Metaph. text. 15. etc. Quod ut intelligatur sciendum est, variis modis aliqua dici unum, ab unitate quæ varia est ac multiplex. Prima enim unitas dicitur aggregationis seu ordinis, a qua dicitur unum per aggregationem unus lapidum cumulus, unus exercitus etc. Secunda dicitur unitas per accidens, quomodo ex accidenti et substantia cui inhæret tale accidens, dicitur fieri unum per accidens. Tertia est unitas per se in rebus compositis (omitto enim unitatem simplicem quæ rebus etiam nullo modo compositis convenit), quæ provenit ex eo quod plures partes inter se unitæ faciant unam speciem completam in suo genere. Unde unum per se dicitur constitui ex iis rebus, quarum

[1] An vero eadem numero unio reparetur in resurrectione ut vult Suarez in fine illius sectionis, dubium est. Ego verius puto non esse eandem numero unionem, nec ad identitatem resurrectionis id necessarium est ut ibi Suarez ex div. Thoma ostendit. Ratio est, nam ut ipse Suarez sect. 5. ait, materia per potentiam naturalem concurrit ad talem unionem in resurrectione recipiendam, et ideo solum dicitur supernaturalis resurrectio, quia est ultra debitum naturale, sicut in inspirationibus accidere ait. At si eadem numero unio reproducatur revera per potentiam obedientialem concurreret, cum non detur naturalis potentia ad idem numero compositum recipiendum.

unum adveniens alteri, constituit simul cum illo speciem aliquam sub uno aliquo genere.

Jam ergo probatur conclusio. Nam materia et forma substantialis unita inter se constituunt unum compositum substantiale, completum et in certa specie sub genere substantia constitutum, ut v. gr. in specie humana etc.: ergo. Unde recte Aristoteles dixit illo 8. Metaph. cit. cur ex materia et forma fiat unum specie non esse quærendam aliam rationem, quam quod unum sit potentia, alterum actus, ac proinde incompleta entia, et quæ uniri inter se possint ad constituendam unam completam essentiam, et ideo ait ille 2. De anima, sicut cera ideo figurari potest quia est capax figuræ per mollitiem, ita quia materia est capax formæ, cum illa constituere potest unum non quidem per accidens, quale constituitur ex cera et figura, sed per se. Cur autem ex accidenti et subjecto non fiat unum per se sicut fit ex materia et forma, explicare conantur Conimbricenses citati art. 4. ad 2. sed revera petunt principium. Assignavimus nos rationem supra disp. 1. qu. 1. in fine cum fundamentum Melissi dissolveremus.

QUAESTIO SECUNDA.

An materia et forma ad hoc ut efficiant unum compositum, debeant uniri per unionem distinctam ab utroque extremo, ubi quid sit haec unio.

Prima sententia est Conimbricensium 1. Phys. cap. 9. qu. 11. art. 2. ubi ajunt nullam dari causam internam mediam inter materiam et formam, per quam constituant unum, sicut in linea dantur puncta copulantia duas partes lineæ, sed ingenita inquiunt propensione absque alio medio in unum conspirant, et citant pro se div. Thomam, Scotum, Averroëm. Idem docet Gregorius 1. dist. 28. qu. 2. concl. 3. §. Præterea idem probo, Durandus 1. dist. 34. qu. 1., Soncinas 5. Metaph. qu. 31. ad 3., licet qu. 5. sub dubio reliquerit an unio sit tertia entitas distincta a materia et forma, vel non, Cajetanus etiam 1. p. qu. 76. art. 1. ait non oportere quærere aliud glutinum præter animam et corpus quo copulentur. Idem Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 13. sect. 2. Et eodem modo Gregorius loco cit. ad 15. et Fonseca 5. Metaph. cap. 6. qu. 6. sect. 2. §.

Quod ut luculentius pateat, ajunt quantitatis inhærentiam non esse aliquid distinctum a quantitate etc.

Probatur *primo:* Nam intelligi potest unum esse unitum alteri sine ulla entitate adveniente, sed seipsa: ergo. Antecedens probat Gregorius illa conclusione 3., nam si datur talis unio: ergo illa unita est materiæ. Vel ergo per aliam unionem, et sic dabitur processus infinitus; vel per se ipsam, et ita sicut uniri potest materia illi unioni per se ipsam, ita poterit et formæ substantiali cum qua efficit unum per se. Idem antecedens probat in responsione ad 17., nam Verbum divinum est unitum humanitati Christi sine ulla unione intrinseca, superaddita Verbo: ergo etiam forma uniri poterit materiæ sine ullo alio superaddito. *Secundo:* illa unio, si quæ est, non potest esse accidens, quia includitur in conceptu substantiæ compositæ; nec substantia, quia omnis substantia est vel materia, vel forma, vel compositum ut habet Aristoteles frequenter: ergo. *Tertio.* Unio formæ cum materia aliud non est quam ipsa formæ informatio; at informatio includit entitatem formæ, siquidem forma per suam entitatem informat: ergo. Similiter unio materiæ cum forma aliud non est quam receptio formæ; at materia seipsa recipit formam: ergo seipsa unitur formæ. Confirmatur, nam si daretur talis unio, vel esset una et eadem unio formæ cum materia, et materiæ cum forma, vel diversa. Si eadem, præterquam quod sequitur eundem modum numero modificare duo subjecta distincta, ac proinde (cum non modificet nisi quia existit in illis) esse in diversis subjectis; sequitur etiam informationem formæ et subjectationem materiæ esse idem, siquidem unio formæ cum materia est informatio, unio vero materiæ cum forma subjectatio. Si diversa: ergo illæ ipsæ uniones egent alia unione ut uniantur, et sic in infinitum: ergo. *Quarto* et efficacius. Si enim datur unica unio per quam anima rationalis corpori unitur, vel illa est spiritualis, vel corporea. Si corporea: ergo non potest esse modus rei spiritualis scilicet animæ; si spiritualis, multo plura sunt admittenda absurda ut dicemus infra: ergo.

Dico primo. Materia et forma ad hoc ut constituant unum compositum substantiale, necesse est ut uniantur inter se unione ex natura rei distincta ab utraque. Hæc sententia est Suaresii 3. p. tom. 1. disp. 8. sect. 8. dicto 3. ubi ait in resurrectione produci modum substantialem, quod etiam docet Valentia tomo 4. fol. 2298. ubi etiam ex natura rei distingui ait hunc modum ab

anima et corpore. Et idem Suarez in tom. 3. disp. 9. sect. 1. §. Quocirca adhiberi potest, ait, per unam actionem creativam produci animam rationalem, per aliam vero actionem causæ naturalis produci unionem ipsius cum materia; et ibidem disp. 53. sect. 5. §. Dici autem posset, ait totum non dicere tantum suas partes, sed præterea unionem earum, ac proinde ad cognitionem totius non sufficere cognitionem partium, sed præterea requiri cognitionem unionis etc. Idem Molina 1. p. q. 3. art. 4. disp. 2. §. Idem proportione quadam, ubi ait animam div. Petri nunc carere modo reali quo uniebatur corpori. Idem Occam in 2. qu. 2. lit. h., ubi concedit unionem materiæ et formæ, accidentis et subjecti esse distinctam ab extremis, et posse Deum separare accidens a subjecto, ita ut eodem loco remanerent; idem habet lib. 3. qu. 1. lit. d., quamvis addat unionem esse relationem.

Prima pars conclusionis, quod scilicet detur aliqua unio distincta aliqua ratione a materia et forma, probatur primo argumento Occami, quo etiam utitur Suarez tom. 3. disp. 51. sect. 2. dicto 1. Nam ut materia et forma non tantum sint in eodem loco, sed præterea faciant unum substantiale compositum, egent aliquo distincto a materia et a forma. Hoc non est nisi unio per quam uniuntur: ergo. Major probatur. Nam si nihil præterea requiritur: ergo eo ipso quod materia et forma essent simul, constituerent unum compositum, et eadem ratione Verbum et humanitas unum suppositum, quod omnino falsum est. Nam posset Deus facere ut duo homines se penetrarent, tunc autem anima unius non informaret materiam alterius, licet illi intime præsens esset, sicut anima Christi non informavit murum, cum ostio clauso ad discipulos est ingressus etc.[1] Similiter si aqua et ignis se penetrarent, forma aquæ non expelleret formam ignis eo quod non informaret materiam ignis, licet illi esset intime præsens. Deinde sequitur quod non posset Deus facere ut anima interfecti hominis remaneret in eodem loco in quo est ejus cadaver; imo nec anima alterius hominis posset intime præsens esse cadaveri. Si enim eo ipso formaliter informat et animat corpus quod seipsa sit illi præsens, clarum est, nec accidentium defectum nec ullam aliam rem posse esse impedimento quominus

[1] Suarez disp. 13. sect. 8. n. 9. probat unionem distinctam esse ab intima praesentia. Nam anima per creationem fit intime praesens corpori, non tamen unita; et quaelibet forma potest intime praesens esse materiae, eam tamen non informare, postea vero potest esse unita illi. Ergo cum ut ipse ibi sect. 9. n. 12. dicit, nisi extrema aliquid aliud habeant quod non habebant cum essent sejuncta, non poterunt postea magis esse unita quam ante.

suum effectum formalem communicet subjecto. Quod multo etiam magis urget, si verum sit id quod concedunt Conimbricenses 1. Phys: cap. 9. qu. 11. sect. 4. ad 1. cum Argentina, Scoto, Bassolo ibi citatis, posse divina virtute effici ut forma informet nudam materiam, nulla accidentia habentem. Et saltem certum est posse divina virtute fieri ut anima informet corpus quod nulla ratione posset naturaliter informare ut carens organis v. gr. capite, ut accidisse in div. Dionysio supra dicebat Fonseca.

Et similiter accidens potest esse intime præsens substantiæ, eam tamen non informare, ut quantitas in Eucharistia corpori Christi. His inquam positis, sic argumentor. Ad hoc ut talem materiam non sufficienter dispositam informet aliqua forma virtute divina, aliud non requitur quam intima præsentia formæ cum materia secundum adversarios, siquidem ad informationem ajunt aliam entitatem non requiri. At anima separata est intime præsens v. gr. materiæ aëris, per quem transit cum ad coelum deducitur: ergo informat illam materiam, imo coeli materiam si quæ est informabit. — Confirmatur. Nam si nihil aliud requiritur ad hoc ut forma informet materiam, nişi intima præsentia illorum; ergo eodem modo ad hoc ut accidens inhæreat subjecto nil aliud requiritur quam intima præsentia illius cum substantia, et ita quantitas specierum sacramentalium corpori Christi inhærebit, cum tamen de fide sit eam esse sine subjecto. Et accidentia materiæ inhærebunt animæ rationali sicut intellectio etc. materiæ cum ei sint intime præsentes. Cum ergo manentibus partibus intime sibi præsentibus fieri potest ut non sint unitæ, nec constituant unum compositum, aliquid addi debet necessarium ad hoc ut constituant compositum.

Dices: ex hoc solum sequitur per intellectum, diversas formalitates distinguentem in eadem re, distingui unionem a materia et forma, et ita quamvis maneat materia et forma eadem realiter, tamen potest nunc habere unam rationem formalem, postea illa destitui. Contra est, nam non potest ab intellectu tribui nova formalitas rei, quæ ante tribui non poterat nisi facta mutatione ex parte rei: ergo in partibus concipi non potest formalitas unionis, nisi eæ mutentur per mutationem per quam aliter se habeant inter se quam ante, etiam nullo intellectu cogitante, ac proinde addi debet aliquid partibus. Neque enim hic dici potest ut in relationibus, ex sola mutatione alicujus extrinseci incipere esse unita quæ antea non erant unita, tum quia ut ostendemus hæc unio non est

relatio; tum quia nulla facta variatione in ullo extrinseco potest Deus mortui hominis animam eodem loco conservare in quo fuerat cum informaret corpus, et tamen tunc jam non informaret. Nec potest explicari qualis et cujus rei extrinsecæ debeat esse mutatio ad hoc ut anima præsens corpori dicatur illud informare, si ad informationem nil aliud requiratur. — Confirmatur primo. Diverso modo se habent anima et materia cum illa hanc informat, quam si non informat, et diversa prædicata contradictoria prædicantur de illa si informat, quam si non informat, licet sit intime præsens. Ergo debet aliquid produci quæ sit ratio variationis prædicatorum. Secundo: moto corpore, anima transfertur cum illo. At sola indistantia rei spiritualis cum corpore non potest esse ratio et vinculum, ut ex locali motu corporis, etiam res spiritualis moveatur cum illa. Ergo unio.

Probatur secundo. Actio nova, diversa ab aliis actionibus, habet terminum per illam productum diversum. Sed generatio per quam fit homo est actio distincta a productione animæ et materiæ, quæ a solo Deo per creationem producuntur, cum generatio hominis fiat a causa secunda, homo enim vere generat hominem et de fide est B. Virginem genuisse Christum Dominum: ergo hæc actio, quæ est generatio, habet terminum diversum ab iis; at non nisi unionem. Ergo. Major probatur. Nam omnis actio habere debet terminum qui fiat per ipsam, siquidem ut 2. Phys. dicitur, actio non est aliud quam fieri termini, seu per quem formaliter terminus fit. Et ex alia parte, eadem numero res naturaliter non potest bis produci, duplici actione ut ibidem ostendemus. Ergo quot sunt actiones diversæ, tot sunt termini diversi naturaliter loquendo. — Respondent Conimbricenses citati art. 3. In hominis generatione nullam causam secundam habere actionem substantialem, sed solum disponere materiam per accidentales dispositiones quas variis actionibus introducit, et Deus ipse unit animam materiæ, eadem actione qua creat animam.[1]

Contra est tamen. Nam in primis negari non potest hominem generare sibi similem in natura, sicut omne animal generat sibi simile ut Aristoteles et Scriptura frequenter docent. Quo posito sic argumentor. Generatio est mutatio ad substantiam, ac proinde ter-

[1] Alii vero apud Suarez 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 5. sub fine ajunt, sine ulla actione agentis extrinsece animam eo ipso quod est intime praesens materiae eam complecti se ipsa et sibi unire.

minus per illum productus est aliqua ratio substantialis: ergo homo generans hominem debet producere aliquid substantiale ad ipsius hominis constitutionem spectans. Hoc autem non est materia, nec forma, ut patet: ergo unio substantialis illorum, ita ut terminus productus per actionem generativam sit talis unio. Antecedens patet. Tum ex Aristotele qui ubique distinguit generationem ab alteratione, quod hæc sit ad qualitates, illa ad substantiam, et tamen si homo solum disponit materiam producendo qualitates, revera tantum alterat materiam et nullam præterea actionem exercet, ac proinde revera non generat hominem. Tum quia potentia generativa est distincta a potentia alterativa: ergo habet actionem et effectum distinctum a potentia alterativa. Deinde ex hac responsione Conimbricensium sequitur clare quemlibet hominem per creationem a Deo solo produci, nam productio substantialis hominis, aliud non requirit quam productionem materiæ et formæ in eodem loco. At per creationem Deus producit animam in eo loco ubi est materia. Ergo per creationem producitur homo a solo Deo. Demum accidentium productio nulla ratione dici potest generatio, nam tunc primum est generatio cum non est jam accidentium productio et dispositio materiæ, siquidem solo tempore quo disponitur materia non est generatio substantialis, sed tunc demum cum introducti sunt omnes gradus accidentium necessarii ad hoc ut materia sit sufficienter disposita. Illi autem gradus in tempore introducuntur ac proinde tunc primum est perfecte disposita materia, cum primum non est alteratio productiva illarum dispositionum ut disp. De tempore qu. 4. dicto 6. dicemus, et tunc primum fit generatio substantialis, ac proinde in instanti quo jam non est alteratio necessaria ad ultimo disponendum subjectum.

Respondent alii: terminum generationis esse totum hominem, qui diversus est a materia et forma. Contra est, nam totum compositum non est aliqua entitas distincta a partibus unitis ut infra ostendemus. Ergo solum dici potest totum compositum produci, quia tota entitas quam includit compositum in sua constitutione substantiali producitur, vel certe quia saltem aliquid inclusum in composito producitur. At totam entitatem non produci certum est, materia enim et forma hominis non producitur ab homine: ergo. Solum potest totum compositum esse terminus generationis quia aliquid inclusum in composito producatur per illam, hoc autem in homine non potest esse aliud quam unio: ergo. Idem argumentum

fit in resurrectione. Nam quando Christus vel Apostoli mortuos resuscitarunt, aliquid substantiale productum est, siquidem resurrectio est actio substantialis et non motus localis quo anima corpori fit præsens, nam ita etiam dæmones possent resuscitare.

Denique hæc sententia probatur ex communi Patrum doctrina, quia admittunt unionem aliquam per quam anima corpori uniatur, quam Augustinus lib. De duabus anim. cap. 15. vocat colligationem, 22. De civit. cap. 4. vinculum et ligamen. Idem Damascenus 2. De fide cap. 12. et alii. Imo in hujus unionis productione aut corruptione consistere productionem et corruptionem hominis docet Justinus Martyr in Expos. fidei de Trinitate circa medium, ubi licet ait homo constet anima et corpore, non tamen idem est cum eis, sed diversum, quia constat ex copula corporis cum anima, estque tertium quiddam aliud, et addit, hominem perire per mortem, licet et anima et corpus remaneat, quia homo constabat ex conjunctione utriusque. Idem docet div. Dionysius cap. 2. De cœl. hierarchia.

Secunda pars conclusionis, quod scilicet ex natura rei distinguatur hæc unio a partibus unitis, probatur. Nam potest corrumpi hæc unio, non corruptis partibus unitis, ut in homine patet. At quoties duo ita se habent, ut unum desinat esse in rerum natura, idque non propter desitionem alicujus extrinseci, distinguuntur illa ex natura rei inter se, ut late probavimus disp. 2. De univ. qu. 2. dub. 4. Proinde et Aristoteles 7. Top. loco 3. ait, ea quæ sunt eadem, habere productionem et corruptionem eandem: ergo. Deinde producitur unio realiter in resurrectione, et etiam in ipsa hominis generatione diversa actione producitur ab ea per quam forma creatur a Deo: ergo. Ad hæc infra ostendemus unica unione conjungi materiam et formam inter se: ergo illa unio non potest esse idem realiter cum utraque parte, siquidem partes sunt realiter inter se distinctæ, et tamen si essent idem realiter uni tertio, essent etiam idem realiter inter se: ergo.

Dico secundo. Hæc unio non est relatio, sed modus absolutus et substantialis partium unitarum, sicut unio accidentis cum subjecto est modus accidentalis. Hæc conclusio est contra Javellum 7. Metaph. qu. 20., Soncinatem qu. 19. et qu. ult., qui hanc unionem videntur velle esse relationem. Et idem videntur velle qui apud Suaresium tom. 1. disp. 8. sect. 2. in 4. sententia docent in simili, unionem humanitatis cum Verbo esse relationem, quam-

quam hi auctores per relationem intelligant non prædicamentalem, sed relationem secundum dici ut recte Suarez loc. cit. et tom. 3. disp. 57. sect. 2. dicto 1. Nostra igitur conclusio, quod scil. ista unio non sit relatio prædicamentalis et accidentalis placet Suaresio citato et Cajetano 3. qu. 2. art. 7. in simili. Et probatur primo. Quia relatio non est terminus per se alicujus actionis, sed solum incipit esse in fundamento ex mutatione alicujus extremi; sed hæc unio est terminus actionis generativæ et resuscitativæ et sine ulla mutatione alicujus extrinseci potest incipere et desinere esse, licet maneat intima præsentia animæ cum corpore: ergo hic terminus qui fit per generationem non est relatio.

Secundo probatur. Totus homo in sua ratione est substantia, nec includit in sua ratione accidens aliquod, nec ad hoc ut sit completum quid in genere substantiæ requirit aliquod accidens, sed includit unionem in sua ratione tanquam aliquid spectans ad ipsius constitutionem, nam non costituitur ex partibus realiter distinctis una substantia completa in ratione substantiæ nisi per unionem. Sciendum enim est, dupliciter aliqua posse esse unum. Primo ita ut sint omnino eadem res, et solum differant ratione, eo quod apta sunt diversis conceptibus repræsentari, et talis unitas est identitas a parte rei et simplicitas, ac proinde nullam compositionem realem includit. Secundo ita ut illa quæ constituunt unum quid, sint distincta inter se realiter, apta tamen constituere unum quid, et talis unitas recedit a perfecta unitate et est solum unitas per compositionem. Ad hujusmodi ergo unitatem distinctorum necessaria est unio illorum inter se, qua ratione ut duæ quantitates sint una per continuationem debent uniri, sicut et materia et forma, natura et subsistentia etc. debent habere unionem quæ sit ratio constituendi unum per compositionem. Jam ergo cum ex anima et corpore constituatur unum compositum substantiale, clare apparet in hac constitutione includi unionem, siquidem homo non est unum quid simplex, constat enim partibus realiter distinctis, et idcirco dixit div. Thomas 3. p. qu. 2. art. 1. ad 2. per unionem fieri unum ex anima et corpore.

Ex quo etiam patet, unionem esse aliquid substantiale et non accidens ut male putavit Vignerius citatus a Suarez 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 2. §. Alterum dubium. Nam in quidditate physica hominis et substantiali ejus constitutione nihil potest includi accidentale, sed hæc unio includitur in ipsa constitutione substantiali

hominis, quia per illam formaliter constituitur unum quid ex materia et forma unitis. — Ergo sicut est de ratione hominis ut sit aliquod compositum substantiale, ita etiam ut habeat unionem qua mediante componit anima cum corpore. Confirmatur. Nam idcirco unio personæ Verbi cum natura humana et unio personalis creaturæ cum natura humana est substantialis, quia per hanc unionem resultat suppositum compositum ex illis, quod sit unum substantiale per se; sed etiam unio materiæ cum forma facit ut compositum ex tali unione resultans sit unum per se: ergo. Major probatur a Suaresio citato contra tertiam sententiam.

Ex his etiam patet cur relatio et alia accidentia identificata substantiæ non dicantur modi substantiales. Nam ut præclare Suarez tom. 3. disp. 47. sect. 2., modi substantiales illi soli sunt, qui ad complementum substantiæ intrinsece pertinent, et quidquid advenit substantiæ in suo genere completæ, est extra rationem substantiæ et accidentale. Ex quo probat ibi Suarez, unionem materiæ et formæ esse modum substantialem. Unde infert sect. 2. ad hoc ut unio sit modus substantialis non sufficere ut id quod unitur sit substantia, sed necesse est ut ad complementum substantiæ spectet, et partes substantiales uniat.[1]

Denique quod ista unio sit modus quidam, ac proinde solum distinguitur a rebus unitis ex natura rei, tanquam modus a re, optime probat et explicat Suarez citatus. Nam modus sive substantialis sive accidentalis eo differt a substantia sive accidente, quod una substantia potest esse sine altera in rerum natura, saltem de potentia absoluta, unde et forma sine materia a qua dependet, et materia sine forma existere possunt ut supra ostendimus. At modus sive substantialis sive accidentalis existere non potest sine re quam modificet. Rationem hujus putat eam esse Suarez tom. 3. disp. 48. sect. 2., quia modus non est res per se distincta secum ferens suam entitatem. Sed fallitur, revera enim modus quilibet habet entitatem propriam distinctam ab entitate rei quam modificat; unde et desinere potest entitas modi, non destructa entitate modificatæ rei.

Ratio ergo est, quia modi ex propria sua ratione sunt actuales modificationes subjecti, et idcirco sunt rationes quædam imperfe-

[1] Et disp. 32. Metaph. sect. 1. n. 15. ait, ille solus modus est substantialis, qui ad constitutionem et complementum ipsius substantiae spectat; accidentalis vero est, qui supponit substantiam complete constitutam et illam afficit. Ratio est ait n. 16., nam substantia completa in latitudine substantiae non potest perfici et compleri nisi substantia, quam rationem late prosequitur.

ctiores, propterea quod non solum aptitudinalem, ut alia quæ non sunt modi, sed actualem subjecti actuationem necessario important. Cujus rei ut a priori rationem reddamus suppono, unionem quamcunque essentialiter et ex natura sua esse actualem nexum duorum, ita ut non tantum sit de ratione illius posse unire, quomodo est de ratione quantitatis posse extendere subjectum, sed etiam sit essentiale unioni actualiter conjungere. Si enim unio esset quasi nexus in potentia, seu unitiva, ad hoc ut actu uniret opus esset addi aliam rationem qua mediante fieret actualiter uniens, et ita vel veniendum esset ad aliquam rationem quæ ex propria sua ratione et essentia haberet ut esset actualis nexus, et hæc sola haberet veram rationem unionis, et sufficeret ad uniendum duo; vel certe infinitus processus admittendus esset. Ex quo constat cur nunquam possit esse unio sine subjecto cui uniatur non tanquam extremum aliquod uniendum, sed tanquam ratio uniendi extrema (quod tamen intelligi volo de unione rei permanentis, nam de unione partium successivarum alia est ratio, ut disp. De tempore qu. 2. dicto 4. ostendemus). Hoc posito existimo, quemlibet modum ut ubi, subsistentiam etc. uniri subjecto suo connaturali per unionem sibi identificatam et indistinctam a se, non vero per unionem superadditam sibi, quomodo materiam et formam uniri diximus.[1] Ratio est, quia nullum est principium ad colligendam distinctionem ex natura rei unionis a tali modo, siquidem licet admodum probabile sit, posse modum aliquem divina virtute modificare subjectum connaturale, ita ut simul alteri subjecto, cui non sit connaturalis, uniatur per unionem distinctam, ut subsistentia humana præter connaturale subjectum terminare posset etiam alias naturas, tamen fieri nulla ratione potest, ut non modificet subjectum cujus est connaturalis modus. Nullum enim principium habemus ad asserendum contrarium, ac proinde nec ullum principium habemus ex quo possimus colligere modos uniri rebus per unionem a se distinctam ex natura rei, siquidem de nullo modo constat permansisse absque subjecto connaturali. Ergo cum non sint multiplicanda entia sine necessitate, fatendum est modos omnes uniri substantiis connaturalibus per unionem sibi identificatam; ac proinde, cum impossibile sit unionem esse nisi actu uniat, etiam

[1] Suarez disp. 34. Metaph. sect. 4. n. 38. de essentiali ratione modi est ait ut per se ipso sine alia unione, actu conjungatur et uniatur rei cujus est modus; atque ideo non potest conservari, nisi actu modificet,

impossibile erit modum non actu modificare. Unde si dari posset modus qui non uniretur seipso subjecto connaturali, sed posset existere sine connaturali subjecto, unitus alteri rei, nulla posset dari ratio cur talis res etiam sine omni penitus subjecto existere non posset, ac proinde cur modus potius, quam res distincta a modo diceretur. Idcirco talem modum reputo impossibilem.

His positis sic ostendo nostrum intentum. Id omne est modus quod non potest in rerum natura existere sine aliquo quod modificet, licet res quæ semel modificata est possit permanere corrupto modo. Sed unio est hujusmodi; impossibile enim est ut existat quin actu copulet et connectat extrema, cum essentialiter sit actualis nexus et unio, non vero unitiva duntaxat: ergo. An vero partes unitæ habeant inter se relationem realem in hac unione fundatam ut Suarez vult, parum refert.

Dico tertio. Unica est unio qua uniuntur materia et forma, et hæc etiam in homine materialis est et divisibilis. Primum probatur. Primo quia partes superficiei vel lineæ quarum una est extra aliam uniuntur unico puncto, et unica linea, nisi admittantur duo puncta vel duæ lineæ immediatæ in continuo: ergo et partes substantiales uniri possunt unica unione ac proinde frustra duæ finguntur. Confirmatur. Nam unica unione possunt intelligi duo esse unita: ergo superflue finguntur duæ uniones. Antecedens probatur. Nam humanitas Christi unica unione quæ solum sit in humanitate unitur Verbo, quod recipere in se non potest unionem: ergo multo magis duo entia creata uniri possunt una entitate modificante utramque partem. Secundo: unio ista est vinculum substantiale partium a qua formaliter habent partes ut sint unitæ, ex quo nexu fit ut duæ partes efficiant unum compositum. At quod est ratio formalis cur aliqua plura efficiant unum, non potest fieri ut non sit unum: ergo. Confirmatur 1. Nam unio ex sua ratione formali est modus duorum quamvis interdum non modificet utrumque extremum, ut patet in unione hypostatica quæ non modificat Verbum licet illud uniat. Ergo essentiæ unionis magis est conforme ut unica unione conjungantur partes. Confirmatur 2. Nam unio formæ cum materia est id quo mediante communicat se forma materiæ et illam actuat ut 2. Phys. disp. 4. qu. 1. in fine dicetur. Sed eo ipso quod forma intelligitur communicare se materiæ et eam informare, materia recipit et participat esse formæ: ergo per eandem unionem. Et omnino inintelligibile est ut forma sit unita

materiæ et materia non sit formæ, quod tamen intelligi posset, si diversa unione uniretur forma materiæ et materia formæ. Et hæc est ratio a priori hujus rei.

Secunda pars conclusionis, quod scilicet hæc unio etiam in homine sit materialis et extensa, ita ut una ejus pars solum uniat formaliter animam capiti, altera pedi etc. est Suaresii, qui 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 2. §. Contra hanc autem, ubi ait abscissa manu desinit ibi esse anima, non quod destruatur, sed quia amittit partialem modum præsentiæ seu informationis: ergo informationem censet habere partes. Et tomo 2. disp. 44. sect 4. in initio ait, hanc unionem extendi posse successive: ergo censet habere partes.[1] Probatur primo. Hæc unio non est spiritualis: ergo materialis et extensa. Antecedens probatur, nam hæc unio fit per actionem materialem, scilicet generationem: ergo non est spiritualis sed materialis. Quod vero fiat per actum materialem patet, nam generatio est ab agente materiali, tota in materia recipitur et ab illa dependet: ergo est materialis. Secundo: si hæc unio est spiritualis: ergo tota est in toto, et tota in qualibet parte; at hoc est falsum: ergo. Minor probatur, nam si tota est in toto: ergo præcisa manu, cum cesset unio quæ erat inter animam et illam partem, tota unio animæ cum corpore desinet esse, et consequenter ex quavis minima ablatione partis corporis humani, tota unio animæ et corporis desineret esse, ac proinde totus homo corrumperetur. Similiter cum in nutritione anima incipiat uniri materiæ cui ante non erat unita, idque ex vi actionis terminatæ ad substantiale aliquid, scilicet ad unionem, (neque enim aliud assignari potest quod per actionem nutriendi producatur) unio jam existens iterum produceretur, quod naturaliter impossibile est.

Respondent aliqui. Abscissa aliqua parte corporis (et idem dicunt de nutritione) corrumpi totam unionem et aliam de novo produci eodem instanti. Contra est. Nam ex hoc evidenter sequitur hominem in eodem instanti mori et resurgere, eo enim ipso quod desinit unio corporis cum anima per quam homo dicitur vivere, moritur; si vero unio producitur resurgit. Nec alio modo Deus reproduceret hominem mortuum, si immediate postquam mortuus est resuscitaret. Deinde in quolibet instanti nutritionis successivæ mutaretur infinities unio; denique cum cultello abscindo digitum

[1] In suis disputationibus metaphysicis tamen passim vocat hanc unionem spiritualem, licet concedat eam pendere a materia in esse, et habere quandam extensionem,

nullum est agens quod producere possit hanc unionem, quæ tamen cum sit aliquid reale, sine actione reali non potest incipere esse. Et quamvis daretur tale agens, illud esset generans hominem, cum generatio hominis habeat pro termino producto per actum generativum ipsam unionem substantialem, ut supra dixi.

Respondent alii. Non corrumpi unionem, sed desinere esse in loco manens, et sic non idcirco desinit anima informare illam partem quia sit corrupta unio, sed quia anima non sit amplius in eo loco in quo est pars quæ amplius non informatur. Contra est, nam prius natura est animam desinere esse unitam, quam desinere esse in loco illius partis. Hæc enim causalis vera est: anima quia non est unita illi parti, desinit esse in illa parte, sicut vera est ista causalis: anima quia unitur ab agente tali parti, incipit esse in hac parte: ergo unio animæ cum illa parte desinit esse ex eo quod aliquid præter ubi animæ desinat esse, quod esse non potest nisi aliquid unionis animæ cum corpore. Deinde in nutritione aliquid substantiale producitur, nec terminus productus per nutritionem est ubi per quod anima præsens est parti aggeneratæ, sed producitur per illam unio substantialis. Ergo aliquam partem unionis producit quæ ante non erat producta. Similiter in resolutione partium corporis aliquid substantiale amittitur, cum sit vera corruptio substantialis: ergo.

Respondent iterum alii. Illam unionem esse spiritualem, habere tamen partes similes partibus intensionis qualitatum spiritualium, quæ omnes sunt in toto subjecto. Has autem partes unionis ajunt non esse ejusdem rationis, sed distingui inter se in ordine ad diversas partes subjecti quod informat anima, ita ut quamvis quælibet pars unionis sit in qualibet parte materiæ informatæ ab anima, tamen non per quamlibet partem unionis unitur anima cuilibet parti, sed per hanc partem capiti, per aliam pedi etc. Quando autem abscinditur digitus, corrumpi illam partem unionis per quam anima uniebatur digito. Sed contra est, nam in primis si diversas partes admittamus, omnino sine necessitate et ratione dicitur illas non esse extensas, præterquam quod ut dixi, cum hæ uniones producantur ab agente materiali dependenter a materia, omnino sint dicendæ materiales. Deinde causa formalis informans impossibile est ut non habeat suum effectum formalem, ac proinde cum anima prout est in capite, habeat unionem quæ formaliter unit animam pedibus, anima prout in capite erit in pedibus. Et in hac nostra

sententia facile est explicare quomodo abscisso digito anima cesset informare digitum, quia scilicet corrumpitur unio per quam formaliter uniebatur digito. Patet etiam ex dictis in prima parte conclusionis, hujus unionis materialis partes debere inter se continuari per unionem a se distinctam, ut ibi ostendimus. Ulterius ex dictis sequitur hanc unionem educi de potentia materiæ, licet tam in fieri quam in conservari exigat etiam formam, quia essentialiter est modus duorum, et actualis connexio illorum, ac proinde non potest esse nisi actu connectat duo, illa modificando. Ac proinde hæc unio quatenus unit formam cum materia dicitur informatio, quatenus materiam cum forma receptio, per hanc enim unionem formaliter constituitur forma informans, et materia recipiens, quod ex dictis clarum est. Nam sola unione sublata, etiamsi materia et forma sint intime præsentia, forma non est informans: ergo unio est formaliter informatio. Unde eadem unio cum nectit partes diversæ rationis ad unam essentiam constituendam ordinatas, quarum scilicet una sit actus altera potentia, sortitur diversa nomina informationis et receptionis; cum vero nectit partes ejusdem rationis, ut partes quantitatis etc., tunc non dicitur informatio respectu unius et receptio respectu alterius, sed respectu utriusque tantum dicitur continuatio. Ex quo apparet ratio cur Deus non possit informare, licet possit suppositare.[1] Ratio enim est quia non potest esse pars alicujus essentialiter illud constituens, et præterea quia non potest ullum verum modum realem recipere. At informatio est modus realis ex natura sua modificans utrumque extremum, cum tamen unio quæ est suppositatio, non requirat ut modificet utrumque extremum, et ideo licet solam humanitatem modificet, adhuc tamen unit personæ divinæ.

Dices: qua ratione modus corporeus potest esse modus rei spiritualis, qualis est anima rationalis? Respondeo: sicut mirum non est rem spiritualem esse formam corporis, ita nec hoc. Imo, ex eo quod spiritus possit esse forma corporis et ab agente materiali uniri illi possit, taliter ut ab una parte corporis separari possit,

[1] Suarez disp. 33. sect. 4. n. 13. ait Deus non potest materiam informare, et ratio est, nam aut Deus esset forma natura sua apta et propensa ad materiam informandam, et hoc repugnat divinae perfectioni, talis enim forma imperfecta est et incompleta, natura sua ordinata ad constituendam naturam completam. Aut esset forma voluntarie informans et uniens sibi materiam aliquam, licet natura sua id non postulet. At contra est, tum quia substantia completa non potest informare; tum quia divina essentia, cum sit perfectissima non potest uniri ad unam naturam constituendam.

quamvis maneat unita alteri parti, id necessario sequitur. Et quidem si diceremus, hunc modum corporeum esse in re spirituali tanquam subjecto, eo modo quo Major 4. dist. 12. qu. 4. ait actus vitales etiam materiales ut visionem subjectari in anima spirituali, forte videri posset alicui absurdum ut ex 2. Phys. disp. 4. qu. 1. constabit. Id tamen non est necesse dicere, cum enim modus iste sit substantialis, non inest alteri ut subjecto ad modum accidentium, sed cum habeat esse per se, formaliter conjungit materiam et formam.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondeo: negando antecedens. Ad probationem respondeo: hanc unionem seipsa esse conjunctam materiæ et non per aliam unionem quod commune est omnibus modis. Nam *ubi,* quia est ratio constituendi rem hic vel ibi, non est ipsa hic per aliud *ubi,* sed seipsa. Similiter actio seipsa dependet ab agente, non tanquam id quod fit, sed tanquam ratio qua aliquid fit; et quantitas seipsa est extensa, substantia per illam; color seipso est visibilis, substantia per colorem etc. Unioni ergo cum essentiale sit esse actualem nexum duorum, non est necesse addere aliquid per quod uniatur. At vero non est de ratione materiæ et formæ ut sint unitæ, siquidem existere possunt separatæ cum tota sua entitate, et ideo egent aliquo superaddito ut sint unita; quod enim non habent per intrinsecam entitatem, habere debent per aliquid superadditum. Secunda probatio Gregorii in Theologia solvi debet, ubi ostenditur etiam ad Incarnationis mysterium explicandum concedi debere unionem distinctam a persona Verbi et humanitate, quæ afficiens humanitatem, eam uniat Verbo et Verbum humanitati, ubi etiam ostendendum est unionem non petere essentialiter existere in utroque extremo unito, nisi quando extrema sunt imperfecta, quod nunc supponere ex illo loco sufficiat.

Ad secundum. Si per substantiam intelligamus id omne quod non inhæret substantiæ completæ, modi substantiales sunt substantiæ; si vero per substantiam intelligamus solam substantiam integram et partes illius, tunc modi substantiales non sunt substantiæ sed modi illius, et non accidentia. Et hoc secundo modo accipitur substantia cum dividitur in materiam, formam et compositum.

Ad tertium respondeo. Informationem formæ revera non esse aliud quam unionem formæ cum materia, nego tamen formam ita seipsa informare, ut informet nulla alia entitate superaddita tan-

quam ratione formali ipsam constituente in esse informantis, et materiam in esse recipientis. Unde informatio includit quidem entitatem formæ, non tamen ut partem sui, sed ut terminum. Sicut enim relatio includit terminum, a quo tamen realiter distinguitur, ita etc. Unde licet forma suam entitatem communicando informet, quia tamen per unionem formaliter confert et communicat suam entitatem subjecto, ideo per illam formaliter constituitur informans, sicut et materia per illam formaliter communicat suam entitatem formæ, eamque recipit. Ex quo patet ad confirmationem; eadem enim unio dicitur informatio quatenus unit formam materiæ, et receptio quatenus unit materiam formæ, unde ab eadem forma denominatur forma informare, et materia recipere ut 2. Phys. disp. 4. latius dicetur.

Ad quartum jam diximus hanc unionem materiæ et formæ esse materialem et tamen posse esse modum rei spiritualis.

Ex his constat primo, quod sicut admittimus unionem partium substantialium, distinctam ex natura rei ab extremis unitis, ita admitti debere unionem accidentis, quod non sit modus, cum subjecto distinctam ex natura rei ab extremis. Dixi: quod non sit modus, nam supra ostendimus modos omnes seipsis uniri, saltem subjecto connaturali ac proinde modos accidentales non habere aliam unionem a se distinctam. Hoc totum optime explicat Suarez tom. 3. disp. 57. sect. 2. dicto 1. ubi ostendit inhæsionem v. gr. quantitatis esse modum ex natura rei distinctum ab accidente et subjecto. Probat quia omne compositum ex partibus realiter distinctis, præter entitates partium componentium includit unionem ab illis distinctam: ergo et compositum ex accidente et subjecto cum sit omnium eadem ratio. Antecedens probat, nam licet Verbum divinum sit præsens humanitati, vel etiam anima intime præsens corpori, adhuc tamen potest nec anima informare materiam, nec persona Verbi terminare humanam naturam: ergo aliquid addi debet per quod uniantur. Hæc ille, qui ibidem et ostendit hanc inhæsionem non esse passionem, sed modum accidentalem, nam ut ibidem disp. 47. sect. 3. optime dixerat, non potest esse modus nisi accidentalis unio quando alterum extremum est accidens, siquidem talis unio non ordinatur ad constituendam unam substantiam, nec unum ens per se. Idem Molina 1. p. qu. 3. art. 4. disp. 2. §. Negari non potest, ubi albedinem ait per inhæsionem ex natura rei distinctam ab albedine uniri subjecto. Unde ait inhæsionem esse modum divina virtute

separabilem ab accidente quod sine subjecto conservari potest; licet dicat, hunc modum cum distinctione ex natura rei esse idem realiter cum accidente, sed nos in Logica ostendimus non posse distinctionem ex natura rei cum reali identitate reperiri.

QUAESTIO TERTIA.

An compositum naturale, distinguatur ex natura rei a partibus simul sumptis et unitis.

Compositum metaphysicum genere et differentia constans, quomodo distinguatur a partibus ex Logica constat. Ex ibi dictis enim clarum est, quamlibet partem esse idem realiter cum toto composito et sola ratione distingui. Quæstio ergo est de composito physico, sive sit compositum ex partibus integrantibus, sive ex essentialibus. In qua re ut certa ab incertis separemus,

Certum est primo: compositum substantiale si solum sumatur secundum ea quæ illi sunt essentialia, realiter differre a partibus unitis, includit enim compositum naturale præter essentiales partes etiam subsistentiam, quæ realiter differt a materia, forma et composito. Certum etiam est totum distingui realiter a qualibet parte in particulari, eo modo quo includens ab incluso distinguitur, ut v. gr. homo realiter distinguitur ab anima rationali. Ratio est, quia totum præter quamlibet partem determinatam includit aliam vel alias partes realiter ab illa determinata parte distinctas, ac proinde non potest esse idem realiter cum illa parte determinata. Si enim totum esset idem cum illa parte, esset etiam idem cum altera parte quam includit totum, ut si anima rationalis est idem realiter cum homine, erit idem realiter cum materia quam includit homo. Denique ex dictis in præcedenti quæstione certum est, compositum realiter distingui a partibus simul sumptis non unitis. Nam compositum essentialiter includit unionem realiter seu ex natura rei distinctam a partibus unitis tanquam modum a re: ergo totum compositum realiter distinguitur a partibus simul sumptis tanquam includens ab incluso.

His positis solum superest controversia, an quamvis compositum substantiale, eo quod includat subsistentiam realiter distinctam a partibus unitis, distinguatur realiter ab illis, natura tamen

et essentia compositi sit penitus idem ex natura rei eum partibus simul sumptis et unitis, an vero ab iis distinguatur.

Prima sententia est, totum distingui a suis partibus simul sumptis et unitis. Ita Fonseca 5. cap. 2. qu. 2. sect. 2., et 4. Metaph. cap. 2. qu. 5. sect. 6. §. Huic objectioni; Zumel 1. p. qu. 28. art. 1., qu. 2. ad 1. Aureoli: compositum ait est aliquid realiter distinctum a partibus simul unitis. Idem Conimbricenses 1. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 3., et citant art. 1. pro hac sententia Scotum 3. dist. 2. qu. 2., Avicennam, Cajetanum 3. p. qu. 6. art. 5. ad 3., Capreolum, Ferrariensem 4. Cont. gent. cap. 81., Zimaram et alios. Sed hi forte solum voluerunt, præter partes simul sumptas includi unionem in natura compositi, per quam distinguitur a partibus, ut expresse docet Aquarius 7. Metaph. dilucid. 18. intelligi debere hos auctores.

Probatur ergo breviter. *Primo* ex Aristotele, qui etsi 1. Phys. text. 17. hanc quæstionem movens nihil determinet, tamen 5. Metaph. text. 19. docet sex non esse bis tria, 7. Metaph. text. 60. syllabam BA non esse B et A, et 8. Metaph. text. 15. docet totum esse aliud præter partes, 4. Metaph. text. 13. totum ait esse in partibus et partes in toto, quod non esset, nisi distinguantur. Et denique sæpe docet substantiam esse triplicem scilicet materiam, formam et compositum ut 2. De anima text. 2., 7. Metaph. text 7., 12. Metaph. text. 14. Ergo. — *Secundo.* Causa a causato, constituens a constituto, componens ab eo quod realiter componit differt realiter ut 2. Phys. disp. 2. qu. 4. ostendetur. Sed omnes partes unitæ causant totum: ergo omnes partes unitæ differunt realiter a toto. Minor patet, nam materia et forma non sunt causa totius cum separantur, sed cum sunt unita. *Tertio.* Si essentia compositi non est tertia entitas distincta a partibus: ergo non est una essentia, sed aggregatio plurium: ergo cum partes sint plures, essentialiter inter se distinctæ: ergo compositum non est unum per se. *Quarto.* Partes unitæ sunt idem cum essentia compositi: ergo et inter se, nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. *Quinto.* Totum generatur et corrumpitur nulla ejus parte generata vel corrupta, ut patet in homine: ergo totum et partes realiter distinguuntur.

Dico breviter. Naturam compositi substantialis non distingui ex natura rei a partibus unitis, sed partes unitas idem esse formaliter cum toto. Ita Toletus 1. Phys. qu. 8., Sotus qu. 3. concl. 1., Durandus 3. dist. 2. q. 2., Gregorius 1. dist. 24. qu. 1. art. 1.

in probatione secundæ conclusionis, Niphus 7. Metaph. qu. 19. At vero Soncinas 7. Metaph. qu. 12., Pererius lib. 7. cap. 20. in fine utramque sententiam probabilem putant et citant pro hac nostra sententia Conimbricenses art. 2., Themistium, Simplicium, Philoponum etc. Idem sentit div. Dionysius cap. 2. De cœlesti hier., ubi ait mortem nullius substantiæ in nobis esse corruptionem. Favet Aristoteles qui 2. De anima text. 9. sicut ait pupilla et visus sunt oculus, ita anima et corpus sunt animal, et 4. Phys. text. 23. totum non est præter partes inquit.

Probatur hæc conclusio primo. Nam dupliciter intelligi potest quod totum a partibus unitis distinguatur. Primo ita ut distinguantur tanquam duæ res quarum una non includit aliam, nec includitur ab illa; secundo quod totum distinguatur a partibus, ita ut includat partes et addat supra illas unitas aliquam entitatem distinctam ex natura rei ab illis, nec videtur possibilis alius modus distinctionis. Sed neutrum horum dici potest: ergo. Non primum, tum quia ex hoc sequeretur totum non includere in sua entitate partes suas, ac proinde non esse compositum ex illis, compositum enim essentialiter includit componentia et essentialiter postulat habere partes ex quibus componatur et non esse simplex. Nec dici potest ipsum totum habere partes diversas a materia et forma, quia nullæ sunt partes physicæ essentiales præter materiam et formam. Et quamvis essent, adhuc rediret difficultas, nam vel illud totum esset diversum a suis partibus, et sic dabitur infinitus processus in compositionibus, vel non, et idem dici potest de partibus physicis materia et forma unitis, quod scilicet compositum ab illis non distinguatur nec habeat partes diversas. Tum quia si totum distinguitur a partibus, et non tanquam includens ab incluso, sed se toto, ita scilicet ut tota entitas compositi differat a qualibet parte, sequitur manifeste, quod totum non includat in sua entitate partes suas, quod est manifesta contradictio. Tum denique (ut omittam posse divina virtute existere hanc entitatem totius sine partibus, quod valde urget Sotus loc. cit.), quia partes physicæ, materia scilicet et forma causant totum intrinsece et per suam entitatem. At effectus quem per suam entitatem causat aliqua res, non potest intelligi sine illa re, sicut v. gr. effectus formalis non potest intelligi sine forma: ergo totum intelligi non potest quin claudat partes: ergo non potest distingui a partibus nisi tanquam includens ab incluso, siquidem non potest distingui compositum ab una aliqua parte nisi

per aliam partem, ut recte div. Thomas 1. p. qu. 75. art. 4. Et ratio est, quia non alio modo distinguitur totum ab una parte nisi tanquam compositum a componente: ergo tanquam includens illam, et aliquid illi addens. Nec secundum dici potest. Tum quia solum intellectis partibus unitis, non intellecta alia entitate distincta realiter, intelligitur essentia compositi naturalis, siquidem intelligitur quædam entitas constans materia et forma, et una mediante unione: ergo ad essentiam corporis naturalis frustra fingitur alia distincta entitas: Sicut ergo compositum accidentale, v. gr. album nullam habet entitatem præter accidens et subjectum cui unitur, ita in composito substantiali etc. Unde cum nulla sit necessitas talis entitatis, admitti non debet. Nam ad compositi physici naturam constituendam sufficiunt duo principia intrinseca, materia scilicet et forma, per unionem aliquomodo effecta unum. Tum quia si quæ est talis entitas essentialis homini: ergo in morte hominis desinit aliquid essentiale hominis præter unionem, contra Dionysium supra citatum. Tum denique quia hoc modo non solvitur præsens difficultas. Si enim in toto includitur præter partes tertia entitas, quæro: illud totum vel distinguitur ab his omnibus simul sumptis, vel non. Si non, habeo intentum; si distinguitur quæro per quid, et semper redit argumentum.

Secundo. Si datur entitas aliqua totius, distincta a materia et forma unitis, illa entitas vel est in omnibus locis ubi sunt partes, vel non. Si non in omnibus locis: ergo in composito physico erit actu pars quæ non constituat totum, siquidem ubi non est illa entitas, non est entitas totius, et tamen est pars, ut omittam non esse majorem rationem cur illa entitas totius sit in loco ubi est hæc pars potius, quam ubi illa. Si autem illa entitas est in omnibus locis ubi sunt partes, vel tota illa entitas erit in toto loco partium et tota in qualibet parte, vel pars illius entitatis erit in parte loci, pars altera in altera. Si primum: ergo entitas totius indivisibiliter existet in anima, et consequenter tota essentia equi etc. erit in quavis parte equi. Si secundum: ergo præter partes physicas, materiam et formam, habet compositum physicum seu essentia illius alias partes ex quibus constituitur una essentia. Tunc ergo de illa tota essentia quæri potest an sit aliquid distinctum a partibus unitis, an non. Si hoc secundum, idem omnino dici potest de composito ex materia et forma mediante unione. Si primum, redibit idem argumentum, an scilicet entitas totius sit in toto loco

partium tota, et si ita est sequitur quamlibet partem totius, equi v. gr. esse totum equum; an potius pars sit in loco partis, et sic iterum aliud compositum ex talibus partibus consurget. Atque ita vel erit infinitus processus, vel tandem concedi debet totum non esse aliquid diversum a partibus unitis. Confirmatur. Nam si datur entitas totius distincta ab entitate partium unitarum, illa creabitur ab agente naturali cum non educatur ex potentia materiæ (siquidem educi deberet pars illius ex parte materiæ, ac proinde componi deberet ex partibus et illis addere novam entitatem, et sic in infinitum.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum. Aristoteles solum vult, totum formaliter non esse partes divisim sumptas, et ita BA non esse B et A divisim, sicut nec sex sunt tria et tria divisim, sed duo ternarii simul, quamquam hujus loci aliam et quidem optimam adfert explicationem Toletus loco cit. in fine quæstionis. Recte autem docet totum esse aliquid præter partes, quia compositum physicum præter partes includit unionem, quæ non est pars. Quod vero partes dicat esse in toto, nil contra nos, subdit enim causam cur id sit, non enim est præter partes totum, i. e. non est aliud quam partes unitæ, ac proinde partes unitæ divisim sumptæ includuntur in toto, et vicissim cum totum non sit aliud quam partes, etiam totum includitur in partibus unitis. Recte autem dividit substantiam in materiam, formam et compositum, quia compositum realiter distinguitur a materia et forma eo quod includat unionem substantialem, quam non includit materia et forma.

Ad secundum respondent optime Conimbricenses art. 4. ad 2. omnes partes unitas divisim sumptas esse causas et constituentes totum, nam quælibet pars unita seorsim sumpta causat et constituit totum, ac proinde est in toto. Et ita etiam omnes partes unitae divisim sumptæ realiter distinguuntur a toto, quia hæc pars unita, v. gr. materia, divisim sumpta, realiter differt a toto per formam et unionem quam includit totum præter materiam unitam. At vero omnes partes unitæ, si sumantur copulative, collective seu complexe, ita scilicet ut dicantur omnes partes simul unitæ causare totum, falsum est. Partes enim hoc modo non sunt causa totius, sed ipsum totum, ac proinde cum idem seipsum causare non possit, nec partes hoc modo sumptæ causant totum.

Ad tertium. Late disputat Gregorius loco cit. art. 1. concl. 2. an ea quæ constant pluribus partibus dici possint simpliciter una,

an vero solum possint dici unum cum addito, v. gr. unus homo. Sed quæstio est de nomine, certum enim est, ea quæ constant partibus realiter distinctis, non esse unum per simplicitatem, quomodo Deus, angelus etc. est unus, esse tamen unum per unionem et compositionem, quod solum vult Augustinus cit. a Gregorio 2. De libero arbit. cap. 8. Sed quidquid sit de hoc, nego consequentiam argumenti. Nam ex actu et potentia ejusdem generis fit unum per se, ut docet Aristoteles 2. De anima text. 7. Cur autem ex accidenti et subjecto, et ex completis essentiis non fiat una essentia qu. 1. dicto 4., et disp. 3. qu. 3. explicavimus.

Ad quartum respondeo. Cum partes unitæ dicuntur esse idem cum essentia compositi, non ita intelligitur quasi quælibet pars unita divisim sit idem cum tota essentia, sed quod omnes partes simul sumptæ et unitæ sint idem, ac proinde partes collective acceptæ cum unione sunt idem cum toto, non tamen quælibet pars per se sumpta. Unde non sunt idem uni tertio, scilicet composito materia et forma simul sumpta et unita, sed potius sunt ipsum compositum. Ex eo autem quod omnia ista simul constituant unum totum, non sequitur quodlibet eorum per se esse tale compositum, hoc enim esset argumentari a partibus collective seu composite sumptis, ad partes divisim sumptas, proinde ac si argumentaretur quis hoc modo: omnes apostoli sunt duodecim: ergo Petrus apostolus est duodecim.

Ad quintum respondeo. Totum corrumpi non partes, quia desinit unio quam essentialiter includit compositum physicum, non tanquam partem, sed tanquam vinculum partium. — Objicies: si totum et partes sunt idem, sequitur partes integrales esse partes essentiales, quod falsum est, nam animal non est pars. Probatur: quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se; sed partes essentiales sunt eædem cum toto: ergo et similiter partes integrantes; ergo etiam erunt eædem inter se. Ad hoc argumentum late respondet Sotus et Toletus. Respondeo breviter: nulla pars essentialis est pars integralis, nec contra, tamen omnes partes essentiales simul sumptæ et unitæ sunt eadem res quod omnes partes integrales simul sumptæ, quod convincit argumentum.

Et hæc in primum librum physicorum Aristotelis.

IN SECUNDUM LIBRUM

PHYSICORUM ARISTOTELIS.

PROOEMIUM.

Duas in partes hic liber dividitur, in quarum prima, quæ ab initio libri usque ad textum 27. producitur, agit de natura a qua res dicitur naturalis ubi etiam explicatur quomodo philosophus naturalis a mathematico differat. In secunda quæ est a textu 27. ad finem, agit de causis tam iis quæ sunt per se, quam quæ sunt causæ per accidens, ut fortuna etc. An autem secundus liber Metaphysicorum debeat esse velut procemium hujus libri ut vult Sadoletus et alii citati a Fonseca 2. Metaph. initio, disputat Fonseca ibi. Nos quia angustiis temporum a prolixa textus expositione excludimur, quatuor disputationibus ea omnia quæ hoc libro docet Aristoteles complectimur, suis locis difficiliores textus Aristotelis explicaturi. Cetera vero apud Conimbricenses et Toletum videri poterunt. — Prima igitur disputatio erit de natura, secunda de causis in communi, tertia de causa efficiente, quarta denique de causa finali, materiali et formali.

Disputatio I.

DE NATURA.

Egimus cum Aristotele libro primo de principiis rerum naturalium, tam in fieri quam in facto esse. Nunc ipsæ rerum naturalium causæ explicandæ forent, siquidem quælibet scientia post considerationem principiorum subjecti sui principalis, causas quo-

que illius considerat. Verum quia naturæ a qua res dicitur naturalis mentio fit, antequam tractare de causis incipiamus explicandum est cum Aristotele, quid sit natura.

QUAESTIO PRIMA.

Quid sit natura, et quomodo sit principium motus et quietis.

Naturæ nomen varie apud auctores usurpatur ut late Aristoteles 5. Metaph. text. 5., Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 1. sect. 2., Conimbricenses 2. Phys. cap. 1. qu. 1. art. 1. et quos ibi citant ad marginem, Pererius libr. 7. cap. 1., Toletus 2. Phys. qu. 1.[1] Interdum enim naturæ nomine significatur tota rerum creatarum universitas ut cum 12. Metaph. text. 38. dicit Aristoteles naturam pendere a primo principio. Interdum causæ omnes naturales quatenus secundum propensionem innatam operantur, quo sensu sumuntur ab Aristotele cum 1. Coeli 32., 2. Coeli 50., 3. De anima 45. et 60. ait Deum et naturam nihil frustra agere. Interdum pro essentia cujusque rei, quomodo dicimus definitione explicari naturam rei, in divinis esse unam naturam, Verbum assumpsisse naturam humanam non personam etc. Interdum pro causa prima et universali, nimirum Deo, qua ratione Aristoteles 1. Coeli text. 20. ait bene fecisse naturam i. e. Deum quod exemerit cœlum a contrariis. Denique ut alias significationes omittam naturæ nomen apud medicos sumitur pro cujusque temperamento ut notat Fernelius lib. 4. Physiologiæ cap. 7.

Ut autem intelligatur quo modo sumatur natura hoc loco, sciendum est ex div. Thoma 1. p. qu. 29. art. 1. ad 4. quod etiam habet 3. p. qu. 2. art. 1. naturæ nomen primo impositum esse ad significandam generationem viventium quæ dicitur nativitas, quod et Aristoteles illo 5. Metaph. notavit. Hinc postea natura dicta est a nascendo id omne quod nascitur, et quod terminat ipsam nativitatem ut recte Athanasius lib. De defin. et div. Thomas illa 3. p., ac proinde ipsa rei essentia et partes illam constituentes, quibus scilicet habentibus esse, res primum nascitur et incipit esse, natura dicitur. Unde et Aristoteles 2. Phys. text. 14. ait naturam ut significat generationem, esse viam ad naturam. Ex quo apparet præcipuum significatum hujus vocis esse essentiam rei

[1] Vide Suarez disp. 15. Metaph. sect. 1. a n. 4.

substantialis et ejus partes. Unde Aristoteles 5. Metaph. text. 5. ait primo et proprie dici naturam substantiam eorum quæ in seipsis motus principium habent et tales motus dici naturales, eo quod sint a natura. Definit autem Aristoteles 2. Phys. text. 3. naturam esse principium et causam motus et quietis ejus in quo est primum et per se et non ex accidente; idem habet 2. Phys. text. 84., 9. Metaph. text. 13., 3. Cœli 28. Hæc tamen definitio multas habet difficultates. Primo enim non est essentia naturæ quod sit principium motus, siquidem in essentia materiæ et formæ quæ sunt natura, non includitur ordo ad motum, cum nulla substantia dicat ordinem essentialem ad ullum accidens vel operationem: ergo. Secundo: superflue additur in definitione illa particula *ejus in quo est*, nam forma non minus est natura propterea quod sit principium agendi in alio, quam quod sit activa in suo composito: ergo ut sit natura sufficit si sit principium motus in alio. Antecedens patet, nam tam naturale est igni calefacere, producere sibi simile etc. ac ascendere: ergo forma ipsius tam est natura ut est principium agendi in alio, quam ut est principium motus sursum. Tertio. Contrariorum contrariæ debent esse causæ ex Aristotele 2. De gener. text. 56. Sed motus et quies sunt contraria: ergo natura non potest esse principium et causa utriusque. Quarto. Natura cujusque rei est illius substantia et essentia; sed hominis v. gr. essentia non est anima sed humanitas: ergo nec est natura. Et tamen anima est principium motus in eo in quo est: ergo. Quinto. Natura debet esse principium motus naturalis: ergo Aristoteles addere debuit in hac definitione hanc partem *naturalis*. Sexto denique. Non omne corpus naturale est principium motus, siquidem cœlum empyreum in quo sedes est Beatorum, est immobile. Nam Deus unicuique rei dedit naturam proportionatam fini ad quem creatur; cœlum autem illud creatum est ad finem ad quem non indiget motu, imo potius necessarium erat ut maneat semper immobile. Et certe negari non potest a Deo creari posse corpus aliquod cujus perfectio naturalis esset non moveri sed tantum quiescere: ergo. Quæ argumenta ut dissolvantur et tradita ab Aristotele definitio explicetur

Dico primo. Essentiam naturæ, ut natura est, non includere habitudinem principii ad motum vel quietem, nec per illam constitui intrinsece, et ita esse principium motus non est essentia naturæ, sed est consequens illius essentiam. Ita Fonseca 5. Metaph.

cap. 4. qu. 2. sect. 2. ubi ait naturam quæ hic definitur esse quid absolutum, et a posteriori explicari per causalitatem ad motum. Idem Vicomercatus hic text. 3., Parisiensis, Coloniensis etc. Probatur conclusio primo. Natura substantialis de qua agimus non est aliud quam essentia et partes illius quæ intra latitudinem substantiæ continentur, materia scilicet et forma ut habet Aristoteles 2. Phys. text. 10. et 11. Sed in essentia hujus substantiæ non includitur ulla habitudo ad motum: ergo nec in essentia naturæ. Minor probatur. Nam natura substantiæ corporeæ non respicit per se ipsam operationes, sed per potentias, quia non est principium operationum nisi per suas potentias sive illæ sint identificatæ ipsi substantiæ, sive ab illa distinctæ; principium enim operationis formaliter est potentia operativa. Sed nulla potentia est essentialis substantiæ ut lib. præcedenti cum ageremus de potentia materiæ ostendimus. Ergo principium motus non includitur in essentia substantiæ corporeæ, ac proinde nec in formali ratione naturæ: ergo natura prout natura non constituitur in esse tali per respectum ad motum.

Dices: ordo principii proximi ad motum non est de essentia naturæ, ordo tamen principii primi et radicalis est essentialis. Sed contra est, nam natura solum dicitur principium radicale operationum quia est principium seu radix potentiarum ex quibus operationes nascuntur sive illæ distinguantur ex natura rei ab ipsa natura, sive per solum intellectum, et idcirco dicitur principium operationum, quia quod est causa et radix causæ, est etiam causati. Sed nec forma nec materia constituuntur in esse naturæ per habitudinem principii ad potentiam. Ergo nec per habitudinem principii ad motum.

Quod vero ad essentiam naturæ sequatur quod sit principium motus, docet Aristoteles hic, et probatur a signo. Nam ubicunque natura est, illam comitatur quod sit principium motus, quælibet enim eo ipso capax est alicujus motis, saltem localis: ergo signum est esse proprium naturæ ut sit principium motus, nam ut recte Aristoteles 2. Phys. text. 48. quod semper connexum est alicui, signum est necessario esse connexum. Hæc tamen conclusio est contra Sotum hic qu. 1. concl. 1., Toletum qu. 1. ad 1., div. Thomam hic lect. 1. qui ajunt, formam et materiam, licet ut tales sunt non includant ordinem essentialem et habitudinem principii motus, tamen in esse naturæ constituuntur per istam habitudinem principii essentialiter inclusam in conceptu naturæ ut natura est;

idem fere Conimbricenses hic. qu. 1. art. 1. Unde hi auctores concedunt materiam et formam secundum essentialia sua non includere habitudinem principii ad motum ut argumentum factum ostendit, ajunt tamen includere ut sunt natura. Contra tamen est. Nam ex hoc sequitur nec materiam nec formam essentialiter esse naturam, ac proinde nec compositum esse ens naturale essentialiter. Deinde si materia non est essentialiter natura: ergo simpliciter non est natura, nam ut in Logica disp. 2. De univ. qu. 8. concl. 4. ostendimus, abstracta de abstractis vere prædicari non possunt, nisi prædicatum sit essentiale subjecto; denominative enim prædicari non possunt abstracta, siquidem denominativum omne est concretum, quod a forma in abstracto accipit denominationem.

Ex his patet recte dici a Philopono quem Sotus et Toletus citati reprehendunt, Ferrariensi hic. q. 1., Alberto 2. Physicor. cap. 2. hanc naturæ definitionem allatam ab Aristotele, non esse essentialem, sed descriptivam, definitur enim per effectum quod non accidit in perfecta definitione. Præterea definitur per habitudinem principii ad motum, quæ non est essentialis naturæ. Unde natura nihil aliud est quam essentia et pars essentiæ corporeæ quæ natura dicitur quia per illas intrinsece constituitur et nascitur substantia corporea.

Dico secundo. Natura non solum potest esse principium motus ejus in quo est, sed etiam motus qui fit in alio. Ita Simplicius hic text. 3. et 16., Zabarella lib. De natura cap. 1. Probatur primo. Nam actiones agentium naturalium non minus sunt naturales ut in alio fiunt quam ut in ipsis agentibus; tam enim naturale est igni calefacere, producere sibi simile etc., quam sursum moveri: ergo utraque operatio est a natura. Secundo: Appetitus communicandi esse aliis est naturalis ut sæpe docet Aristoteles: ergo habere principium hujusmodi operationum est maxime naturale ipsis rebus: ergo natura ut natura, est principium mutationis etiam in alio. Confirmatur. Non minus colligitur perfectio naturæ alicujus ex operationibus quas in res alias exercet, quam ex operationibus quas in se habet: ergo natura tam est principium operandi in alio quam in se. Confirmatur secundo. Datur potentia passiva naturalis ad recipiendam actionem causæ efficientis distinctæ: ergo etiam datur potentia activa naturalis in aliud, nam potentiæ passivæ naturali respondet activa naturalis. Ergo potentia naturalis est etiam principium agendi in aliud. Tertio. Virtutes operandi circa alias res

sunt naturales ipsis rebus: ergo et operationes a talibus virtutibus promanantes erunt naturales: ergo forma ut natura est, erit principium harum virtutum seu potentiarum immediate, et operationum mediate. Antecedens patet. Nam posse calefacere est naturale igni: ergo sicut a forma ut natura est provenit posse calefacera, ita etiam ab eadem provenit licet mediate, calefacere. Confirmatur. Nam omnia entia naturalia sunt participationes quædam Dei; sed Deo naturalissimum est ratione suæ bonitatis communicare seipsum: ergo et creaturis.

Sed contra hanc sententiam objiciunt juniores Aristotelem qui in definitione naturæ ponit illam debere esse principium motus ejus in quo est: ergo non principium motus in alio. Deinde 3. Cœli text. 28. naturam ait esse principium motus in eo in quo est, potentiam vero principium transmutandi aliud, quod etiam 5. Metaph. text. 17. habet, et 3. Metaph. text. 13. natura ait est principium motivum, non tamen in alio, sed in ipso prout ipsum. Idem 11. Metaph. sum. 3. cap. 1. — Respondeo recte Aristotelem in definitione materiæ posuisse illam particulam: *ejus in quo est*, nam definitio solum explicare debet id quod necessarium est et sufficit ad rei essentiam explicandam, reliqua vero minime. Ad rationem autem naturæ sufficit et requiritur quod sit principium mutationis rei in quo est, et si hoc solum habeat erit natura, nec necessarium est ad rationem naturæ ut sit principium agendi in alio, quia tota ratio naturæ salvatur in principio passivo seu materia quæ non est principium motus in alio. Similiter licet aliquid sit principium agendi circa aliud, adhuc tamen non erit natura, si non sit principium motus physici vel quietis ejus in quo est. Unde angelus potest movere corpora et tamen non est natura, nec habens naturam eo modo quo hic loquimur de natura, ut scilicet habeat principium motus physici et materialis ejus in quo est. Addit Zabarella per hoc ab arte naturam distingui, quia et ars est principium motus in alio, non tamen nisi per accidens est principium motus ejus in quo est. Ad rationem ergo naturæ necessarium est ut sit principium motus ejus in quo est, et non requiritur ut sit principium motus in alio, si tamen fuerit etiam principium motus in alio, eo melius, hoc tamen non est necessarium ad rationem naturæ, et ideo omittitur in definitione naturæ.

Ex quo etiam patet recte Aristotelem distinguere naturam a potentia, quod natura sit principium motus ejus in quo est, potentia

vero principium transmutandi aliud, quæ tamen distincto eo modo intelligitur quo illa diversitas quam 1. Phys. text. 49. dat intellectus et sensus, quod scilicet intellectus cognoscat universalia, sensus singularia. Neque enim vult intellectum quoque non cognoscere singularia, sed solum vult, hoc habere intellectum supra sensum, quod cognoscat etiam universalia. Ita in præsenti vult Aristoteles potentiam esse principium transmutandi aliud, hoc tamen ad rationem naturæ non esse necessarium, sed sufficere si sit principium motus ejus in quo est, quamvis etiam possit esse principium motus in alio.

Dico tertio. Natura non necessario est principium activum, nec passivum determinate, sed disjunctive activum vel passivum ut recte Zabarella lib. De natura a cap. 2. et maxime cap. 6.; nec necessarium est ut sit principium motus et quietis copulative, sed sufficit ut sit principium motus vel quietis disjunctive. Prima pars est div. Thomæ 1. p. qu. 70. art. 3. ad 4., Soti hic qu. 1. concl. 3. et 4., Fonsecæ 5. Metaph. cap. 4. qu. 1. sect. 3., Pererii lib. 7. cap. 4. — Probatur, nam materia solum est principium passivum motus, et tamen natura est ut docet Aristoteles: ergo. Idem patet ex eorum sententia qui cœlum volunt habere solum principium passivum motus localis. Quomodo autem ex hoc non sequatur, omnem motum esse naturalem, qu. 3. explicabimus. Secunda pars est Fonsecæ cit. sect. 4. Probatur. Nam ut in sexta objectione dicebatur cœlum empyreum immobile est, nec esse principium ullius motus, cujus ratio a priori ibi reddita est; nomine autem quietis non intelligimus solam privationem motus, sed statum et permanentiam in eadem forma, quæ effective conservatur a subjecto quiescente, sicut a subjecto quiescente in aliquo loco conservatur suum ubi. Ex hoc sequitur ad rationem naturæ sufficere ut sit ens capax motus physici, sive talis motus sit naturalis et ad perfectionem entis naturalis spectans, sive non (licet Zabarella lib. De natura cap. 7. solius motus naturalis velit naturam esse principium). Patet hoc tum quia idem est ens naturale et ens mobile; sed ens mobile tantum dicit quod sit ens capax motus sive naturalis sive non: ergo similiter natura. Unde Aristoteles naturam dicit esse principium motus et quietis, non tamen docet debere esse principium motus naturalis. Tum quia ut diximus materia compositi substantialis est natura, et tamen non est principium ullius motus naturalis compositi; si enim principium motus passivum efficere posset

motum compositi naturalem, nullus prorsus esset motus violentus composito, ut late qu. 3. ostendemus.

Dico quarto. Omnia entia corruptibilia sunt principia alicujus motus in seipso; et in universum omnia entia naturalia sublunaria sunt principia alicujus motus saltem in alio. Primum patet inductione. Nam si sint animata, certum est habere principium sensationum, nutritionis, augmentationis etc.; si autem sint inanimata sive simplicia sint sive mixta, naturaliter moventur ad locum proprium si quando ab eo dimoveantur. Et similiter si qualitates illorum naturales a contrario refrangantur, habent vim naturalem reducendi se ad statum sibi convenientem, ut in aqua calefacta patet, et in terra quæ si continuo semine occupetur non potest ita pingues humores frugibus suppeditare, si tamen aliquanto tempore otiosa relinquatur, naturales vires recuperat. Ex quo patet discrimen inter animata et inanimata, nam inanimata solum possunt habere alterationis vel motus localis principium in se; animata vero etiam sensationis etc. Præterea inanimata non moventur etiam motu naturali a seipsis nisi per accidens, cum scilicet sunt extra locum naturalem, vel carent naturali sibi debita qualitate, et talis motus per se est propter quietem in tali termino acquisito. At vero viventia, etiam cum sunt in suo statu perfecto moventur, imo melius et perfectius suas operationes exercent cum sunt in statu perfecto, nec ordinatur motus viventium ad quietem, sed fit propter se, quia scilicet illa operatio est perfectio ipsius viventis ut latius explicatur lib. De anima. Et hoc est discrimen ab Aristotele traditum 8. Phys. a text. 29. inter animata et inanimata. Unde quod inanimata se moveant provenit ex imperfectione, quia scilicet possunt esse extra statum naturalem et debent se ad illum reducere. At in viventibus ex perfectione provenit, quia operatio viventium est perfectio et naturale quasi complementum illorum. — Secundum patet. Omnia enim corpora naturalia etiam cœlestia habent participationem bonitatis divinæ qua possint se aliis communicare, id quod inductione in elementis, mixtis etc. facile ostenditur.

Dico quinto. Recte ab Aristotele definita est natura; quod ut appareat singulæ particulæ definitionis sunt explicandæ. Dicit ergo: naturam esse *principium et causam,* hæ enim particulæ ponuntur loco generis. Pro eodem autem sumitur hic principium et causa ut ait Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 2. sect. 3., vel certe ad

nomen principii additum est nomen causæ ut excludatur privatio quæ principium est non causa ut volunt etiam Conimbricenses hic cap. 1. qu. 2. art. 1. Addit: *motus et quietis.* Per motum ajunt Conimbricenses citati intelligi omnem mutationem physicam etiam instantaneam; intelligitur tamen solus motus physicus et materialis, ac proinde per hanc particulam substantiæ immateriales removentur ab hac definitione naturæ ut etiam Fonseca cit. sect. 4. notavit. Quietis item nomine non solam privationem intelligendam, jam supra notavimus. Præterea particulam *et* non esse copulative sumendam ex dicto tertio patet, sed ad eum modum quo similis particula sumitur cum 2. De anima text. 24. definitur anima quo vivimus, sentimus et intelligimus. Neque enim sensus est omnem animam esse principium sensus et intellectionis. Si autem copulative sumamus, ita debet explicari ut explicat div. Thomas, ut scilicet sensus sit, naturam in iis quæ quiescunt esse principium quietis, in iis quæ moventur motus. Et eodem modo illa definitio animæ intelligitur. Addit: *ejus in quo est* i. e. natura est principium existens in ea re in qua est motus vel quies ab illa proficiscens. Nam ut conclusione secunda explicavi, nisi aliquid sit principium motus physici in se existentis, non erit natura de qua hic sermo est, licet sit principium motus physici in alio. Et ideo causa efficiens ex eo præcise quod sit principium agendi in aliud, non erit natura juxta definitionem Aristotelis, quamvis ratio hujus rei nequeat reddi. Additur denique: *primum et per se et non secundum accidens,* ubi per primum intelligit principale et radicale principium, ut scilicet excludantur a ratione naturæ potentiæ accidentales, quæ etsi sint proximum principium motus, ut v. gr. gravitas lapidis motus deorsum, non tamen sunt primum et radicale ut recte Cajetanus lib. 1. De elem. paulo post medium. Addit denique naturam per se et non per accidens esse motus vel quietis principium, ad excludendas eas artes quæ interdum videntur esse principium motus ejus in quo sunt, ut est ars medica quæ sanat ipsum medicum quod tamen non per se convenit medicinæ, sed per accidens quatenus contingit medicum esse ægrum quem per se sanat medicina. Verum quia per illam particulam *primum* sufficienter excluduntur omnia principia accidentalia operationum, solum majoris claritatis gratia additum est illud „per se et non per accidens“, quamvis Conimbricenses et Fonseca aliter sentiant, vel certe si tanquam necessariæ particulæ admittantur, debent in defi-

nitione intelligi ac si positæ essent ante particulam *primum* ut Conimbricenses et Fonseca notant, ita ut per particulam *per se* etc. solum rejiciantur accidentia quæ sunt principia operationum et motus in eodem subjecto in quo sunt ipsa, licet ex accidente; postea vero per particulam *primum*, omnia in universum accidentia excludantur a ratione naturæ. Et ex his explicata et probata manet conclusio. Cum enim nulla desit nec superflua sit particula in hac descriptione, probata censeri debet, licet ut conclusione prima diximus, non sit essentialis sed per proprietatem.

Dico sexto. Natura in communi si per essentialia definiatur, apte hunc in modum definiri potest, ut scilicet sit vel compositum quod nascitur, vel pars ex qua intrinsece nascitur compositum quod dicitur constare natura. Nam ut qu. 2. dicetur revera non tantum partes, sed et ipsum compositum natura est et ens naturale. Quod tamen de natura physica duntaxat intelligi volo, nam res immateriales et quæ non componuntur ex partibus essentialibus aliam naturam non habent quam ipsam essentiam. Ex his ad argumenta initio facta facile est respondere.

Ad primum patet ex conclusione prima, illam non esse definitionem essentialem. Ad secundum patet ex dicto secundo. Ad tertium respondeo: quietem naturalem non opponi motui etiam naturali, imo est terminus illius. Solum ergo quies in termino *a quo* opponitur motui, non vero quies in termino *ad quem* ut docet Aristoteles 5. Phys. text. 54., ac proinde solam quietem violentam opponi motui naturali. Ad quartum respondeo. Formam esse naturam non quidem completam sed incompletam et physicam. Sciendum enim est, aliter considerari naturam a physico et metaphysico. Nam metaphysicus naturam vocat totam essentiam completam respectu suppositi; at vero physicus naturam vocat non totam essentiam, sed quamlibet partem constituentem essentiam. Ad quintum patet ex dicto 3. non esse de ratione naturæ ut sit principium motus qui naturalis sit respectu compositi physici. Ad sextum late Fonseca lib. 5. cap. 4. qu. 2. sect. 5. et 6. Ego breviter existimo, fieri posse a Deo corpus natura sua perfectum suis proprietatibus et in loco suo immobiliter manens, et incorruptibile, ita omnibus suis partibus consumatum ut motu non indigeat nec propter se, nec ut in alia influat, sive sit hujusmodi cœlum empyreum, sive non. Tale autem corpus quoniam esset principium quietis, natura esset ut dicto 3. ostendi.

Ex his resolvi potest alia quæstio quam juniores tractant hoc loco, an scilicet possit demonstrari quod detur natura in communi. Dixi in communi, nam in particulari probari potest quod detur materia prima et forma ut 1. Phys. probavimus, et quod ista sint natura mox probabimus. Aristoteles enim text. 6. ait ridiculum esse velle probare naturam esse, cum id sit manifestum. Ego existimo quod licet non sit necessarium demonstrare dari naturam, tam enim id certum est, ac certum est dari motum, siquidem nihil aliud est natura nisi principium motus. Et præterea licet verum sit non posse a priori demonstrari naturam dari, nihil enim prius est per quod demonstretur, a posteriori tamen demonstrari potest hoc modo. Natura nihil aliud est quam principium motus; sed datur principium motus: ergo et natura. Minor evidens est. Nam datur motus aliquis, ut per sensum clarum est: ergo cum hic motus non sit a se et ex se, habebit principium cujus vi fiat. Si quis autem diceret, etiam a priori posse demonstrari quod detur natura per definitionem ejus essentialem, non improbabiliter sentiet.

QUAESTIO SECUNDA.

An materia et forma et compositum sint natura.

Explicata formali ratione naturæ, videndum est quæ res formaliter sint natura.

Prima sententia est Porphyrii apud Simplicium hic text. 16. et aliorum dicentium, naturam esse solam essentiam completam substantiæ corporeæ, ejus vero partes improprie dici naturam. Fundamentum est, nam solemus dicere naturam hominis esse non materiam, quam solum dicimus includi in natura hominis, sed animam et corpus unita: ergo. Et videtur id velle Aristoteles 5. Metaph. cap. 4. Ex dictis inquiens prima et quæ proprie dicitur natura est substantia eorum quæ in seipsis motus principium habent, materia autem eo quod hujus est susceptiva dicitur natura.

Secunda sententia est Scoti citati a Conimbricensibus hic cap. 1. qu. 3. art. 1., Fonsecæ 5. Metaph. cap. 4. qu. 2. sect. 3., Simplicii apud Zabarellam lib. De natura cap. 3. qui putant solum principium passivum motus esse naturam, et ita ipsam etiam formam eatenus duntaxat esse naturam quatenus est principium passivum motus. Alii vero volunt solam formam esse naturam,

non vero materiam, ac proinde principium passivum motus non esse naturam, cum quibus sentit etiam Zabarella libr. De natura. Licet enim cap. 5. et 6. ostenderit etiam principium passivum motus esse naturam, capite tamen 7. ait solam formam esse naturam, non vero materiam, quia ut in fine cap. 6. dixit, non quodcunque principium passivum motus est natura, sed solum illud quod coarctatum est ad unum motum et non indifferens ad plures; coarctatur autem a forma et determinatur ait cap. 7. potentia materiæ indifferens. Quomodo autem forma sit passivum principium motus, ibi explicat. — Probatur. Tum quia Aristoteles 5. Metaph. cap. 4. id innuit ubi substantiam seu formam ait esse naturam, materiam vero solum dici naturam metaphorice eo quod sit susceptiva illius. Tum quia ut arguit Zabarella cap. 6. si principium passivum motus est natura: ergo cum motus naturalis sit ille qui est a natura, omnis omnino motus subjecti erit naturalis et nullus violentus; nullus enim est motus in aliquo subjecto cujus subjectum et principium materiale non sit id quod movetur. At hoc est absurdum. Ergo.

Dico primo. Licet sit valde conforme usui vocis naturæ, ut ipsum compositum substantiale dicatur natura, Aristoteles tamen hoc loco solam materiam et formam vocat naturam, compositum vero non naturam, sed rem natura constantem vocat. Primum docet Fonseca cit. qu. 1. sect. 3. et patet ex argumento primæ sententiæ, et præterea quia revera etiam compositum est terminus generationis, est principium motus etc. Secundum patet, nam Aristoteles hic text. 12. compositum ex materia et forma ait non esse naturam, sed a natura. Unde solum partes ex quibus intrinsece constituitur et nascitur substantia corporea vocat hic naturam Aristoteles. Accipit enim naturam ut distinguitur ab ente constante natura, totum autem compositum ita est natura ut simul etiam constet natura, scilicet materia et forma. Unde 5. Metaph. cap. 4. etiam ipsam substantiam integram naturam vocat. Ait enim naturam esse quod ex ambobus his, materia scilicet et forma est, ut animalia et partes eorum, et deinde subdit et materiam esse naturam, et formam et substantiam, hæc enim est ait generationis finis, ubi per substantiam nec materiam nec formam jam enumerata intelligit, sed compositum quod est finis generationis. Ex quo constat arbitrarium esse quod solæ partes constituentes compositum vocentur natura, cum etiam compositum natura sit et ens naturale.

Dico secundo. Tam materia quam forma sunt natura proprie. Ita Sotus hic qu. 1., Toletus qu. 1. ad 5., Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 2. sect. 2. ubi omnem materiam et omnem formam ait esse naturam, Conimbricenses cit. art. 2., favet div. Thomas 1. p. qu. 29. art. 1. ad 4. et qu. 70. art. 3. ad 4., Scotus etiam 2. dist. 8. qu. unica ait, æque materiam ac formam esse naturas. Est Aristotelis 2. Phys. text. 21. nam ait esse duplicem materiam et formam, et illo 5. Metaph. cap. 4. utramque vocat naturam, et 1. De part. animalium cap. 1. materiam vocat naturam. Ratione probatur. Nam materia est principium passivum motus ejus in quo est, et pars essentiæ illius sicuti forma: ergo est natura. Ratio a priori hujus conclusionis est, nam natura non constituitur in esse naturæ per habitudinem ad motum, sed solum per hoc quod sit pars essentialis ex qua intrinsece nascatur compositum, vel ipsum compositum quod nascitur. At hoc convenit omni materiæ et formæ: ergo. Nec argumenta allata urgent. Ad secundum enim quæstione sequenti respondebitur, ubi propter hoc argumentum explicabitur quid necessarium sit ad hoc ut motus aliquis dicatur naturalis. Ad primum respondeo. Aliud esse id a quo vox imponitur ad aliquid significandum, aliud vero quod significat ut qu. 1. procemiali in Logicam diximus ex div. Thoma. Lapis enim sic vocatur a lædendo pedem, non tamen omne quod lædit pedem lapis est; ita ergo natura a nascendo dicitur, non tamen significat primo nascentiam, sed id quo intrinsece nascitur aliquid. Si tamen consideremus id a quo vox naturæ primo imposita est, sola forma est natura, quia cum producitur compositum, illa sola nascitur, non materia. Et ideo Aristoteles dixit formam esse naturam, materiam quasi metaphorice, scilicet in eo a quo vox natura imposita est; in illo enim non conveniunt univoce materia et forma, in eo tamen ad quod significandum vox natura imposita est univoce conveniunt, quod scilicet sint principium essentiale rei quæ nascitur.

Ex hac conclusione constat, non solum formas corruptibiles sed etiam incorruptibiles, quales existimant multi dari in cœlis, et omnes concedunt in homine, esse vere naturas. Unde anima rationalis est vere natura ut Conimbricenses 2. Phys. cap. 1. qu. 4., Pererius lib. 7. cap. 11. etc. Revera enim et hujusmodi formæ sunt partes essentiales ex quibus intrinsece nascitur compositum, et præterea sunt principium motus vel quietis, nam anima

rationalis est principium nutritionis, augmentationis, motus localis etc. — Dices Aristoteles 2. Phys. text. 12. ait formam quæ est natura, non esse separabilem nisi secundum rationem; at anima rationalis seipsa separabilis est. Et 1. De part. anim. cap. 1. docet non esse philosophi naturalis agere de anima rationali; at si esset natura esset ipsius: ergo. Respondeo Aristoteles solum vult ut plurimum agere physicum de forma inseparabili, nam alias text. 26. docet etiam de forma separabili agere saltem aliqua ratione. Illo vero 1. De part. solum vult animam quatenus est independens a materia in operationibus non spectare ad considerationem physicam ut explicant Conimbricenses et alii. Constat etiam ex dictis non solum principium passivum motus esse naturam, sed etiam activum, nam tota naturæ definitio illi convenit, nec minus naturale est rebus constantibus natura agere, quam pati. Nam v. gr. animalibus naturale est ab interno principio activo se movere, imo ut qu. præcedenti diximus etiam agere in aliud naturale est rebus.

Dico tertio. Etiam essentia completa substantialis dicitur natura suppositi cujus est essentia, ut recte Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 1. sect. 3. Nam dicere solemus hanc esse v. gr. naturam angeli, Christum assumpsisse naturam humanam i. e. compositum ex materia et forma. Ratio est, nam sicut ex materia et forma componitur integra essentia, ita ex completa essentia et subsistentia componitur suppositum substantiale, sive hæc compositio sit ex natura rei ut in rebus creatis, sive per intellectum ut in Deo; nam et in divinis ex natura et personalitate constituitur persona. Sicut ergo materia et forma sunt natura, quia per essentialem compositionem res nascitur ex illis, ita essentia completa est natura suppositi, quia per compositionem cum subsistentia, suppositum constituitur et nascitur ex ea. Verum tamen est, licet subsistentia componat suppositum, non dicitur natura, quia est modus naturæ et nascitur ex composito substantiali. Unde sola essentia completa vocatur natura, non vero subsistentia vel suppositum, quod secus accidit in compositione physica, nam ut dixi non sola materia et forma, sed etiam compositum ex illis constans natura dici potest. Partes etiam integrantes, licet componant totum non dicuntur natura, forte quia res non nascitur ex his partibus, sed quasi integratur et augetur. Et ex his etiam constat, partes compositi accidentalis, in diverso genere compositionis dici posse naturam talis compositi. Ratio est, nam natura non est aliud quam

res ex qua intrinsece nascitur aliud; sed compositum accidentale constituitur ex subjecto et accidenti, nec minus nascitur ex suis partibus, quam compositum substantiale ex suis, materia scilicet et forma: ergo partes compositi accidentalis dicuntur natura. Constat etiam ex dictis, materiam et formam univoce convenire in ratione naturæ. Nam natura nil aliud est quam res ex qua nascitur intrinsece aliquid et formaliter constituitur per hoc quod sit principium intrinsece constituens aliud. Sed esse principium intrinsecum alterius æque convenit materiæ et formæ. Similiter composito substantiali convenit esse principium internum alterius, et esse id ex quo nascitur suppositum. Verum tamen est naturam non esse univocum quid naturis substantialibus et accidentalibus, quia substantiæ et accidenti nihil est commune univocum.

QUAESTIO TERTIA.

Quid sit necessarium ut aliquis motus dicatur naturalis vel violentus.

Explicavimus quid sit natura, nunc videndum est quis motus sit secundum naturam, seu naturalis, id enim petebat argumentum secundum eorum qui solam formam volebant qu. præcedenti esse naturam. Supponendum autem est, variam esse acceptionem hujus vocis *naturale*. Sumitur enim primo ut opponitur supernaturali, et hoc modo naturale dicitur totum id quod potest produci, vel petitur connaturaliter a natura creata ut producatur, quomodo anima rationalis, quia producitur postulantibus ejus productionem dispositionibus quæ sunt in materia, dicitur naturalis; et eodem modo naturalis dicitur omnis motus vel effectus postulatus a natura. Secundo naturale dicitur ut opponitur animali, quo modo motus naturalis distinguitur ab animali, eo quod sine cognitione et appetitu elicito producatur. Tertio naturale dicitur ut opponitur libero, et hoc modo naturale dicitur quod necessario producitur. Quarto dicitur naturale quod naturam comitatur a nativitate, quomodo dicimus hanc vel illam esse hujus hominis naturalem complexionem, et hoc sensu naturale opponitur accidentario post nativitatem. Quinto naturale dicitur quod accidit secundum communem naturæ cursum, temporibus a natura destinatis, quomodo naturale dicitur

homini senescere, mori etc. qua significatione utitur Aristoteles 5. Phys. text. 51. et 58. Sexto naturale dicitur alicui quod est secundum naturalem ejus inclinationem, ut lapidi descendere, quo pacto naturale opponitur violento.[1] Ex quibus patet, quod licet compositum naturale dicatur eo quod natura constet, cetera tamen omnia solum naturalia dicuntur propter habitudinem aliquam ad naturam. Jam igitur cum satis clarum sit, quid requiratur ad hoc ut aliquid dicatur naturale quinque primis modis, solum controversia est quid sit necessarium ut motus dicatur naturalis, quatenus naturale opponitur violento, et an sit aliquis motus nec naturalis nec violentus, sed medius. In qua re

Prima sententia est, ad motum naturalem sufficere principium passivum naturale illius, atque adeo nullum esse motum corporeum omni ex parte violentum, quia semper in eo quod movetur est potentia passiva ad motum. Ita Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 2. sect. 8. et Scotus apud Zabarellam lib. De natura cap. 8. Ratio est, tum quia motus naturalis est qui fit a natura; sed cum natura concurrit passive vere motus fit a natura tanquam a causa materiali: ergo. Tum quia nisi hoc concedatur motus cœli non erit naturalis: ergo.

Secunda sententia est, nullum esse motum naturalem nisi active procedat a natura; ita Vallesius cit. qu. præcedenti in secunda sententia. Probatur, tum quia nisi hoc dicamus nullus omnino dabitur motus violentus, cum nihil moveatur quod non habeat potentiam passivam, ac proinde principium passivum talis motus. Tum quia violentum est quod fit ab extrinseco nullam vim conferente passo ex Aristotele 3. Ethic. cap. 1.: ergo naturale est quod fit ab intrinseco, inclinante scilicet ad illud.

Dico primo. Ut aliquis motus sit naturalis, non requiritur ut proveniat a principio activo interno, nec sufficit provenire a principio passivo, nisi in principio passivo sit innata inclinatio ad eum motum. Ita Scotus 2. dist. 18. qu. 1., Sotus 2. Phys. qu. 2., Toletus qu. 2. et 3., Pererius lib. 7. cap. 7., favet div. Thomas 1. p. qu. 70. art. 3. ad 4. ubi motum cœli dicit naturalem esse propter principium passivum. Primum probatur; tum quia Aristoteles motum cœli putavit esse naturalem, et tamen fieri ab intelligentia, et non a principio activo interno. Tum quia si ad hoc ut aliquis motus

[1] Cajetanus qu. 2. De anima separata art. 2. concl. 2. ait ut aliquid sit violentum debere fieri contra principium intrinsecum effectivum.

sit naturalis debet fieri a principio activo ejus in quo est, sequitur nullam generationem, nec ullam alterationem esse motum naturalem, quia in re quæ alteratur et generatur non requiritur nisi principium passivum talis motus. Sicut ergo generatio dicitur materiæ naturalis, et forma producta per generationem naturalis dicitur materiæ, quamvis materia non producat illam, ita in universum ut aliquid dicatur naturale alicui, non est necesse ut sit principium activum illius. Ratio a priori est, quia forma vel motus naturalis dicitur, ad quam res naturaliter habet inclinationem; sed non potest habere naturalem inclinationem ad aliquid etiam si non sit princípium activum illius, nam materia formam, forma appetit materiam, et tamen non sunt principia activa mutuo.

Secunda pars conclusionis patet. Nam nulla est forma, nec ullus motus qui passive non proveniat a subjecto, ut ex terminis patet, et tamen multi dicuntur motus violenti et præternaturales: ergo. Ratio a priori est, nam forma vel motus naturalis dicitur ad quem res habet inclinationem naturalem; sed principium passivum et ejus causalitas inveniri potest sine naturali inclinatione ad motum vel affectionem quam causat; nam gravitas lapidis et ejus forma subjectat in se motum sursum quando projicitur sursum, et tamen in gravitate et forma lapidis non est inclinatio ad motum sursum; imo ei resistunt, ac proinde talis motus est violentus. Ergo non sat est ad motum naturalem esse in subjecto principium passivum motus, sed debet esse naturalis inclinatio in re ad motum. Unde motus violentus dicitur qui est contra inclinationem et perfectionem subjecti, et ideo quia grave inclinatur deorsum, ejus motus sursum violentus est. Similiter motus hominis deorsum e loco superiori decidentis violentus est, quia per eum destruitur perfectio hominis, licet gravitati hominis sit naturalis talis motus. Et e contra motus simpliciter naturalis dicitur si sit secundum inclinationem totius, licet respectu alicujus qualitatis non sit naturalis, ut motus progressivusdicitur homini naturalis, licet elevatio pedis, qui est gravis, non sit omnino naturalis.

Dico secundo. Datur motus aliquis præternaturalis, quasi medius, qui nec sit naturalis subjecto, nec tamen resistat illi subjectum, qualem putant multi esse motum cœlorum, et motum circularem ignis. Ita Conimbricenses citandi in fine quæstionis. Qui autem motus sint naturales, violenti, vel medii, ex termino motus pensari debet. Si enim res appetit illum terminum, consequenter appetit et

viam ad illum; si repugnat terminus, et motus repugnabit; si denique nec appetit nec repugnat, motus erit præternaturalis. Sic materiæ si secundum se spectetur præternaturalis est motus sursum, quia non magis inclinatur ad hoc ubi, quam ad illud; eodem modo quantitati præternaturalis est calefactio etc., licet materiæ ut informatæ gravitate, et quantitati ut subjectatæ in materia aquæ sint violenti illi motus, quia ratione illorum determinantur ad hoc potius, quam ad illud. Cum ergo materia secundum se non sit magis inclinata ad has formas quam ad contrarias, sed contenta sit forma quam habet atque adeo etiam ejus dispositionibus, non intelligitur inclinata ad aliam formam, siquidem contenta est ea quam habet nec dicitur appetere formam nisi quia habet potentiam passivam ad illam, idcirco non est naturalis talis motus materiæ quæ non habet inclinationem ad hanc formam potius quam ad contrariam. Quod si generatio formæ dicitur naturalis respectu materiæ, id propterea est, quia postquam introductæ sunt dispositiones cum quibus manere non potest forma quam possidet materia, ne sine ulla forma maneat, postulat generationem formæ, sed ad id cogitur a dispositionibus contrariis, cum ipsa contenta esset forma quam habet. Unde materiæ non est naturalis generatio solum propter inclinationem ad formam in communi, materia enim propter hanc inclinationem ad formam in communi non appetit generationem, si enim non cogeretur formam quam habet deserere, non postularet generationem. Unde hanc postulat, quia cum ad formam in communi sit inclinata, per dispositiones determinatur ad amittendam formam quam habet, et ita cogeretur sine omni forma manere si generatio non adveniret. Sicut ergo sola illa inclinatio ad formam in communi non facit generationem esse petitam a materia, ita sola inclinatio ad ubi non facit a materia peti locum sursum quando est conjuncta cum gravitate. Et ex alia parte materia quæ postulat præsentiam vel dispositionem ad formam, non potest intelligi coacta ad deserendam præsentiam vel dispositionem quam habet ante motum localem et alterationem, ideo non potest intelligi postulans novum motum, contenta enim est materia qualibet præsentia et qualitate. Ergo non intelligitur appetens motum antequam ab aliqua causa cogatur ad deserendam formam in qua quiescebat. Et nisi hæc omnia dicamus, concedi debet omnem motum esse naturalem ut volebat Fonseca, siquidem est secundum inclinationem passivam etiam formæ substantialis, ex alia vero

parte ostendimus non requiri ad motum naturalem ut hic fiat a principio activo.

Ex his ad primum Fonsecæ respondeo: motus naturalis debet fieri secundum inclinationem naturæ, ad hoc autem non sufficit potentia passiva apta recipere talem motum, ut dixi. Ad secundum. Quid de motu cœli sentiendum sit, alibi dicetur. Si enim cœlum moveatur a propria forma, facile est explicare quare sit motus ipsius naturalis; si autem moveatur ab intelligentia, vel erit præternaturalis, vel naturalis eo quod sit inclinatum ad talem motum necessarium ad hoc ut possit ex vario siderum oppositione, conjunctione etc. varias operationes exercere, quas non posset si stabile permaneret.

Ad primum secundæ sententiæ. Ad motum naturalem non sufficit potentia passiva nisi adsit inclinatio ad talem motum. Ad secundum. Scotus 4. dist. 29. qu. una, Medina 1. 2. qu. 6. art. 5. ad 1. etc., ita illam definitionem explicant ut illud *nullam vim conferente passo,* idem sit ac dicere repugnante passo, ita ut coincidat cum alia definitione data ab Aristotele 2. Moral. ad Eudemum cap. 9. ubi violentum esse dicit quod fit ab extrinseco contra naturalem impetum. Alii vero volunt illa definitione definiri motum omnem qui non est naturalis, etiamsi sit præternaturalis, hac vero posteriori, solum motum proprie violentum, ut scilicet distinguitur etiam a præternaturali. Sæpe enim Aristoteles violentum motum sumit illa largiori significatione, ut cum 8. Phys. text. 27. dividit motum in violentum et naturalem. Sed quoquomodo explicetur, concedo motum naturalem debere fieri secundum inclinationem ejus quod movetur, ex hoc tamen non sequitur quod debeat esse principium activum talis motus.

Disputant hoc loco aliqui, an motus a solo Deo proveniens contra naturalem inclinationem rerum sit violentus. Cajetanus enim 1. p. qu. 82. art. 1., Conradus 1. 2. qu. 6. art. 4. negant esse violentum, sicut et Sotus hic qu. 2. art. 1., Pererius lib. 7. cap. 9. Ratio illorum est, quia omnis creatura habet potentiam obedientialem respectu Dei ad quemcunque motum et effectum: ergo a Deo nil recipit contra inclinationem. Confirmatur. Nam si Deus auferat gravitatem lapidi, non erit violentum illi detineri in loco superiori vel moveri sursum: ergo multo minus erit violentum detineri sursum si Deus deneget concursum suum ad motum deorsum.

Ego vero existimo quidem ea quæ Deus facit in rebus secundum capacitatem obedientialem citra repugnantiam naturæ, violenta non esse sed præter vel supra naturam, ut docet Suarez 3. p. tom. 1. disp. 8. sect. 3. sub medium; si tamen aliquid faciat Deus in rebus secundum capacitatem obedientialem contra naturalem illorum inclinationem, optime docet Medina 1. 2. qu. 6. art. 4. talem motum esse violentum. Ratio est quia grave secundum propriam suam essentiam inclinatur deorsum: ergo contra inclinationem propriæ essentiæ movetur sursum et detinetur superius: ergo violenter. Ad rationem in contrarium respondeo. Cum illa potentia obedientiali potest in creatura esse naturalis inclinatio et conatus ad oppositum, quod sufficit ad motum violentum. Ad confirmationem. Sublata gravitate non habebit lapis inclinationem ad motum deorsum, proinde non detinebitur violenter. At sublato concursu Dei remaneret gravitas quæ est principium internum inclinans ad motum deorsum, quamquam dici potest etiam gravitate sublata adhuc violenter detineri lapidem, quia est contra inclinationem formæ substantialis. An vero sicut datur motus medius inter naturalem et violentum, detur etiam potentia aliqua neutra in Metaphysica explicatur, de quo videri possunt Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 12. art. 4.[1]

Disputatio II.

DE CAUSIS IN COMMUNI, ET EARUM TAM INTER SE QUAM CUM EFFECTIBUS COMPARATIONE.

De causis egit Aristoteles variis in locis. Nam imprimis hoc 2. Phys. a text. 27. ad 39. agit de causis in communi, deinde usque ad textum 69. explicat numerum causarum, in 2. vero Metaph. cap. 2. quoniam dixerat, Metaphysicam altissimas causas contemplari, ostendit dari hujusmodi supremas causas, probans in quolibet genere causæ veniendum esse ad causam supremam. In 5. Metaph. cap. 2. solum enumerat varias acceptiones causæ, libellus vero

[1] In manuscripto sequitur hic quæstio quarta De discrimine artis et naturæ, in qua plures quæstiunculæ resolvuntur, v. gr. an aurum ex plumbo vel alia simili materia per artem produci possit. Quia tamen tota hæc quæstio magis curiosa quam utilis est, et auctor ipse eam in margine omittendam dicit, ideo omisimus eam.

De causis non videtur esse Aristotelis ut recte notat Franciscus Patricius lib. 3. Discussionum peripat. et lib. 4. in fine, quia multa continet dogmatibus Aristotelis repugnantia. Cum igitur tam variis in locis egerit Aristoteles de causis, disputant auctores quænam scientia de causis in universum agere debeat. Et licet verissimum sit, agere de causis in communi ut causa comprehendit etiam ea quæ operantur sine motu, ad Metaphysicam spectare quæ abstrahit a motu ut docet Soto hic qu. 3., Averroës 2. Metaph. com. 6. et Fonseca 2. Metaph. cap. 7. qu. 1. sect. 1., nihilominus tamen certum est etiam ad physicum spectare considerationem causarum naturalium et in communi et in particulari ut docet Aristoteles 2. Phys. text. 70. Dixi *naturalium* i. e. causarum ut jam determinatæ sunt ad modum agendi certum, qui est causare in subjecto materiali et per motum. Ratio est quam tradit Aristoteles 2. Phys. text. 27., 8. Metaph. text. 12. Nam physicus explicare debet omnes causas corporis naturalis, scire enim non posset suum objectum nisi per causas: ergo cum hanc cognitionem causarum aliunde mutuari non possit, (Physica enim præcedit ordine doctrinæ Metaphysicam) debet physicus causas considerare. Et idcirco nusquam copiosius egit Aristoteles de causis, quam in Physica. Hoc posito sit:

QUAESTIO PRIMA.

Quae sit propria ratio causae in communi.

Supponimus tanquam certum dari aliquas causas. Multæ enim res de novo incipiunt esse ut ex perpetua rerum vicissitudine, alteratione et generatione patet, ac proinde recipiunt suum esse ab alio, illud autem vocamus communiter causam a quo res suum esse recipit. Præterea 1. Phys. ostendimus dari materiam et formam, et disp. 3. ostendemus dari causas efficientes etiam creatas. Solum ergo controversia est, an aliqua ratio communis omnibus causis assignari possit, et quænam illa sit. Omnibus inquam causis veris et realibus, nam de causis virtualibus, qua ratione immensitatem Dei esse causam immobilitatis localis etc. diximus, hic non agimus. Et quidem omnes fatentur, nomen causæ et ejus rationem communem esse omnibus causis, ideoque omnes conati sunt communem quandam rationem causæ, seu descriptionem adferre.

Zimara ergo in Tabula verbo causa ait, causam esse ad cujus esse sequitur aliud, quam definitionem colligit ex Aristotele 5. Metaph. text. 2. et eam defendit Soto hic qu. 3. ad 4., Toletus qu. 7., impugnat tamen Vallesius hic qu. 13. Nam multa sunt quæ sequuntur alia et tamen non sunt causæ illorum, ut mutatio sequitur privationem, post instans sequitur motus, post punctum linea etc., et tamen punctum non est causa lineæ. Verum si hæc descriptio ita intelligatur ut eam explicat Toletus, ut scilicet illud *sequitur* idem sit quod procedit vel emanat, non est diversa nisi solo nomine ab ea quam assignabimus. Nec ab illa differt descriptio causæ quam dat Simplicius 2. Phys. in text. 91. ubi causam ait esse id quo posito sequitur effectus. Breviter igitur

Dicendum est, quod licet Aristoteles nusquam definiverit causam in communi ut annotat Pererius lib. 8. cap. 1., Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 1. sect. 3., hoc tamen modo posse definiri, ut causa dicatur esse id omne quod alteri communicat esse seu entitatem.[1] Cum ista coincidit definitio altera allata a Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 1. sect. 3. ubi ait: causam esse a quo aliquid per se pendet, quæ est etiam Conimbricensium 2. Phys. cap. 7. qu. 1. art. 1. Dixi *quod alteri;* causa enim debet esse distincta ab effectu, ac proinde natura et entitas effectus diversa esse debet a natura et entitate causæ, ex quo fit ut recte docet Fonseca citatus, Patrem in divinis, licet dicatur principium filii ut diximus 1. Phys. disp. 1. qu. 1., non tamen dici causam, quia omnium personarum divinarum una et eadem numero est natura et essentia, quam etsi Pater communicet Filio, non tamen producit, nec natura recipit esse suum a Patre. Dixi *communicat,* ut distinguatur causa a principio. Principium enim solum exigit ut sit id unde aliqua ratione vel ordine est aliud, causa vero debet effectui dare esse, seu debet esse id unde est aliud, ita ut accipiat suam entitatem ab illo, et ideo causa differt a principio tanquam inferius a superiori ut docet div. Thomas 1. p. qu. 33. art. 1. ad 1., Aristoteles 5. Metaph. text. 1., Soncinas 5. Metaph. qu. 1., Fonseca 5. Metaph. cap. 1. qu. 7. sect. 1.

[1] Suarez disp. 12. sect. 2. n. 3. habet: causa est principium per se influens esse in aliud, seu dans esse alteri. Dixit *influens etc.* nam ut n. 6 notat ad causalitatem necessarium est ut illud esse quod causa communicat sit causatum et consequenter distinctum a proprio esse causæ. Causa enim materialis et formalis dant esse composito, esse autem compositi diversum est ab esse partium. Efficiens etiam et finis diversum esse dant In divinis vero personæ productæ communicatur idem esse numero quod est in producente. Causa ergo essentialiter diversa est ab effectu, ideoque Pater in divinis non est causa filii.

Verum ut hæc definitio intelligatur et explicetur quomodo singulis causis conveniat, sciendum est, dupliciter aliquid posse communicare entitatem alteri. Primo ita ut suum intrinsecum esse illi tribuat; secundo ut tribuat illi esse aliquod distinctum a se, et quocunque horum modorum communicet esse alicui, sufficit ad rationem causæ; illa tamen quæ primo modo communicant esse, dicuntur causæ intrinsecæ, quæ secundo, extrinsecæ. Et hæc est prima divisio causæ. Quia vero suum intrinsecum esse alteri dupliciter potest aliquid tribuere, vel ita ut sit pars illius cui se tribuit, et aliquid essentialiter inclusum in essentia ejus, quomodo materia et forma tribuunt se composito; vel ita ut non fiat pars ejus cui se tribuit, nec aliquid inclusum essentialiter in eo, qua ratione accidens tribuit se subjecto, forma materiæ. Illud quod tribuit suum esse alteri secundo modo non dicitur causa intrinseca illius cui se tribuit, quia revera non tribuit esse intrinsecum illi cui se communicat, sed potius tribuit illi aliquod esse distinctum a se ipso, et ita accidens tribuens se subjecto non dicitur causare subjectum intrinsece, sed tantum causare v. gr. album. Id autem quod primo modo se communicat dicitur causa et causare, quomodo materia dicitur causa compositi. Illud autem quod communicat esse secundo modo, ita scilicet ut esse causæ sit diversum ab esse effectus, nec in eo includatur esse causæ, debet esse tale ut ab eo dependeat effectus. Neque tamen quælibet dependentia unius ab altera sufficit ad hoc ut aliquid dicatur causa. Si enim dependentia sumatur ita ut comprehendat ea omnia quæ ita sunt necessaria ad esse alterius ut sine eo non esset, certum est talem dependentiam non sufficere ad hoc ut dicatur causa id a quo dependet, tum quia relatio non potest esse sine suo termino, et tamen terminus non est causa relationis ut ostendimus disp. De relatione. Solum ergo illa dependentia sufficit ad rationem causæ qua dependet aliquid ab alio eo quod in alio sit potentia exercens aliquem actum circa illud, qua ratione res dicitur pendere a Deo. Verum, quia perfecte intelligere non possumus quid sit aliquid habere potentiam per quam exerceat actum aliquem circa rem, ideo nec plene possumus intelligere hunc modum dependendi unam rem ab alia, qui arguit aliquid esse causam, licet certo intelligamus hunc esse modum dependendi unam rem ab alia, a quo una res dicitur effectus, alia causa.

Ex dictis sequitur primo: conditionem sine qua non, non esse causam effectus. Licet enim tales conditiones necessariæ sint ad

hoc ut aliquid sit in rerum natura, idque vel propter imperfectionem agentis, qua ratione applicatio ignis necessaria est ad hoc ut comburat, eo quod ignis non possit agere in quamcunque distantiam; vel quia natura ipsius effectus talis est ut quamvis non recipiat suum esse ab illo non possit tamen esse sine illo, qua ratione infra ostendemus nullam rem posse esse sine ubi et duratione, nec relationem sine termino, nec quantitatem sine figura. Licet inquam tales conditiones necessariæ sint ad hoc ut res existat, quia tamen conditio sine qua non nullam habet virtutem qua sit potens exercere aliquem actum in effectum sine quo effectus esse non possit, idcirco non est causa. Nam v. gr. ubi nullam habet potentiam exercendi aliquem actum circa terminum productum.

Sequitur secundo. Dari aliquam rationem communem quatuor illis vulgatis causarum generibus, ut recte Suarez disp. 12. sect. 2. n. 12., quod scilicet dent esse alicui. Nam quod hæc ratio communis sit omnibus, patet. Causa enim efficiens certum est quod det esse effectui. Causa similiter finalis non est conditio respectu ejus quod ab illa pendet. Licet enim non causet realiter influendo in effectum, et communicando illi physice et per actionem realem esse, tamen sua bonitate apprehensa est potens determinare voluntatem ut hæc illi adhæreat per amorem. Materia etiam et forma cum intrinsece communicent esse composito, erunt causæ illius. An vero materia sit etiam causa formæ et forma materiæ, vel solum conditio sine qua non; et si causa est, an sit causa intrinseca materia respectu formæ, vel potius extrinseca etc., inferius disp. 4. explicabimus. An vero hæc ratio causæ, ac proinde causa univoce dicatur de his quatuor causarum generibus qu. sequenti dicetur. Apparet etiam ex dictis, male Pererium lib. 8. cap. 1. rejicere hanc definitionem causæ allatam a nobis, propterea quod materia non communicet esse, sicut nec finis. Ostendimus enim quomodo materia communicet esse, et similiter quomodo finis. Materia enim causat compositum intrinsece et dat illi entitatem.

Dices: materia et forma causando non conferunt esse distinctum a se; at esse causæ et effectus debet esse diversum ut diximus: ergo. Respondeo: ut 1. Phys. disp. 4. qu. 3. ad 2. diximus materia et forma non sunt causa compositi nisi divisim sumpta, cum autem compositum sit aliquid realiter distinctum a materia et forma divisim sumptis et seorsim, hinc est ut communicent esse diversum ab eo quod habet quælibet illarum partium separatim.

QUAESTIO SECUNDA.

Quot sint genera causarum, et an idea seu exemplar sit distinctum causae genus.

Circa primum. Videntur plura esse causarum genera quam quatuor. Primo quia objectum actus videndi est causa ipsius visionis; sed nulla est ex quatuor vulgatis generibus. Non materialis et formalis, quia non est causa intrinseca sua entitate constituens visum; nec efficiens, nam visio est actus vitalis et immanens, qui fieri non potest nisi a vita et ab eo in quo recipitur; nec finalis ut probant Conimbricenses: ergo. Confirmatur. Nam actus intellectus causa est aliquomodo actuum voluntatis. Similiter actus voluntatis causa est actuum aliarum potentiarum; appetitus mediante suo actu causa est volitionis; denique præmissæ sunt causæ conclusionis, et tamen hæc omnia ad nullum ex quatuor vulgatis generibus causarum possunt revocari. Ergo. — Secundo. Materia est causa formæ corruptibilis, et non tantum compositi ut disp. 4. ostendetur. Non est autem causa intrinseca formæ, siquidem non constituit formam sua entitate per quam realiter distinguitur a forma. Nec potest esse efficiens vel finalis: ergo datur aliud genus causæ. Similiter suppositum divinum est causa humanitatis Christi, pendet enim ab illo humanitas. Non est autem causa materialis vel formalis, cum suppositum divinum nec subjectet nec informet, eo quod non sit aliqua entitas incompleta, qualis debet esse res quæ informat vel subjectat. Nec efficiens, nam causa efficiens humanitatis sunt omnes tres divinæ personæ, siquidem opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, — et tamen non omnes tres personæ terminant et suppositant humanitatem: ergo est novum genus causæ.

Dico primo. Quatuor tantum sunt causarum genera, nempe causa materialis, formalis, efficiens et finalis. Ita Pererius lib. 8. cap. 1., Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 1. sect. 4., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 2., Toletus qu. 7., Sotus qu. 3., Aristoteles 2. Phys. text. 31., et hunc numerum ratione probat a text. 68. Idem 1. Metaph. sum. 2. cap. 1., 5. Metaph. text. 1. etc. Dixi *genera,* nam specie et numero diversæ causæ sunt innumeræ, tot videlicet quot sunt formæ efficientes etc. specie diversæ, sicut in simili de principiis diximus 1. Phys. disp. 1. qu. 3.

Verum est de hac re diversa fuit veterum sententia. Prima est, unicam esse causam, scilicet efficientem; ita S. Augustinus lib. 83. Quæst. qu. 28. ubi ex eo probat nullam esse quærendam causam cur Deus mundum creare voluerit, quia omnis causa efficiens est, Dei autem voluntas causam efficientem non habet. Stoici vero, ut Zeno et Chrysippus teste Laertio in eorum vita, quos sequitur Seneca ep. 77., duas tantum causas agnoscunt, efficientem et materialem. Plato ut circa secundum dicemus addebat quatuor vulgatis exemplar tanquam diversum causæ genus. Veteres vero negantes formas substantiales, vix attigerunt etiam causam efficientem, et consequenter etiam finalem ut docet Aristoteles 2. Phys. text. 9. 22. 75., 1. Metaph. sum. 2. cap. 2. et text. 2. 10. Sed his omissis probatur conclusio primo a Conimbricensibus et Fonseca. Certum est, in omni productione corporis naturalis reperiri has quatuor causas. Cum enim nihil possit seipsum producere necesse est ut omne quod producitur habeat causam efficientem a se distinctam. At nullum agens naturale potest ex nihilo producere, sed necessario ad ejus actionem supponitur materia. Nec potest quidquam produci, nisi de novo producatur forma; causa enim efficiens aliquid introducere debet in materiam, alias nil novi efficeret. Causa vero efficiens cum non agat temere, necessario habere debet finem ut ostendemus infra. Ergo hæc quatuor genera causarum necessaria sunt. Reliqua omnia ad hæc revocantur ut inductione constat in causis omnium effectuum tam artificialium quam naturalium: ergo. Confirmatur ab Aristotele 2. Phys. text. 68. et 1. Metaph. text. 50. Causa est id per quod respondemus ad interrogationem factam propter quid; hanc autem interrogationem non possumus tollere nisi per hæc quatuor genera causarum, vel per aliquid quod revocatur ad illa: ergo. Secundo ratione a priori probatur et simul ostenditur quatuor vulgatis causarum generibus convenire rationem causæ. Nam tot sunt genera causarum, quot diversi modi tribuendi alicui rei entitatem. Sed hi sunt tantum quatuor. Ergo. Minor probatur. Nam quidquid tribuit entitatem alicui, vel ita tribuit ut ipsum sit intrinsecum effectui, vel ut sit extrinsecum. Si primum, vel includitur intrinsece in effectu ut subjectum alterius partis, et est materia: vel ut limitatio alterius, et est forma; nec potest dari alia causa intrinsece inclusa in effectu.

Dices: partes quantitatis sunt causæ intrinsecæ quantitatis, tamen non sunt materia vel forma; cum enim sint ejusdem ratio-

nis utraque esset simul et materia et forma alterius. — Respondeo: harum partium licet una non sit causa alterius, omnes tamen partes causant totum in genere causæ materialis, nam respectu unionis per quam uniuntur et causant unum totum sunt veluti materia, ipsa vero unio est veluti causa formalis per quam ex diversis partibus constituitur unum totum per continuationem. Unio enim ut 1. Phys. disp. 1. qu. 3. in fine diximus forma quædam est. — Si secundum, vel id quod extrinsece tribuit entitatem, ita tribuit ut ab eo accipiat effectus suam entitatem per veram et realem actionem, et tunc erit causa efficiens aut instrumentum illius, aut certe complens et determinans potentiam illius ut de idea dicemus; vel est id cujus gratia effectus habet entitatem seu quod movet agens ad agendum, et est finis vel est forma extrinseca, ut idea: ergo. Ex quibus constat causam immediate dividi in duo genera subalterna, ista autem quatuor esse velut infima genera,[1] sicut in simili diximus in Logica disp. 2. De univ. qu. 7. dub. 3., quod eodem argumento quo ibi sumus usi probandum est.

Dico secundo. Causa non dicitur univoce de his quatuor causarum generibus. Est contra Scotum qui hic qu. 3. ad 2. vult dici univoce. Nostra tamen conclusio est Fonsecæ 1. Metaph. cap. 7. qu. 1. sect. 3., Pererii lib. 8. cap. 1., Toleti hic qu. 9., Suaresii disp. 12. sect. 3. n. 22. et latius disp. 21. sect. 1. n. 7., Simplicii hic in text. 81. et 88. Probatur. Prædicatum quod proprie et intrinsece dicitur de aliquibus, extrinsece de aliis et improprie, non est illis univocum. Sed causa est hujusmodi, nam causa finalis non tribuit proprie et per se influendo entitatem effectui, causat enim objective existendo in mente antequam existat a parte rei, et sæpe etiamsi non sit ens reale, sed mere imaginarium et impossibile ac proinde non ens: ergo causa finalis non convenit univoce in ratione formali causæ cum aliis. Addo insuper, nec causam realem et physicam dici univoce de causis realibus: et in genere loquendo, nullum ex quatuor causarum generibus de illis causis quæ in eo genere conveniunt dici univoce. Ratio est, nam nullum prædicatum dicitur univoce de Deo et creaturis; sed esse

[1] Dixi *genera,* nam Suarez disp. 12. text. 3. n. 20. ostendit has non esse species atomas, nam dividi potest materia in substantialem et accidentalem, spiritualem et corpoream ; forma similiter, et præterea in naturalem et supernaturalem Sed revera hæc non ostendunt causas has in ratione causandi non esse infimas species, seu modos causandi istarum causarum non esse infimos. Eundem enim modum causandi habent materia substantialis et accidentalis. Licet ergo causæ specie distinctæ sint, non tamen modi causandi a quibus causarum numerus sumitur.

causam physicam et realem efficientem dicitur de Deo et creaturis. Similiter quod de accidente et substantia prædicatur non est univocum; sed esse causam non solum efficientem, sed etiam materialem et formalem convenit substantiæ et accidenti, nam quantitas est causa materialis accidentium quæ in illa subjectantur. Similiter etiam accidentia dicuntur causæ formales ut albedo est causa formalis albi. Ex quo constat hæc quatuor genera causarum esse solum quatuor præcipua analogata in quæ dividitur causa in communi, quæ deinde dividuntur in alia genera.

Ad rationes dubitandi, ad primam respondeo. Quomodo objectum concurrat ad actum, an scilicet tanquam causa efficiens, eo quod species ab illo producta concurrat effective, an solum ut causa formalis extrinseca ut volunt Conimbricenses citati art. 3. ad 2., dicemus in lib. De anima, quodcunque tamen dicatur, constat objectum non posse esse causam nisi vel efficientem vel formalem extrinsecam, vel etiam finalem, cum finis cujusque cognitionis sit objectum. Nec contrarium probant Conimbricenses; si enim finis sit etiam forma extrinseca specificans, potest bene desumi ab eo ratio essentialis rei. Ad confirmationem. An actus intellectus ad actum voluntatis, et actus voluntatis ad actum aliarum potentiarum effective concurrat, an solum formaliter determinent eandem animam in qua sunt omnes potentiæ, lib. De anima dicetur. Utrumvis tamen dicatur, non constituunt quintum genus causæ. Quomodo autem præmissæ syllogismi concurrant ad assensum conclusionis in Logica explicavimus, ubi ostendimus eum concursum ad genus causæ efficientis pertinere.

Ad secundam. Quomodo materia sit causa formæ explicabitur disp. 4., ubi etiam constabit in genere causæ materialis esse causam formæ. Quod ad subsistentiam divinam attinet, recte docet Suarez 3. p. tom. 1. disp. 8. sect. ult. ad 3., Scotus 3. dist. 1. qu. 1., Gabriel ibi art. 1. ejus causalitatem respectu humanitatis pertinere ad genus causæ formalis. Licet enim personalitas Verbi proprie non sit forma humanitatis eo quod nomen formæ aliquam imperfectionem significat, quod scilicet sit aliquid incompletum natura sua, tamen ejus causalitas quam habet respectu humanitatis ad genus causæ formalis revocatur, de quo plura disp. 4. ubi explicatur quomodo concurrat ad existentiam humanitatis. — Alii tamen contendunt propter hoc argumentum admitti debere quintum genus causæ, Aristoteli incognitum, ita ut quintum genus sit causæ terminativæ,

quod est quidem genus causæ intrinsecæ, diversum tamen a materia et forma, quia componit cum natura unum suppositum, quod materiæ et formæ non convenit. Et explicant, nam aliud est causam seipsa formaliter præstare effectum, aliud in genere causæ formalis, nam et materia seipsa præstat suum effectum non tamen in genere causæ formalis; ita ergo, licet subsistentia seipsa det subsistere componendo intrinsece personam, non propterea sit in genere causæ formalis id præstare, sed in genere causæ terminativæ. Sed revera nulla est ratio efficax quæ cogat ad novum genus causæ constituendum, cum ut dixit Suarez, ad genus causæ formalis revocari possit causa terminativa, sicut 1. Phys. disp. 1. qu. 3. in fine diximus subsistentiam creatam revocari ad formam. Reliqua argumenta solvunt Fonseca, Conimbricenses etc.

Circa secundum difficultas est non vulgaris, an idea sit novum et distinctum genus causæ ab his quatuor. Ratio difficultatis est, nam causa efficiens operans per intellectum ex arte, intuetur exemplar quod imitatur et a quo pendet effectus: ergo exemplar est causa artefactorum. Confirmatur. Nam si quæras propter quid sit aliqua imago pulchra, apte respondetur, quia pictor pulchram in se exemplar concepit juxta quod illam delineavit. At ex Aristotele 2. Phys. text. 68. illud est causa, per quod respondetur ad quæstionem propter quid: ergo. Major probatur. Nam exemplar est propria ratio quare effectus in tali mensura, tali partium proportione et perfectione producatur ab agente: ergo est causa effectus producti ab agente. Confirmatur 2. Nam omne agens per intellectum sapienter debet operari ut bene operetur; sed hoc est impossibile sine idea: ergo effectus productus ab agente per intellectum indiget idea ad hoc ut bene fiat: ergo idea aliqua ratione est causa illius. Et sane non minus necessaria est idea ad productionem rei, quam finis: ergo licet se teneat ex parte agentis, sicut et finis, erit causa. At non est causa materialis, formalis, efficiens vel finalis: ergo est novum genus causæ.

Prima sententia est Platonis in Timæo initio, qui præter quatuor causarum genera quintum addit genus causæ exemplaris, et hanc sententiam Platoni tribuit Seneca ep. 66., Alcinous lib. De doctr. Plat. cap. 10., Carpentarius in eum locum, Bessarion lib. 2. Contra cal. Plat. cap. 5. Eandem sententiam ex peripateticis sequitur Simplicius 2. Phys. in text. 68., Philoponus 2. Phys. text. 27., Henricus Quodl. 9. qu. 2. Tandem posita est in ratione difficultatis.

Secunda sententia aliorum peripateticorum est, qui concedunt quidem ideam esse aliquomodo causam effectus ut convincit ratio facta, ajunt tamen non constituere genus causæ distinctum ab his quatuor, sed revocari ad aliquod ex illis. Ast ad quodnam revocetur, non conveniunt. Quidam enim revocant ad causam formalem ut Fonseca 1. Metaph. cap. 7. qu. 1. sect. 5., Sotus 2. Phys. qu. 3., Conimbricenses hic 2. Phys. cap. 7. qu. 4. art. 1., citant pro se div. Thomam 5. Metaph. lect. 2., Cajetanum 1. p. qu. 6. art. 4. et qu. 44. art. 3., Durandum 1. dist. 45. qu. 2. et alios.[1] Probant, quia Augustinus, Boëtius etc. citati a Conimbricensibus, ideas formas vocant, et Aristoteles etiam 2. Phys. text. 28., 5. Metaph. text. 2. ad formam revocat exemplar. Secundo ratione. Nam exemplar non est aliud quam id ad quod respiciens artifex operatur et quod imitando exprimit, et ita exemplar eatenus dicitur causare quatenus imitatione passiva certam formam induit rei artefactæ. Sed in hoc modo causandi nulla apparet vis aut influxus causæ efficientis, sed solum formalis extrinsecæ: ergo. Addunt Conimbricenses et Fonseca, et ante illos Henricus Quodlib. 9. qu. 2. ut citat Suarez, causam exemplarem non revocari ad genus formalis internæ quasi illius appendicem, sed constituere distinctum genus causæ formalis extrinsecæ, et hoc solum voluisse Platonem docent Conimbricenses citati art. 2. Unde censent Conimbricenses causam formalem esse unum genus causæ, sed quod contineat et causas internas et externas tanquam species.

Alii revocant causam exemplarem ad finalem, ut Halensis 5. Metaph. com. 3., Vicomercatus 2. Phys. 28. et 63. Fundamentum est, tum quia ad quæstionem propter quid, interroganti apte respondemus per ideam, ut si quæritur, propter quid statua est talis, quia exprimit talem ideam etc. At hæc quæstio causam finalem quærit: ergo. Tum quia finis non movet causam efficientem ut in illius consecutionem tendat, nisi mediante illius idea. Ergo idea spectat ad causam finalem tanquam illius complementum, sicut inferius dicemus de apprehensione finis.

Alii denique, ut Scotus 1. dist. 2. qu. 2. et dist. 35. qu. una, Bonaventura, Hervæus, Niphus et alii quos citant Conimbricenses illo art. 1. revocant ad causam efficientem tanquam illius complementum. Idem Pererius lib. 8. cap. 1. et Stoici apud Senecam ep. 66. tenent.

[1] Vide Valentiam 1. p. col. 948.

Antequam istam quæstionem resolvamus, explicandum est quid sit idea seu exemplar, de qua late theologi 1. p. qu. 15., Valentia ibi columna 363.[1]

Ex communi igitur notione idea seu exemplar est res cognita quam aspiciens aliquis operatur aliud aliquid, seu ad cujus imitationem facit aliquid. Dixi *cognita,* nam licet res aliqua a parte rei existens sit imitabilis, ut v. gr. homo cui similis imago depingi potest, non est tamen idea ut solum a parte rei existit, sed de ratione ideæ est ut sit conceptum ab agente, et ideo non est objectum nisi actualiter cognoscatur ab agente. Similiter non sufficit si una res aliam imitetur re ipsa et ei assimiletur, ad hoc ut dicatur idea illius. Nam pater v. gr. non est filii idea, licet filius producatur a patre in similitudinem ejusdem naturæ. Dixi *aliud* etc. Idea enim et ideatum debent esse diversa, nam idea est causa exemplaris ideati, et ita idea est principium operis, et se tenet ex parte efficientis ut infra dicam: ergo non potest non esse diversa idea ab ideato ut ex qu. 4. constabit. Idem sibi ipsi causa esse non potest. — Et quidem quod objectum imitabile ut conceptum ab operante sit idea omnes conveniunt, et fuse docet Durandus 1. dist. 36. qu. 3., Scotus qu. una.

Verum recentiores aliqui præter hanc ideam quam objectivam vocant, nihilque est aliud quam objectum cognitum ut imitabile, ajunt admitti debere etiam ideam formalem, quæ nihil aliud sit quam ipsa cognitio et intellectio qua repræsentatur exemplar objectivum ut imitabile.[2] Et quod talis idea debeat admitti, probant apud Conimbricenses citatos art. 2. Nam ideæ in Deo non sunt ipsa objecta cognita, sed ipsa cognitio seu intellectio divina: ergo dantur ideæ formales. Antecedens quamvis sit contra Durandum et Scotum citatos, qui volunt etiam ideas divinas esse ipsas res objective existentes *in mente divina, sicut et in mente artificis creati,* probatur tamen non solum quia div. Dionysius cap. 5. De div. nominibus ait, ideas divinas esse divinas perfectiones, quod Suarez loc. cit. n. 12. ex Augustino, Ambrosio, Justino, Nazianzeno etc. optime ostendit, sed etiam ex discrimine manifesto quod est inter agens creatum et Deum. Nam agens creatum sive aspiciat aliquod exterius positum exemplar, sive in sola cognitione positum, ad cujus imitationem operetur, semper objectum quod aspicit diversum

[1] Et Suarez disp. 25. Metaph.

[2] Suarez disp. 25. Metaph. sect. 1. n. 9. tribuit id Halensi, Bonaventuræ, Capreolo,

est ab opere quod producit, id quod provenit ex defectu cognitionis. Artifex enim, antequam videat opus a se factum exterius, nunquam habet proprium conceptum illius, sed alio modo intelligit quando exterius videt factum, et quando interius cogitat artificium.[1] Et idcirco bene fieri potest ut objectum cognitum ab artifice, sit idea operis faciendi, cum sit diversum quid ab illo. At vero Deus eodem modo concipit et cognoscit rem antequam existat ac postquam existit, et idem est conceptus objectivus in mente divina, et res exterius facta, ac proinde illud objectum ut cognitum non potest esse idea sui ipsius, quia ut supra diximus idea ab ideato debet esse aliquid diversum, cum sit causa illius.

Confirmant suam sententiam ex Aristotele qui 7. Metaph. text. 23. et 30. ait omnia fieri quodam modo ab univoco et ita domum cum fit ab artifice, fieri ab univoco, scilicet a domo quæ est in mente artificis. At solus conceptus formalis domus est in intellectu. Idem docet 12. Metaph. text. 13. 18. 24. artificem scil. producere effectum sibi similem per ideam operis mente conceptam; et. 9. Metaph. text. 12. et 16. probat ideas Platonis non esse necessarias, nam in naturalibus ait sufficit forma ut principium producendi, in artifice vero sufficit idea quæ sit forma illius. Et Augustinus lib. 83. Quæst. qu. 46. ideam ait esse quod in se artifex concipit et juxta quod operatur; at quod in se concipit, sunt intellectiones: ergo. Ex quo inferunt, rationem ideæ in eo consistere quod sit aliquid conceptum ab artifice ut juxta illud operetur, quæ ratio etiam ideæ formali, et quidem principaliter convenit. Hanc autem formalem ideam ajunt posse esse et ipsam solam apprehensionem rei faciendæ et judicium quo judicamus quomodo res debeat efformari, quas partes, dispositiones etc. habere debeat. Unde etiam qui nesciunt opus ipsum efficere dicuntur habere ideam v. gr. domus, quam bene cognoscunt.

Rectius tamen sentiunt meo judicio Conimbricenses citati, Scotus 1. dist. 35. qu. una, Occam, Gabriel ibi qu. 5., Durandus ubi supra, et alii citati a Conimbricensibus, qui ideam solam objectivam agnoscunt, ita ut nulla alia detur idea quam objectum cognitum ad cujus imitationem fit aliquid, et ideo rationem ideæ non convenire nisi ideæ objectivæ. Probatur. Nam idea est id ad quod respiciens artifex operatur; sed artifex dum operatur solum respicit

[1] Ut etiam Suarez sect. 1. n. 17. admittit. Non enim concipit artifex individuum quod facturus est, sed solum tale artificiatum, talis figuræ etc. in confuso, et ita semper habet idolum distinctum ab artificiato quod facit ad ejus imitationem; idem latius n. 20 optime explicat.

objectum et non suam intellectionem: ergo. Minor etsi negetur a quibusdam thomistis, qui volunt verbum mentis quod producitur ab intellectu esse aliquid distinctum ab intellectione, et in ipso tanquam in idolo cognito, cognosci objectum, ita ut per ipsam intellectionem per quam producitur verbum etiam cognoscatur, quod innuit div. Thomas 1. p. qu. 15. art. 1. ad 2., tamen ex lib. De anima ubi late hanc sententiam thomistarum refellemus, probata manebit. Nam revera non cognoscimus ipsum verbum tanquam objectum eadem cognitione qua producitur, reflexa autem cognitio illius non est necessaria. Id enim quod directe cognoscitur ab artifice, est res ipsa quam potest imitari artifex: ergo superfluum est proponere ei aliquid aliud quod imitetur. Confirmatur ex div. Thoma 1. p. qu. 15. art. 2. Ideam in mente artificis dicit esse id quod intelligitur; sed id quod intelligitur est objectum et non intellectio: ergo. Confirmatur 2. Nam ut recte docent Conimbricenses idea ad hoc est necessaria in agentibus per intellectum ut illam imitentur; sed artifices non imitantur conceptum formalem cum illum non exprimant opere. Et quamvis tale producant opus qualis est in repræsentando conceptus formalis, ac proinde aliquomodo dicantur producere opus simile illi, id tamen non sufficit ad rationem ideæ, sed necessarium est ut ad imitationem ipsius ideæ cognitæ fiat opus ut supra diximus. At artifices cum operantur non cognoscunt suum conceptum formalem; quis enim credat cum scribimus etc. manere nos in actuali reflexione cognitionis qua cognoscimus characteres, et quis non experitur in se, tales reflexiones non fieri: ergo.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondeo. Convincit probatio antecedentis, ideam divinam non esse ipsa objecta producenda. Est igitur idea divina ipsa essentia divina in quantum est similitudo expressa omnium creaturarum cognita a Deo. Essentiæ enim divinæ hoc modo conveniunt omnia quæ in definitione ideæ ponuntur, siquidem essentia divina hoc modo est imitabilis a creatura, seu quod idem est, ad ejus similitudinem efformari potest creatura. Hoc autem fit non quia imitetur ipsum creatura secundum perfectiones quæ formaliter sunt in Deo, et ei assimiletur similitudine quæ fundatur in unitate naturæ, sed quia Deo assimilatur similitudine repræsentantis, quia scilicet talis producitur creatura in essendo, qualis est essentia divina in repræsentando res. Deinde ad hanc ideam aspiciens Deus facit aliud quid, siquidem essentia divina non tantum est ratio cognoscendi creaturas, sed etiam est cognita

ab intellectu divino etiam quatenus est similitudo expressa omnium rerum, et in hoc est disparitas inter cognitionem creaturæ et divinam. Nam ipsa cognitio creata per quam cognoscimus aliquid, non est cognita, sed solum est ratio cognoscendi alia. At vero cognitio divina, seu divina essentia ut est similitudo expressa objectorum est etiam objectum cognitum, et ita essentia divina est illud ad cujus similitudinem repræsentativam aliud fit. Ex quo constat etiam in Deo ipsam divinam cognitionem non esse ideam nisi quatenus est etiam objectum cognitum. Constat etiam recte a theologis dici ideas divinas esse ipsam artem divinam, nam sicut in nobis ars actualis non est aliud quam cognitio operis faciendi, ut testatur Aristoteles 12. Metaph. text. 24. et a text. 13. ad 18. quæ dirigit in opere faciendo, ita similiter in Deo etc.

Ad confirmationem respondeo. Idea est in mente artificis, ut id quod intelligitur, ut div. Thomas dixit. Unde cum Aristoteles dicit, ideam esse in mente concepta etc., intelligi debet quod ibi sit objective, et hanc ipsam domum in mente artificis existentem (objective scilicet) vocat Aristoteles ideam, non vero ipsam intellectionem. — Ex his facile est cognoscere quæ sit necessitas et ratio a priori ponendi ideas, et in quibus rebus poni debeant. Solum enim in agentibus per cognitionem ponuntur. Et ratio necessitatis est quia talia agentia non sunt determinata ad unum a natura, sed ex cognitione debent se determinare quoad specificationem, licet quo ad exercitium ab appetitu determinentur. Ergo necesse est ut opus quod moliuntur ante efforment cogitatione, alioquin enim nulla erit causa determinatæ perfectionis, proportionis et mensuræ in opere facto a tali agente. Unde recte Aristoteles dixit 9. Metaph. cit. in agentibus sine cognitione non esse necessarias ideas, cum a sola forma determinentur ad tale opus ut grave ad descendendum per gravitatem sufficienter est determinatum etc. In Deo ergo solum, in angelis et hominibus, et forte in brutis reperiuntur ideæ. Unde fallitur Toletus 2. Phys. qu. 7. initio ubi etiam in agentibus sine cognitione, ut cum ignis producit ignem, admittit causam exemplarem. Fallitur inquam, nam idea non solum est id cui est similis effectus productus, sed id ad quod agens respiciens operatur. His positis

Dico primo. Idea non revocatur ad causam finalem. Probatur, nam finis et idea habent modum causandi omnino diversum; finis enim causat ut est id cujus gratia agens operatur, at idea est id

ad cujus similitudinem fit aliquid. Unde quamvis ab illa præscindamus omnem rationem bonitatis et appetibilitatis, potest causare exemplariter: ergo causalitas illius non est causalitas finis. Antecedens patet, nam si aliquid cognoscatur secundum suas partes et proprietates, etiamsi nulla ratio bonitatis intelligatur, adhuc juxta illud exemplar operari potest artifex, ut patet cum pictor apprehendit rem impossibilem, quam proinde judicat non habere ullam entitatem vel bonitatem, et tamen illa res ficta est exemplar actionis pictoris. — Dices: hoc solum probat non esse causam finalem, non vero ostendit non esse revocandam ad finem. Contra est, nam quod non revocetur, sic probo. Ad rationem idealis causæ per accidens est ut repræsentetur objectum sub aliqua ratione boni, et ut sic causet exemplariter: ergo causalitas ideæ est omnino independens a causalitate finis, quæ esse non potest nisi objectum apprehendatur sub ratione boni: ergo non reducitur ad causam finalem. Confirmatur. Nam ut se habet forma in agente sine cognitione, ita se habet idea in agente per cognitionem; sed forma agentis naturalis non reducitur ad causam finalem: ergo. Antecedens patet, nam sicut agens naturale determinatur per formam ad talem effectum, ita agens intellectuale per ideam, et ejus ratione producit effectum sibi similem ut locis supra citatis dixit Aristoteles.

Ad fundamentum Vicomercati. Ad primam rationem: Una et eadem quæstio solvi potest per plures causas, ut si quæras, cur lignum sit corruptibile, dici potest et quia habet materiam, et quia habet dispositiones quibus aliquid est contrarium. Unde diversitas causarum sumenda est ex diverso modo causandi, non ex eo quod solvant quæstionem eandem vel diversam. Nam ut circa primum diximus ex Aristotele, causa est id per quod respondemus ad quæstionem propter quid, ex quo tamen non sequitur omnes causas univocum genus causæ constituere. — Ad secundam. Finis quidem non movet nisi media cognitione applicetur agenti, nego tamen hanc applicationem et participationem finis fieri ab idea, siquidem potest haberi participatio finis et applicatio necessaria ad hoc ut moveat, et tamen nulla esse idea. Nam et Deus operatur propter seipsum et tamen cognitio qua seipsum cognoscit non est idea; similiter nos operamur propter Deum, et tamen cognitio non est idea Dei. Similiter ut supra diximus, potest esse idea et tamen non erit illa cognitio quæ necessaria est ad causalitatem finis: ergo cognitio per quam participatur finis, seu per quam applicatur

ut movere possit non est idea. Et ratio a priori est, nam cognitio finis quæ applicat finem ut movere possit voluntatem, debet esse cognitio qua repræsentatur bonitas objecti. At vero ut sit idea impertinens est ut cognoscatur sub ratione boni: ergo idea impertinens est ad hoc ut finis causet: ergo licet cognitio per quam bonitas finis apprehenditur ad genus causæ finalis pertineat tanquam ejus complementum, idea tamen non pertinebit. — Dices: imaginem pingit artifex ut referat ideam: ergo idea est finis. Respondeo: etiamsi quis pingat imaginem solum ut referat ideam mente conceptam, tamen finis illius actionis est imago quæ depingitur ab efficiente, vel certe imitatio ideæ, idea autem solum est id quod determinat ad talem effingendam imaginem. Si quando tamen finis et idea coincidunt et eadem cognitione repræsentatur bonitas etc., tunc dicendum est cum Suaresio numero illo 3. esse causas adhuc distinctas, objectum enim illud, ut est id cujus gratia operatio fit, est finis, ut imitabile, est idea.

Dico secundo. Licet idea aliqua ratione ad effectum productum ab operante per intellectum concurrat, non tamen constituit genus causæ distinctum, sed partim revocatur ad causam formalem quatenus est forma quædam extrinseca ad cujus imitationem fit opus, partim ad efficientem cujus est complementum. Prima pars probata est argumentis allatis pro Platone, quæ tamen non probant propriam rationem causæ in idea reperiri, quod scilicet ab ea pendeat effectus tanquam ab exercente actum suæ potentiæ circa illum. Antequam vero probemus reliquas partes, explicandum est in quo consistat causatio ideæ, seu quomodo causet idea.

Et quidem qui admittunt ideas formales, quas volunt esse ipsas actuales cognitiones operis faciendi, seu actuales artes, docent eo modo ideam esse causam effectus quo ars actualis est causa operis. Ars autem actualis non est causa operis quasi illud effective producat, sed solum quia dirigit agens in operando, quæ directio in eo sita est, ut illa cognitione mediante applicetur potentia productiva ad operandum eo modo quo cognoscitur per artem debere applicari ad hoc ut talis effectus producatur, ut v. gr. ad hoc ut talis figura consurgat nunc in gyrum, nunc recta ducendum penicillum, ut late explicavimus in Logica disp. De habitibus dubio 3. Et quidem recte hi auctores explicant modum quo ars actualis ad opus concurrit, (quomodo autem ars habitualis ad suos actus concurrat, explicavimus disp. De habit.) et illud quoque

recte docent, artem actualem non esse aliud quam cognitionem ideæ operis faciendi, male tamen docent talem cognitionem esse ideam. Quamvis enim in Deo cognitio operis faciendi sit idea, atque ideo idea divina non sit aliud quam ipsa ars divina, in nobis tamen propter disparitatem supra assignatam non ita est. Posito ergo quod non dentur ideæ nisi objectivæ, earum causalitas in hoc consistit ut dirigant agens ut juxta illas operetur, non tamen eo modo dirigunt quo ars actualis, sed solum ut objectum imitabile existens in cognoscente, siquidem agens per cognitionem cum ex se indeterminatum sit ad talem potius quam alterius rationis effectum producendum, ut pictor ad talem potius quam aliam faciem depingendam, determinatur ab objecto sibi proposito per cognitionem, quod objectum aspiciens imitatur.

Jam ergo probatur conclusio. Et primo quod idea sit causa formalis extrinseca a qua scilicet tanquam a forma imitabili habet effectus ut sit talis, satis clarum est, sicut multi philosophi dicunt objectum cognitionis esse causam formalem extrinsecam illius. Licet ergo idea non sit causa formalis intrinseca effectus nec essentialiter includatur in ratione effectus producti ab idea, id tamen propterea est quia non est causa formalis interna illius, sed externa. Nec novum est admittere causam formalem quæ tamen extrinseca sit rei, nam visio, cognitio, actio transiens etc. sunt causæ formales extrinsecæ a quibus res dicitur visa, et agens. Et inferius dicetur, bonitatem finis extrinsece dare appetibilitatem mediis, et ideo illa bonitas est causa formalis extrinseca appetibilitatis mediorum. Similiter imago quam quis aspiciens depingit est causa formalis extrinseca effectus: ergo. Et hoc solum vult Aristoteles cum ideam vocat formam, intelligit enim extrinsecam. Superius autem numerum causarum colligentes ideam solum ad causam efficientem revocavimus, nec causam formalem extrinsecam numeravimus, sed tantum intrinsecam, quia dubia et controversa noluimus in causarum numero colligendo miscere. An vero causa formalis extrinseca dari possit, dubium est, et a multis negatur. Quod vero revocetur etiam ad causam efficientem tanquam complementum illius,

Probatur primo. Id quod requiritur necessario ex parte agentis, non solum ut bene agat, sed etiam ut constituatur sufficienter in actu primo productivum hujus potius quam illius effectus, non est distincta causa, sed potius est complementum illius causæ.

Sed idea necessaria est ex parte agentis non solum ut bene agat, sed etiam ut constituatur in actu primo potius productivum hujus quam illius effectus: ergo. Major patet tum inductione; nam in primis virtus, seu potentia, instrumenta, ars etc. quæ necessaria sunt ad hoc ut causa efficiens exerceat suam causalitatem, et sunt aliquid requisitum ut possit agere, ad causam efficientem revocantur. Deinde dispositiones quæ determinant materiam ad talem formam, reducuntur ad causam materialem, et sic de aliis, ut de fine dicemus. Tum etiam, quia quod modificat causalitatem alicujus, ut est causalitas illius, non est distincta causa ab illa. At quod determinat agens ut bene agat, modificat ejus causalitatem: ergo. Minor probatur. Nam agens per intellectum sine idea indeterminatum est ad hunc potius quam ad illum effectum, hoc potius quam illo modo efficiendum, nam v. gr. qui pingere vult imaginem, nisi habeat ideam indeterminatus est ad hanc vel illam picturam effingendam: ergo. Confirmatur. Nam quilibet effectus determinatus reduci debet ad causam determinatam; sed effectus qui procedit a causa efficiente cognoscente, non potest reduci ad causam efficientem determinatam, nisi causa efficiens intelligatur habere ideam effectus: ergo idea est complementum causæ efficientis per quam constituitur determinata causa hujus effectus et non alterius.

Secundo probatur. Omnis effectus ut talis debet habere causam efficientem per se: ergo etiam statua arte facta; hujus autem causa per se non homo, sed artifex est ut ait Aristoteles 2. Phys. text. 50., quo posito sic argumentor. Si artifex, ut artifex, est causa efficiens statuæ: ergo omne illud quod pertinet ad constituendum artificem in esse talis, est causa efficiens, vel complementum causæ efficientis. Sed idea pertinet ad constituendum artificem in esse artificis potentis operari, nisi enim concipiat ideam operis quod fit per ipsam artem actualem, non est artifex actu operativus. Ergo idea non est causa distincta, sed complementum efficientis. — Tertio probatur. Ita se habet idea in operante per cognitionem, sicut forma in aliis ut docet Aristoteles 1. De part anim. cap. 1., 7. Metaph. text 23. et 30. et aliis locis citatis pro illorum sententia qui volebant dari ideas formales, quia scilicet ut agentia naturalia per formam determinantur ad producendum sibi simile, ita agentia per intellectum ab idea. Sed forma est principium activum respectu effectus: ergo et idea.

Dices: Simili argumento probari potest causam materialem revocari ad efficientem, quia sine illa causa efficiens non est potens operari. Deinde sicut finis movet ad opus, ita idea determinat: ergo sicut finis est causa distincta, ita erit idea. Vel certe, sicut agens per intellectum non potest agere nisi propter finem, dicendum erit, finem non esse causam distinctam, sed complementum efficientis. — Respondeo: Non omnia quæ necessaria sunt ad hoc ut causa efficiens operetur, spectant ad illam, sed solum quæ ex parte efficientis ita necessaria sunt, ut non sit causa completa et potens in actu primo, sine illis. At vero licet causæ omnes simul concurrant ad quemcunque effectum ut qu. 3. dicemus, non tamen complet una alteram in proprio genere. Idea ergo dirigit et complet determinando causam efficientem ut in suo genere sit potens in actu primo operari; finis autem et materia supponunt totam virtutem agentis perfectam et determinatam ad operandum bene in suo genere, et tunc simul cum efficiente concurrunt ad effectum, finis movendo, materia recipiendo formam productam.

QUAESTIO TERTIA.

An omnes quatuor causae necessario sint connexae, an sint sibi mutuo causae, et quem ordinem inter se collatae habeant.

Explicatis natura et numero causarum, superest ut quatuor dicta causarum genera inter se conferamus, sequentibus deinde quæstionibus eas cum effectu in genere comparaturi. In præsenti igitur quæstione tria sunt ordine explicanda. Primum est, an quatuor ista causarum genera ad quemlibet effectum naturaliter producendum concurrere debeant, ac proinde an tanta sit earum connexio ut admissa una causa, ceteræ necessario sint admittendæ. Secundum est, an causæ omnes sint sibi mutuo causæ in qualibet productione. Tertium, an hæ causæ ad effectum producendum concurrentes ordinem aliquem inter se habeant. Cum autem quadruplex ordo causarum inter se considerari possit, vel secundum causalitatem scilicet, vel secundum perfectionem, vel secundum necessitatem, vel secundum existentiam, videndum erit quem ordinem causalitatis, perfectionis etc. habeant istæ causæ inter se.

Circa primum. Certum est quod quotiescunque agentia naturalia aliquid producunt, omnia quatuor genera causarum debeant

concurrere, ut Suarez disp. 26. sect. 3. n. 2. ostendit. Nam agens naturale necessario præsupponit subjectum cum ex nihilo nihil possit producere, formam vero producit, et cum omne agens naturale agat propter finem, causam etiam finalem exigit. Solum potest esse difficultas in genere loquendo, an tanta sit harum causarum connexio, ut si admittatur una causa v. gr. efficiens vel materialis, necessario debeant omnes admitti, de quo late disputat Pererius lib. 8. cap. 5. et 6., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 9. art. 2. in fine. Et quidem certum est primo, non solum admissa causa materiali et formali, sed etiam admissa causa efficiente naturali producente substantiam, necessario debere admitti omnes quatuor causas ut recte Suarez disp. 26. sect. 3. n. 5. Cum enim materia ex sua entitate sit quid incompletum et pars receptiva formæ, petit formam cum qua componat, sicut et forma materiam; cum autem materia non habeat esse a se, debet habere causam efficientem, sicut et forma, ac proinde etiam finem propter quem causa efficiens operetur. Et similiter, admissa causa efficiente naturali omnes causas admitti debere, jam ostendimus. Verum est, non esse necessarium ut si causa efficiens naturalis admittitur, continuo admittatur materia prima, nam ut 1. Phys. disp. 2. qu. 5. dicto 4. ostendimus, accidentium productio solam quantitatem præexigit ex cujus potentia educantur, et quæ est causa materialis accidentium. Si tamen agens naturale producat substantiam, necessario etiam materia prima admitti debet.

Certum est secundo, admissa causa efficiente et finali, non necessario admitti materialem et formalem, nam produci potest res spiritualis completa ut angeli, ad quorum productionem materia et forma non est necessaria. Et quamvis posita causa efficiente necessario admitti debeat causa finalis, siquidem omne efficiens agere debet propter finem, tamen admissa causa finali non necessario admitti efficientem docet Alexander et alii apud Pererium loco cit. et Gregorius 2. dist. 1. qu. 1. Putant enim secundum Aristotelem intelligentias non esse productas effective a Deo, et tamen finem illorum esse Deum. Rectius tamen Conimbricenses, Pererius et ab ipso citatus Averroës, Scotus 2. dist. 8. qu. 5., Henricus Quodlib. 1. qu. 8., Soncinas 12. Metaph. qu. 16., Scaliger Exercit. 6. etc. sentiunt admissa causa finali debere admitti etiam efficientem. Ratio Pererii est, nam quidquid est a se et independens a quavis causa, non est causata propter aliud: ergo non

habet causam finalem, nam causalitas finis est ut moveat ceteras causas ad operandum, ac proinde si nulla causa est mota ad producendam illam rem, non erit propter finem hujusmodi res. Alia ratione id probant Conimbricenses, non valde efficaci. Addit Suarez, quod finalis causa sit id cujus gratia agens operatur, et ita causalitas finis est aliqua operatio agentis: ergo. Unde quod habet causam finalem, habet etiam efficientem, quia non alii sunt effectus causæ finalis quam efficientis ut infra dicetur. Addo tamen, hoc solum verum esse in naturis completis, non vero in actibus naturæ completæ si verum est quod aliqui sentiunt actus liberos Dei esse in ipso Deo formaliter, tunc enim hi actus non habent causam efficientem et tamen sunt propter finem intentum a Deo. Si tamen actus liberi dicant solam operationem transeuntem Dei a quo extrinsece denominetur Deus sicut ab actione creativa denominatur creator, vera est universaliter sententia Pererii.

Circa secundum. Certum est, causas posse esse sibi mutuo causas in diverso genere causæ ut docet Aristoteles 2. Phys. text. 30., 5. Metaph. a text. 2. Illo enim textu 30. sic habet Aristoteles: sunt enim inquit quædam et ad invicem causæ, ut laborare causa est sanitatis (efficiens scilicet), et hæc laborandi (finalis scilicet). Similiter etiam materia est causa formæ corruptibilis ut disp. 4. ostendemus et constat ex dictis 1. Phys. disp. 2. qu. 3. Quod pronunciatum late explicat Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 16., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 9. Hoc ergo pronunciatum non ita debet intelligi quasi quælibet causa omnium aliarum sit causa, sed solum intelligi debet indefinite, quod scilicet fieri possit in aliquibus causis ut sibi mutuo sint causæ. Dices quod est causa causæ, est causa causati; ergo si aliquid est causa suæ causæ, erit causa sui ipsius. Præterea idem erit prius et posterius, notius et ignotius; denique admitti posset circulus in demonstratione a priori, quia una causa per aliam demonstratur. — Respondeo: In 1. Phys. disp. 2. qu. 3. dicto 1. ad argum. 2-æ sent. explicavimus illud axioma non esse verum, nisi in eodem genere causæ i. e. cum in eodem genere in qua una causa producit effectum, ille effectus productus alium effectum producit, ut etiam explicant Conimbricenses et Fonseca. Deinde nihil absurdi est si concedamus in diverso genere idem esse prius et posterius natura, hoc enim non est aliud quam dicere esse sibi mutuo causas in diverso genere causæ ut ex Postpræd. patet et dicemus qu. 5. Nec sequitur idem

esse notius et ignotius, sed solum sequitur, quod si cognoscitur una causa, potest ex illa inferri alia causa cum qua habet necessariam connexionem, ut cognito efficienti infertur finis etc. Denique circulum non sequi, constat ex dictis in Logica disp. 3. in lib. Poster. qu. 2.; tunc enim solum est circulus cum tota ratio assentiendi præmissis est conclusio, et vicissim tota ratio assentiendi conclusioni sunt præmissæ. Unde impertinens est ad circulum demonstrare, ut disp. 2. in Poster. qu. 1. dicebamus, mutari vel non mutari causarum genera, nisi mutentur genera cognitionis. His positis, solum est controversia, an in eodem genere causæ possint sibi mutuo esse causæ. Et quidem duas causas materiales vel formales non posse sibi esse causas clarum est, nam materia prima non potest habere aliam causam materialem ut ex 1. Phys. constat. Deinde materia solum est causa respectu formæ et compositi; forma respectu materiæ et compositi. At nec forma vel compositum potest esse materia ipsius materiæ, nec similiter materia et compositum possunt esse forma respectu formæ. Ergo in his duobus generibus causarum non potest una causa esse causa alterius in eodem genere. Solum ergo de causa efficiente et finali remanet difficultas.

Dico primo. Impossibile est naturaliter loquendo ut duæ res sint sibi invicem causæ effectivæ; supernaturali autem Dei virtute, licet fieri non possit ut quoad primam productionem vel inceptionem duo sint sibi mutuo causæ efficientes, tamen quoad conservationem, vel quoad productionem ex vi novæ actionis, bene possunt duo esse sibi invicem causæ efficientes.

Prima pars conclusionis est Aristotelis 5. Metaph. text. 2. ubi duo ait non posse in eodem genere sibi esse causas, et late Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 16. sect. 3. concl. 2. et Suarez disp. 29. Metaph. sect. 1. n. 22. Probatur ab aliquibus. Nam efficiens causa a suo effectu est omnino independens: ergo. Sed hoc antecedens falsum est, nam revera fieri potest ut causa efficiens dependeat a suo effectu, sive hæc dependentia sit tanquam a conditione, sive alio modo de quo disp. 4. dicetur. Constat enim ex dictis 1. Phys. disp. 2. qu. 3. dicto 1. sine accidentibus connaturalibus et proprietatibus, quæ tamen producuntur a subjecto secundum multorum sententiam, non posse existere ipsum subjectum, cujus rationem a priori ibi ostendimus. Et ita non est necessarium ut causa efficiens sit omnino independens a suo

effectu, sed sat est ut sit prior natura et causalitate ipso effectu. Probatur igitur. Causa efficiens cum primum incipit actu producere effectum vel existit realiter, vel non. Si non existit, impossibile est ut producat aliquid ut disp. 3. qu. 3. ostendemus; id enim quod nihil est realiter et physice, non potest effectum producere. Si existit: ergo ex vi alicujus causæ efficientis, cum non sit a se. Hæc autem causa efficiens non potest esse effectus quem producit actu, nam hic effectus deberet realiter existere ad hoc ut produceret illam rem quæ incipit producere ipsum. Ergo ad hoc ut posset incipere productionem illa causa, deberet supponi realiter existens, alias non posset producere suam causam. At si realiter existit impossibile est ut ab ullo agente naturali producatur ut disp. 3. qu. 7. ostendetur. Id enim quod realiter existit, realiter produci non potest.[1] Confirmatur. Nam sicut in esse intelligibili impossibilis est circulus in quo tota ratio assentiendi conclusioni sint præmissæ, et vicissim tota ratio assentiendi præmissis sit conclusio, ex hoc enim sequitur idem esse notum et ignotum, certum et incertum ut disp. 3. in lib. Poster. qu. 2. ostendimus, quod tamen inconveniens non sequitur si antecedens cognoscatur prius et independenter a consequente: ita a fortiori in esse rei, causa vel principium totale alicujus rei, non potest habere pro causa totali sui esse suum effectum. Sicut enim cognitio et certitudo antecedentis præsupponitur ex natura rei cognitioni et certitudini conclusionis, et ideo esse debet ab eo ut sic independens, ita existentia realis principii productivi præsupponi debet existentiæ effectui, et independens esse ut sic ab eo, ac proinde ab eo produci non potest. Licet ergo materia a forma, essentia a subsistentia, natura a passionibus pendere possit, et vice versa, tamen hæc dependentia est in diverso genere causæ, et ideo ex hoc non sequitur quod etiam in eodem genere causæ dari possit talis mutua dependentia. — Confirmatur 2. a Fonseca loc. cit. Nam illud axioma, quod est causa causæ est causa causati saltem verum est in eodem genere causæ, ex quo sequitur, idem fore causam sui ipsius, si effectus esset causa efficiens sui efficientis. At idem non posse esse causam sui ipsius qu. 4. ostendemus: ergo.

Secunda pars conclusionis, quoad illam partem qua dicebamus nec divina virtute fieri posse ut quoad primam inceptionem duæ

[1] Et hanc rationem innuit Suarez Tom. 3. disp. 47. sect. 3. in fine, licet disp. 27. Metaph. sect. 2. n. 23. ubi etiam innuit, eam non explicet.

causæ efficientes sint sibi mutuo causæ, eodem modo probatur quo prima pars conclusionis. Quod vero fieri possit ut duo sint sibi mutuo causæ efficientes conservantes, vel etiam producentes sed non primo, constabit ex dicendis disp. 3. qu. 8. ubi ostendemus non solum posse eundem effectum habere plures causas totales, sed etiam effectum semel productum, ex vi novæ actionis posse iterum produci. Et de facto, omnes theologi qui concedunt in mysterio Eucharistiæ produci ipsam substantiam corporis Christi per verba consecrationis, (quod recte probat Suarez 3. p. tom 3. disp. 50. sect. 5.) concedere debent, per verba consecrationis quæ in ultima cœna effective a Christo Domino dicta fuere, productum esse illud idem corpus Christi sub speciebus sacramentalibus, quod est causa efficiens verborum. Unde div. Thomas 3. p. qu. 78. art. 4. ad 2. ait, fieri non potuisse ut aliquis effectus corporis Christi formaverit primo corpus Christi in conceptione, licet postea verba consecrationis sint instrumenta conversionis panis in corpus Christi. Et ita fieri potest, ut pater qui primum produxit filium, producatur effective a filio ex vi novæ actionis substantialis. Nec in his casibus sequuntur ea quæ in primo argumento intulimus, nam una causa conservans, primum suum esse recepit independenter ab alia.

Objicies *primo.* Manus se mutuo confricantes mutuo se calefaciunt; similiter piper et stomachus se mutuo calefaceunt: ergo. *Secundo:* Postquam ignis aliquis produxit alium ignem potest illum conservare, nam eadem virtus requiritur ad conservandum et ad producendum. Rursus, ignis conservatus cum sit ejusdem speciei, et tantæ virtutis quantæ ignis producens, poterit eum conservare, nam si ponatur intra sphæram activitatis illius, cum sit agens naturale necessario aget: ergo sibi mutuo causæ erunt. *Et confirmatur* experientia, tum quia multæ prunæ simul majori tempore conservant calorem quam paucæ, hoc non nisi quia se mutuo conservant. Tum quia si sit ignis intra sphæram activitatis aquæ, et ex altera parte applicetur igni alter ignis intra cujus sphæram sit quidem ignis prior, non tamen sit aqua, tunc aqua agit in ignem qui est in medio et remittit ejus calorem, non tantum tamen quantum remitteret si alter ignis non adesset: ergo calor ignis existentis in medio conservatur a calore alterius ignis. At eadem ratione calor hujus ignis conservare potest calorem alterius ignis: ergo se mutuo conservabunt. Tum denique quia habitus producit actum et actus habitum effective. Ergo.

Ad primum respondet Fonseca loc. cit.[1] Cum manus dextera calefit confricata a sinistra non ab eo calore producitur calor in illa, quem produxit ante, sed confricatione per quam spiritus calidi advocantur. Similiter piper calefit a naturali calore stomachi, non tamen per eundem calorem productum in pipere. Producitur calor a pipere in stomacho, sed a nativo et virtuali calore ut lib. De gener. dicetur, atque ita non fit causa a suo effectu. — Ad secundum: effectus qui possunt existere corrupta causa non conservantur a causa secunda, sed immediate a Deo ut infra dicetur, et quia adæquate a Deo conservantur, non possunt a causa secunda conservari naturaliter, quia plures causæ totales ejusdem effectus non dantur, ut infra ostendam. Ad confirmationem respondeo supponendo ex lib. De generat. plura agentia licet non possint producere intensiorem effectum v. gr. calorem quam habeat in se, posse tamen in majori distantia operari et in partibus vicinis intensiorem calorem producere quam quodlibet eorum possit per se, et similiter plura agentia magis resistere et minus pati a contrario. Jam ergo ad secundam experientiam dico, quamdiu ignis qui est in medio habet totidem gradus caloris quot ignis remotior, nil agere ignem remotum, quia cessat finis naturalis agendi qui est ut sibi assimilet passum; si vero ejus calor remittatur, tunc ignis remotior et ille qui est in medio simul conservant aliquem caloris gradum qui a neutro separatim possit conservari præsente tali contrario; calor tamen ignis qui ab aqua nil est passus, non conservatur ab igne posito in medio, quia esse ignis non potest agere in id quod habet qualitatem se intensiorem. Sed de hoc fusius in lib. De generat. Ad primam experientiam respondeo: plures prunæ ideo durant diutius, quia multa agentia simul majorem habent sphæram activitatis, et in medio circumjacente possunt producere intensiorem calorem quam produceret quodlibet illorum per se, ac proinde magis remittunt contrarium circumstans. Non tamen immediate conservat calor unius prunæ calorem alterius, sed sicut cinis quo teguntur prunæ diutius illas conservat, quia videlicet arcet contrarium. — Quod de habitibus dicitur nil valet; actus enim qui producitur ab habitu non producit eundem gradum intensionis habitus qui præextitit, sed novum, nec habitus producit actum a quo est productus, sed alterum.

[1] Eodem modo Suarez respondet disp 27. sect 2 n. 27

Dico secundo Fieri quidem potest ut duæ res sint sibi mutuo causæ finales, tamen omnino impossibile est, ita esse sibi mutuo causus finales ut tota ratio motiva agentis ad producendum unum sit alterum, ad quod vicissim producendum tanquam a totali causa motiva ab alia moveatur. Primum probatur tam in agentibus propter finem libere, quam in agentibus naturaliter. Nam potest quis sanitatem appetere propter delectationem venationis, et contra considerando sanitatem ut bonum delectabile, potest propter illam appetere venationem tanquam aliquid utile ad sanitatem. Sicut enim diversis temporibus, diversis actibus potest quodlibet horum expetere propter alterum tanquam propter finem, ita et eodem tempore diversis actibus poterit, nam hi actus nullam habent inter se repugnantiam, et finita vis voluntatis sufficit magno saltem conatu adhibito ad plures actus simul producendos. Sicut ergo intellectus potest assentiri conclusioni propter præmissas, et vicissim præmissis propter conclusionem ut fit in regressu demonstrativo, si videlicet unum horum independenter ab altero ante sit cognitum, ut lib. Poster. diximus, ita potest voluntas duorum objectorum unum appetere propter aliud, si illud propter quod vult alterum, velit amore quodam independenti ab amore alterius objecti quod vult propter illud, ut si velit venationem quatenus delectabilis est, ac proinde bona independenter ab utilitate quam habet ad sanitatem comparandam. Idem constat in rebus naturalibus, nam auctor naturæ potest eodem modo duas res ordinare inter se, quo homo libere operans, ut v. gr. operationes sunt fines ejus a quo dimanant, ideo enim res est talis, habet tales potentias, talia organa etc. ut eliciat tales operationes, et tamen ipsæ operationes ex alia parte sunt propter subjectum, ad illud scilicet exornandum, ac proinde mutuo sibi sunt causæ finales.

Secunda pars constat, nam fieri non potest ut quis ita moveatur a duobus objectis ut quodlibet illorum appetat propter aliud, et non alia ratione. Tum quia si hoc fieri posset, daretur electio sine intentione, siquidem nullus ex his actibus esset intentio, sed tantum electio, cum cujuslibet objecti appetitio esset propter aliud: ergo cujuslibet esset electio et non intentio. Tum quia medium, ut medium, solum est appetibile propter bonitatem finis extrinsecam: ergo si utrumque objectum appetit agens propter aliud, utrumque appetit propter extrinsecam bonitatem et non propter bonitatem intrinsecam. Sed impossibile est ut utrumque sit solum extrinsece

bonum, siquidem omne quod extrinsece est bonum et appetibile, est appetibile et bonum propter aliquid quod est intrinsece bonum. At neutrum illorum est intrinsece bonum. Ergo a neutro potest alterum accipere bonitatem extrinsece: ergo nec appetibilitatem. Tum denique quia non magis implicat admittere circulum in ratione formali assentiendi, quam in ratione formali appetendi. Sed si appeteremus unum propter aliud, et hoc vicissim propter illud, et non alio modo, esset circulus. Ex quo apparet quod licet duæ res materialiter loquendo possint esse sibi vicissim finis, tamen formaliter loquendo duo fines non possunt sibi mutuo esse causæ finales, nam quilibet illorum quatenus est finis alterius est bonum honestum vel delectabile, et ut sic, desideratur independenter ab alio respectu cujus est finis, ac proinde ut finis est non desideratur propter aliud sed propter se et suam intrinsecam bonitatum; alterum pari ratione. Et ideo neutrum illorum ut finis est, habet pro causa finali id quod propter ipsum appetitur. Et sic duo fines non possunt sibi mutuo esse fines, ne quidem simpliciter ut argumentum factum ostendit.

Circa tertium. Quod ad ordinem necessitatis spectat, certum est omnes causas necessario debere esse in qualibet actione causæ naturalis, ac proinde omnes æque necessarias esse ad effectum naturalis agentis, qui esse non potest sine omnibus causis necessariis ad ejus productionem. Et idem dicendum est de ordine causalitatis causarum naturalium, nam nullius causæ potest esse causalitas nisi adsint causalitates aliarum etiam causarum, sine quibus effectus esse non potest. Si loquamur tamen in communi de causis jam supra circa primum diximus, non necessario omnes causas ad omnem effectum etiam agentis supernaturalis concurrere. De ordine existentiæ certum est, causam efficientem aliquam, scilicet Deum, non solum ratione, sed et duratione priorem esse omnibus aliis causis. Imo et materia in generationibus quæ fiunt jam prior est forma, licet initio creationis simul fuerit. Sæpe etiam causa efficiens creata prior est et duratione et etiam ratione suo effectu, quia ab illo independens est, sæpe tamen simul ut patet in subjecto et passionibus. Denique si quoad perfectionem conferantur hæ causæ, sciendum est quodlibet ex his causis ut est quoddam ens habere determinatum gradum perfectionis, hic tamen non est explicandum quænam causa secundum entitatem suam sit perfectior, (de quo tamen agunt Conimbricenses 1. Phys. cap. 7.

qu. 5. art. 1. et nos disp. 3. qu. 5.) sed solum secundum modum causandi, cujus scilicet causæ sit perfectior causalitas. Et existimo causam efficientem ex suo genere esse perfectissimam, quia sine ulla imperfectione confert realiter entitatem effectui; causa vero formalis perfectior est materiali et finali. Nam forma tribuit esse rei ut ultima ejus perfectio, materia vero solum tribuit esse ut subjectum et ut limitabile ab alio, præterea forma habet realem causalitatem, et ita necesse est ut sit ens reale, quod fini non competit, non enim est necesse ut sit ens reale ad hoc ut causet. Imo et materia in esse causæ perfectior est fine ob eandem rationem.

Dices: Non repugnat Deo esse causam finalem, repugnat autem esse materialem vel formalem: ergo ex genere suo melius est esse causam finalem quam materialem vel formalem: ergo perfectior est finis. — Respondeo: Solum probat argumentum entitatem Dei perfectiorem esse materia et forma, non vero melius et perfectius causare suum effectum ut finis est; hic autem solum conferimus causas inter se ut causativas. Certum autem est, melius esse aliquid esse vere et realiter causativum, quam metaphorice. Aliquando tamen esse realiter causativum includit imperfectionem ut patet in materia et forma, et ideo hic modus causandi Deo non competit, cum tamen esse causativum metaphorice non dicat imperfectionem Deo repugnantem, quia potius arguit bonum infinitum ab alio independens, eo quod sit finis omnium, nec habeat alium finem.

QUAESTIO QUARTA.

An omnis causa realiter distinguatur ab effectu, vel potius idem sui ipsius causa esse possit.

Ratio difficultatis est primo, nam in genere causæ efficientis videtur aliquid seipsum posse producere. Nam si verum est quod multi theologi omnino dicendum censent, in Transsubstantiatione idem corpus Christi quod ex Virgine natum est, ex vi novæ actionis substantialiter produci mediantibus verbis consecrationis, sequitur Christum in ultima cœna seipsum substantialiter produxisse, cum idem sit corpus Christi producens et productum. Et id consequenter admittit Suarez tom. 3. disp. 50. sect. 4. in fine ubi ait, idem non posse producere seipsum, nec posse produci a suo effectu quoad primam inceptionem esse, postquam tamen semel

est productum aliquid ab aliqua causa, potest ex vi novæ actionis substantialis quasi iterum producere seipsum, tunc enim inquit, cum res illa supponatur existens aliunde ante talem actionem, non sequitur idem esse antequam fieret. Et hoc fieri in mysterio Eucharistiæ docet, quia inquit, patres citati ibi sentiunt Christum quotidie producere et creare suum corpus. Secundo: Finis sæpe est ipsa forma quæ fit per actum: ergo cum finis sit causa actionis quæ non est aliud quam ipsa forma in fieri, finis erit causa sui ipsius. Confirmatur. Effectus causæ materialis et formalis non distinguuntur ab ipsis, siquidem materia et forma solum sunt motus causæ communicando intrinsecam suam entitatem: ergo.

Dico tamen, omnem causam ex natura rei debere distingui ab effectu suo. Probant aliqui. Nam inter causam et effectum debet dari realis relatio: ergo realis distinctio. Sed antecedens universaliter non esse verum disp. 4. qu. 2. Circa 1. in solutione argumentorum ostendemus. Probatur ergo. Ratio principii realis necessario postulat distinctionem ex natura rei inter principium et principiatum; sed omnis causa realis formaliter includit rationem principii realis: ergo postulat distinctionem ex natura rei ab effectu. Major probatur, nam in divinis personis in quibus est summa simplicitas et in quibus una numero natura identificatur cum omnibus personis, nihilominus est inter illas distinctio realis, quia ratio principii et principiati postulat diversitatem: ergo multo magis in rebus creatis idem postulabit. Confirmatur. Nam in divinis per oppositionem relativam sufficienter distinguuntur ex natura rei personæ. Sed non est alia oppositio relativa nisi principii et procedentis a principio. Ergo ratio principii et procedentis a principio necessario postulat distinctionem ex natura rei: ergo contradictionem involvit esse hanc oppositionem et non esse distinctionem ex natura rei. Minor, quod scilicet causa realis includat rationem principii in conceptu probatur. Nam principium et causa se habent ut superius et inferius ut qu. 1. ex Aristotele, div. Thoma etc. diximus. Et ratio est, nam ex Aristotele 5. Metaph. text. 1. principium est unde aliquid est, fit vel cognoscitur, ubi subdit, totidem modis dicuntur causæ quot principia, omnis enim causa principium est. Sed omnis causa est hujusmodi ut ex definitione causæ patet: ergo ratio causæ essentialiter includit rationem principii. Confirmatur. Causa est quod tribuit entitatem alicui; sed non potest tribuere entitatem rei identificatæ secum ex natura rei:

ergo non potest esse causa nisi effectus distincti ex natura rei. Minor probatur. Quia si tribueret entitatem rei indentificatæ secum, tribueret entitatem sibi, et ita idem seipsum produceret, quod impossibile est. Et hanc conclusionem docuit div. Thomas 1. p. qu. 33. art. 1. ubi idcirco ait patrem in divinis non dici causam filii sed principium, quia principium non petit distinctionem naturæ principii et ejus quod est a principio, petit tamen causa. Idem docet Canariensis ibi, Soncinas et Javellus 5. Metaph. qu. 1., Fonseca ibidem cap. 1. qu. 7. etc.

Ad primum. Suarez in eo recte sentit quod dicat non posse idem producere seipsum quoad primam inceptionem, ita ut a seipso primum esse recipiat, cujus ratio fere eadem est qua usi sumus qu. præcedenti. Nam id quod producit debet esse in rerum natura, quod enim nihil est non potest esse vis productiva, quod autem producitur debet non esse: ergo nisi idem simul sit et non sit, non poterit seipsum producere. Fallitur tamen in eo quod putat saltem post primam inceptionem posse idem esse principium et principiatum ut ostendimus, nec ex illo principio Transsubstantiationis id sequitur. Licet enim verissimum putem id quod ait corpus Christi substantialiter produci per conversionem, tamen dici potest non ipsum Christum immediate effecisse seipsum sed formam consecrationis, vel certe volitionem Christi quæ realiter differunt a corpore Christi, elevata fuisse ad illam conversionem peragendam. Et si quis contendat non solum media voluntate, sed etiam immediate concurrere substantiam Christi ad hanc conversionem, satis esset ut concurreret medio sanguine ad efficiendum corpus et medio corpore ad efficiendum sanguinem quæ realiter distinguuntur, nec ulla est necessitas dicendi totum Christum producere se totum, cum hoc sit impossibile.

Ad secundum. Causa finalis actionis sæpe coincidit cum forma quæ distincta est ab actione, causa tamen finalis ejusdem formæ non est forma, sed compositum ab ea distinctum, et ita idem non est causa finalis sui. Si quando vero aliquid dicitur esse propter se, non intelligitur positive sed negative, et solum indicatur rem non ordinari ad alium finem, qua ratione Deus dicitur esse a se non quod seipsum producat, sed quia a nullo producitur. Ad confirmationem disp. 4. ubi explicabimus effectum causæ materialis et formalis ostendemus quomodo distinguantur ab effectu.

QUAESTIO QUINTA.

An omnis causa sit prior effectu, vel potius causa et effectus sint simul.

Pro hujus quæstionis solutione suppono ex Logica disp. 9. in Præd. qu. 2. quæ dicantur priora natura et quæ priora ratione. Priora enim natura sunt, quæ causa sunt alteri ut sit et hæc etiam dici solent priora *a quo* (scilicet aliud habet esse), et ista prioritas naturæ dicitur prioritas a quo, sicut prioritas durationis dicitur prioritas *in quo*, quia scilicet res in aliquo instanti est sine posteriori. Priora ratione sunt, a quibus non valet subsistendi consequentia ad posteriora, ac proinde quæ non pendent in suo esse ab eo quod dicitur posterius etc. Præterea comparari possunt inter se causa actu, aut certe causa in potentia seu entitas quæ potens est causare, cum effectu. Relationes enim causæ et effectus non est necesse comparare, cum certum sit duas relationes oppositas esse simul natura. Jam ergo

Dico primo. Omnis causa est prior natura effectu. Est Aristotelis in Praed. cap. De priori. Probatur. Illud est prius natura altero, quod quomodocunque causa est alteri, vel ratio a priori ut loco cit. diximus: ergo. Ex quo patet quod cum duæ causæ possint sibi mutuo esse causa in diverso genere, possunt etiam esse priores et posteriores in diverso genere, ac proinde etiam effectum quatenus in diverso genere causa est suæ causæ, esse priorem natura sua causa.

Dico secundo. Causa actu causans nec tempore nec ratione est prior effectu actu, sed sunt simul. Est Aristotelis 5. Metaph. cap. 2. infine, ubi causam in actu et effectum in actu ait esse simul, et 2. Phys. text. 37. Idem repetit Niphus 5. Metaph. qu. 3., Soncinas qu. 7., Fonseca citandus. Probatur. Causa non est actu causans nisi quatenus habet effectum actu: ergo implicat esse vel intelligi causam actu non intellecto effectu eo respectu cujus est causa actu. Sed non est causa actu respectu effectus in potentia, sed respectu effectus actu: ergo non potest esse vel intelligi causa actu ante effectum actu. Confirmatur.[1] Causa actu non potest

[1] Cum Suaresio disput. 26. sect. 2. n. 16. ubi addit quod si effectus sit totus simul et per actionem instantaneam fiat. causa erit simpliciter cum toto effectu simul. Si vero effectus sit successivus, causa erit simul successive, et effectus secundum aliquid sui semper erit simul cum causa.

intelligi sine causalitate actu, sicut agens sine actione, per causalitatem enim formaliter constituitur causa actu. At sicut actio non potest esse sine effectu, ita nec ulla alia causalitas: ergo. Quod vero aliqui ajunt sufficere ut causa ante præcesserit, licet jam cum est effectus non sit actu, infra disp. 3. qu. 3. refellemus. — Dices: Finis non est in actu cum suo effectu in actu: ergo. Respondeo cum Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 18. sect. 4. ad 2.: esse simul cum effectu eo modo quo potest esse, scilicet objective ut infra dicetur. Finis enim, sicut solum existit objective non realiter, ita solum objective est causa non physice producendo effectum, nec ulla ratione potest causare nisi existat objective ut dicemus.[1]

Dico tertio. Causa in potentia, seu entitas potens causare sæpe est prior et tempore et ratione effectu, ac proinde recte Aristoteles dixit locis cit. causam et effectum in potentia non semper esse simul. Idem Fonseca citatus etc. Patet, nam sæpe causa præsertim efficiens existit in rerum natura independenter a suo effectu, ut materia ignis existit antequam ex ligno fiat ignis: ergo. Dixi *sæpe,* nam non est necesse semper ita fieri. Imo Aristoteles locis citatis indicat, causam in potentia seu entitatem potentem causare posse esse simul cum effectu, cum ait locis cit. non semper esse necessarium ut causa in potentia et effectus sint simul. Et ratio est, nam licet verum sit causam extrinsecam effectui, qualis est efficiens, si sit independens ab effectu, priorum esse si non tempore, saltem ratione suo effectu, siquidem intellecta causa solum ut causativa, effectus tantum intelligitur ut in potentia. At si causa in sua existentia non pendeat ab effectu, optime potest intelligi ut causativa, non actu causans: ergo sine eo quod intelligatur effectus, intelligi potest tota entitas causæ existere, — licet inquam hoc verum sit, si tamen causa in sua existentia pendeat ab effectu suo ita ut sine illo non possit existere, tunc causa non est prior ratione vel tempore suo effectu.[2] Et ratio est, quia impossibile est intelligere aliquid realiter existere cui ut sic deest aliquid neces-

[1] Verum tamen est ut notat Suarez disp. 26. sect. 2. n. 3. non esse necesse ut finis realem existentiam habeat cum actu causat, sed interdum eam habere ut cum quis agit ut rem existentem assequatur, interdum vero non habere, licet objectivam existentiam habeat semper cum causat. — Dices: Deus fuit ab æterno actu causa, non tamen fuit effectus. Negat optime Suarez n. 17. antecedens. Vide quæ disp. De æternitate mundi ad 1. diximus.

[2] Optime hoc ostendit Suarez sect 2. n. 15. ubi ait triplici modo fieri posse ut agens non sit prius duratione effectu. Primo quia per emanationem ab eo procedit, ut passiones ab essentia; secundo quia est agens necessarium, ut sol etc.; tertio quia libere simul ac est agere vult, ut angeli,

sarium ad existendum: ergo si effectus necessario requisitus est ad existentiam causæ, non potest intelligi causa ipsius realiter existens, quin intelligatur effectus ipsius existere et communicare esse. Antecedens patet, quia res quæ non est a se, intelligi non potest existere, nisi sit causa dans illi esse, et ita debet esse causa adæquata et non sola pars causæ ad hoc ut existat. Si ergo effectus alicujus est pars causæ adæquatæ a qua dependet causa illius, non potest intelligi res illa existens, nisi intelligatur ejus effectus existere. Et ita materia respectu formæ corruptibilis non est prior ratione, cum mutuo dependeant; similiter nec natura respectu passionum, subsistentiæ etc., nec accidens inhærentia et in universum, quando est mutua dependentia inter duo etiam si sit hæc dependentia non ut a causa sed ut a conditione sine qua non, nullum illorum est prius ratione vel tempore (quamvis quodlibet illorum possit esse prius natura in diverso genere causæ), sed sunt simul ratione et tempore, siquidem nisi omnia quæ necessaria sunt ad rei existentiam intelligantur, non potest intelligi res existens. Unde patet, ad hoc ut aliquid communicet esse alteri non esse necessarium ut prius ratione existat, sed sufficit si simul ratione sit cum effectu.

Dices: Causæ intrinsecæ sunt-ne priores ratione composito? Respondeo. Quando causa intrinseca dependet in suo esse ab unione cum alia causa, tunc non est prior ratione composito; quando autem non pendet ab unione tunc est prior. Unde anima rationalis quia in suo esse independens est ab unione qua mediante communicat se materiæ, et compositum componit, idcirco prior ratione est composito. Si enim prior ratione est unione et ab illa independens: ergo et composito, quod essentialiter involvit unionem. Contra vero materia et forma corruptibilis sunt simul ratione cum effectu, nam effectus harum causarum non est alius quam ipsæ causæ unitæ, sed quælibet earum pendet ab unione cum altera, ac proinde non potest esse prior unione, nec possunt intelligi prius existere quam intelligantur unitæ. Ergo simul ratione sunt hæ causæ cum unione: ergo et cum ipso composito quod non est aliud quam hac causæ unitæ.

Dices: Materia non solum ratione sed et tempore prior est hoc composito quod nunc componit: ergo falsa sunt quae diximus. — Respondeo. Materia ut dependens a forma cum qua causat totum, non est prior toto, sicut nec ipsa forma. Quod si prior est

aliquo composito, hoc est quia ut sic non est dependens a forma cum qua illud componit, sed ab alia forma, et ita jam non est dependens ab hac unione qua mediante causat hoc totum quo est prius. Hinc etiam patet expulsionem unionis formæ et introductionem alterius in materiam non esse prius vel posterius ratione, sed simul, siquidem nec intelligi potest materia informata duabus formis saltem totalibus, nec intelligi potest in aliquo instanti sine omni forma, ac proinde independens ab ea.

Comparari posset etiam causa cum effectu in nobilitate et dignitate, an scilicet semper causa sit nobilior effectu, sed de hoc disp. 3. qu. 5. Ultimo dicendum hic erat de variis divisionibus causarum. Sed quia fere omnes divisiones, præter illam quæ est in causas intrinsecas et extrinsecas, de qua diximus qu. 1. sunt causæ efficientis, ideo commodius illas recensebimus in fine sequentis disputationis.

Disputatio III.

DE CAUSA EFFICIENTI.

Placuit tractationem causarum in particulari ab efficiente ordiri, non solum quia ut præcedenti disputatione qu. 2. Circa 3. dixi, perfectissimum præ aliis causis habet modum causandi, verum etiam quia ejus tractatio et difficilior est, et multa ad cognitionem causalitatis materiæ et formæ utilia continet.

QUAESTIO PRIMA.

Quid sit causa efficiens et quae sit ejus causatio seu causalitas; ubi etiam quid sit causalitas in communi.

Suppono ex qu. 3. res aliquas vere produci de novo, quod etiam 1. Phys. ostendimus, ac proinde dari agentia a quibus producuntur, quæ vocantur causæ efficientes, quibus rationem causæ convenire clarum est, siquidem tribuunt entitatem effectui. Posito ergo quod detur causa efficiens, duo illa quæ proposita sunt explicemus.

Circa primum. Aristoteles 2. Phys. text. 29. et 5. Metaph. cap. 2. causam efficientem definit esse, unde primum principium mutationis vel quietis. Et quamvis Pererius lib. 8. cap. 2., Toletus 2. Phys. qu. 7. in 5. fund., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 5. sect. 1. omittant illud *quietis,* male tamen, cum Aristoteles locis citatis addat, et præterea nisi addatur, manca futura sit definitio quæ non conveniet causæ conservanti. Hæc enim quiescere facit rem in esse quod accepit per motum seu mutationem. Per illud *primum* ait Fonseca innuit excludi causam instrumentalem, ac proinde solam principalem causam efficientem hic definiri. Contra tamen est, nam Aristoteles illo 2. Phys. text. 31. cum adfert exempla causarum enumeratarum ait in rebus animatis semen esse causam efficientem, et id unde principium mutationis, et tamen concedunt Fonseca et alii semen esse causam instrumentalem viventis. Quare puto illud *primum* non aliud significare quam principium; unde Aristoteles et 2, Phys. text. illo 31. et 5. Metaph. repetens datam efficientis definitionem, non addit illud *primum,* vel certe ideo additur ut significetur, quod licet in intentione sit prima omnium causa finalis, in executione tamen causa efficiens est quæ primo concurrit ad effectum. Dicitur *unde principium* i. e. unde mutatio non tanquam a termino, sed tanquam ab origine ducit initium. Dicitur *mutationis*, nam non solius motus successivi, verum etiam mutationis instantaneæ principium est causa efficiens.

Dices: Deus est causa efficiens creationis, et tamen per creationem res non mutantur sicut nec per conservationem: ergo male definitur causa efficiens per mutationem. Respondet Pererius citatus, solas causas efficientes per motum definiri hic ab Aristotele. Contra tamen est, nam Aristoteles et hic text. 31. et 5. Metaph. ex definitione inferens quæ habeant rationem causæ efficientis ait quodlibet faciens respectu facti esse efficientem. Respondeo ergo: per mutationem hic intelligi quamlibet rei productionem quæ utcunque mutatio dicitur, quatenus effectus per eam transit de non esse ad esse, et ita aliter se habet post productionem quam ante, unde Fonseca loco cit. ait pro mutationis poni posse actionis. Sensus ergo totius definitionis est: causam efficientem esse principium productionis rei aut status i. e. conservationis.

Verum etsi hæc definitio Aristotelis sit optima, revera tamen nisi explicetur in quo consistat ratio principii quæ soli efficienti

propria est, nondum intelligitur ratio causæ efficientis. Et ratio difficultatis est, nam materia est causa formæ corruptibilis et hæc ab illa pendet ut latius ostendemus disp. 4. et ut constat ex 1. Phys. disp. 2. qu. 3. etiam materia pendet a forma, et eodem modo accidens pendet a subjecto et hoc est causa materialis illius: ergo si materia est causa formæ, et forma vicissim materiæ communicat entitatem et materia formæ, et contra: ergo communicat causa materialis formæ esse distinctum a suo proprio esse, nam non potest materia esse causa formæ intrinseca per suam entitatem, sicut est causa intrinseca compositi, quia in ratione formæ non includitur materia. Hæc autem communicatio per quam formaliter communicat materia esse formæ, non est aliquid essentiale ipsi formæ, sed ratio accidentalis; imo nec quidem identificatum realiter cum entitate formæ, siquidem Deus potest formam v. gr. equi eandem numero quæ nunc a materia dependet, conservare independenter a materia, sicut conservat accidentia Eucharistiæ. Ista vero ratio accidentalis non est alterius prædicamenti quam actionis, quæ secundum suam rationem genericam est fieri termini, seu communicatio esse distincti a proprio esse causæ. Ergo materia est causa extrinseca seu principium extrinsecum formæ corruptibilis per actionem veram et realem. Ex alia vero parte certum est, nec formam materiæ, nec materiam formæ esse causam efficientem, nam si essent sequeretur, non solum duas res in eodem genere causæ esse sibi mutuo causas, quod disput. præced. qu. 3. refutavimus, sed etiam quod materia crearetur a forma, produceretur enim independenter a subjecto. Hinc jam apparet, non sufficienter assignari rationem causæ efficientis ab iis qui dicunt, causam efficientem esse quæ aliquod esse a se distinctum, seu quæ extrinsece se habens per veram et realem actionem tribuit esse effectui. Licet enim per hanc rationem bene distinguatur a fine qui non habet realem actionem, non tamen a causa materiali quæ tribuit entitatem formæ a se distinctam per veram actionem, nec apparet quid sit aliud in quo dici possit consistere rationem causæ efficientis.

Dico breviter. Argumentum factum convincit, etiam causam materialem tribuere formæ corruptibili esse distinctum a suo per veram actionem, et ideo in hoc non consistere rationem causæ efficientis in communi. Causa igitur efficiens in communi est principium motus et quietis, communicans scilicet effectui per actionem

realem distinctum esse a se, ita ut non petat ex sua natura ut talis causa est, dare effectui esse conjunctum et unitum sibi. Per hoc distinguitur a causa materiali et formali, nam ut illa disp. 4. dicam, causa materialis ita communicat esse formæ per actionem ut nullo modo possit illi dare esse nisi recipiendo simul et causando unionem sui cum forma, ac proinde ex natura sua petit ut talis causa est, habere effectum sibi unitum, quod efficienti non convenit. Licet enim causa efficiens respectu actionis immanentis et termini illius ita se habeat ut petat sibi unitum esse effectum, id tamen ut loco cit. explicabimus non postulat ut causa efficiens est, sed quatenus simul exercet causalitatem materialem respectu talis effectus. Subjectum enim quia ex natura sua postulat aliquos actus quibus perficiatur formaliter, hinc est ut postulet etiam respectu horum actuum exercere simul utramque causalitatem, et consequenter ut quatenus exercet causalitatem materialem, habeat effectum sibi unitum, tamen quatenus præcise exercet causalitatem efficientis, id non postulat. Certum enim est, diversam esse causalitatem intellectus v. gr. respectu intellectionis effectivam et receptivam seu materialem, siquidem potest intellectus exercere causalitatem materialem circa illam qualitatem, illam scilicet recipiendo, non exercendo causalitatem effectivam, nam ut lib. De anima ostendemus potest Deus se solo producere illam qualitatem, ita ut intellectus solum recipiat illam. Præterea actio causæ materialis non potest esse adæquata respectu effectus, sed semper exigit causæ efficientis concursum, saltem Dei, ut disp. 4. dicetur. At vero causalitas efficientis in communi id non petit. Cum hac descriptione coincidit illa quam aliqui assignant dicentes, causam efficientem esse illam quæ communicat esse distinctum a se ex vi potentiæ productivæ. Ajunt enim potentiam productivam illam esse quæ communicat esse effectui per actionem realem, ita ut non postulet illum sibi unitum esse; illam autem potentiam quæ communicat esse effectui quem postulat sibi esse unitum vocant receptivam vel informativam. Unde ajunt a communicatione esse, quæ revera est actio, ut non denominetur agens nisi causa efficiens, causa vero materialis denominetur sustentans, causa formalis informans, et ideo communiter dicitur materia nihil agere, et non esse activa ut diximus 1. Phys. disp. 2. in fine, quamvis revera per actionem veram concurrat materia ad formam.

Circa secundum ut explicemus quæ sit causalitas efficientis,

prius videndum est in communi quid nomine causalitatis ipsarum causarum intelligamus, et an causalitates istæ sint aliquid distinctum ab ipsis causis, de quo disputant Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 13. et Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 6. Suppono autem causalitatis nomine non intelligi aliud quam rationem formalem per quam causa constituitur non quidem potens causare, sed actu causans, ut recte Suarez disp. 18. sect. 10. n. 1. Unde quamvis causa constituatur in esse causativi per potentiam, ut ignis per potentiam productivam caloris, materia per potentiam receptivam etc., per causalitatem tamen non constituitur potens, sed per eam reducitur potentia causativa ad actum, et ab hac causalitate seu causatione dicitur causa actu causans. Jam ergo fatentur Fonseca sect. 3. et Conimbricenses rationes causandi, seu causalitates non esse relationes, nam causa non constituitur actu causans per relationem, sed potius relatio consequitur ad actualem causationem, et fundamentum proximum relationis causæ ad effectum sunt ipsæ rationes causandi. Adde quod manet relatio realis causæ ad effectum ut patris ad filium non manente causalitate. Fatentur similiter causalitates non esse res ipsas quæ dicuntur causæ secundum se, sed aliquid illis addi debere, nam sæpe tempore prior est res quæ dicitur causa, non habens ullam causalitatem ut homo qui producit similem sibi: ergo cum existente re quæ dicitur causa, possit non esse ejus causalitas etc. Jam ergo Fonseca concludit, causalitates seu rationes causandi esse ipsas res quæ denominantur causæ quatenus actu concurrunt ad sua effecta. Ratio est ait, quia posito concursu causarum primum ponitur causa in actu, eo sublato primum tollitur: ergo. Quod enim causalitates non sint aliquid ex natura rei distinctum probat in primis ostendendo causalitatem efficientis non esse actionem, sed argumenta quibus id probat infra referemus. Deinde probat causalitatem materiæ et formæ non esse aliquid distinctum ab illis. Si enim sit aliquid distinctum: ergo non jungentur inter se materia et forma immediate ad constitutionem rei naturalis, sed quodam quasi vinculo et glutino mediante, et ita compositum ex materia et forma esset ens per accidens. Conimbricenses loco cit. art. 2. docent quidem causalitatem efficientis cum sit actio distingui a causa tanquam entitatem aliquam, at vero causalitates aliarum causarum non esse entitates distinctas ab ipsis causis, sed esse idem re cum causa et solum modaliter distingui ab illa, quia inquiunt lib. 1. ostensum est

materiam et formam seipsis immediate uniri et constituere compositum. Quod vero distinguantur tanquam modi probant, nam quæ ita se habent ut unum sine altero possit existere, distinguuntur aliquo modo. At illa entitas quæ causa est potest existere quin actu causet; non solum enim efficiens, sed et forma ut anima rationalis, et materia saltem divina virtute existere possunt non causando effectum. Addunt Conimbricenses, hunc modum se habendi qui est causalitas aliud non esse, quam ipsam rem quæ denominatur causa ut actu concurrit ad effectum. His tamen non obstantibus

Existimo, causalitatem non solum efficientis, sed etiam materialis et formalis causæ (de finali enim infra dicemus) esse aliquam entitatem ex natura rei distinctam ab entitate causæ. Probatur. Nam quando duo ita se habent ut uno vere et realiter existente alterum desinat esse et non ob solam desitionem alicujus extrinseci, illa distinguuntur iter se ex natura rei, et sunt diversæ entitates ut late ostendimus in Logica disp. 2. De univ. qu. 2. Sed ita se habent causalitates harum causarum, nam existente causa efficiente, potest non existere ejus causalitas, siquidem potest non esse actu causans. Similiter existente forma ut anima rationali et materia saltem divina virtute sine omni forma existere potest: ergo sine causalitate: ergo causalitates ex natura rei distinguuntur ab entitate causæ. Confirmatur. Nam ostendemus mox causalitatem efficientis esse actionem talem, quæ ex natura rei differt a causa. Similiter causalitatem primariam materiæ et formæ esse unionem qua mediante tanquam entitate ex natura rei distincta uniuntur ut 1. Phys. disp. ult. probavimus. Causalitatem autem secundariam earundem ostendemus esse actionem quæ etiam ab agente distinguitur: ergo.

Ex quo refellitur fundamentum Fonsecæ et Conimbricensium quo probant causalitatem materiæ et formæ non esse aliquid distinctum ab ipsis. Nam ut loco cit. ostendimus ipsi putant non dari unionem substantialem materiæ cum forma; deinde ad hominem contra ipsos sic argumentor. Si rationes causandi sunt ipsæ res ut actu concurrunt ad effectum, quæro: an iste concursus rerum quæ causæ dicuntur addant aliquam entitatem distinctam ipsi entitati causæ, an non. Si non: ergo causalitas cujuslibet causæ non est aliud quam ipsa entitas rei quæ dicitur causa, quod ipsi negant propter rationem supra allatam. Si addit: ergo causalitas est aliquid additum rei quæ causa denominatur distinctum ab

ipsa, nam illud est causalitas rei quæ denominatur causa quo amplius habet cum actualiter causat, quam habuerit antea. Respondet Fonseca citatus sect. 4. Concursum causæ nullam entitatem distinctam ab ipsa entitate causæ includere, negat tamen hinc sequi causalitatem esse ipsas causas secundum suam entitatem sumptas absolute. Licet enim res quæ concurrit ad effectum non plus entitatis habeat in se quam si absolute sumeretur, hoc tamen amplius habet quod ab illa actu pendeat effectus. Si quæras, an effectus ut actu pendet a causa aliquid habeat plus quam effectus absolute et secundum suam entitatem sumptus: respondet. Non plus entitatis habere, tamen hoc amplius habet quod actu pendeat a causis. Sed revera hæc non expediunt rem. Si enim nihil amplius entitatis est in causa ut ab ea actu pendet effectus, nec in effectu actu pendente a causa, evidens est causalitatem realem causarum, quæ est aliqua realis entitas, non esse aliud quam entitatem rei quæ dicitur causa, et entitatem rei quæ dicitur effectus. His positis

Circa causalitatem causæ efficientis prima sententia est Fonsecæ 5. Metaph. cap. 2. qu. 5., Soncinatis et Javelli 5. Metaph. qu. 4. dicentium causalitatem efficientis non esse actionem, ait ergo Fonseca causalitatem efficientis esse influxum quendam, quem putat ipse esse in efficiente, nam ut diximus, putat causalitates omnium causarum in communi esse ipsas causas ut actu concurrunt; et quod causalitas efficientis non sit actio, *probat primo.* Actio recipit suum esse ab agente cum sit de novo in rerum natura et non a se causalitas aliud debet esse ab effectu causæ, nam causalitas non causatur sed per illam causatur effectus. At actio est effectus causæ efficientis. Ergo datur causa respectu illius. Hæc autem non est actio, siquidem non datur actio actionis. *Secundo:* Actio est idem cum re quæ fit ut est imperfecta et in via. At certum est, rem quæ fit, ut est imperfecta, non esse rationem causandi sed effectum imperfectum: ergo et actio est effectus causæ efficientis. *Tertio* sic argumentatur illa qu. 13. cit. sect. 2. Deus vere et proprie est causa efficiens rei quam creat, et tamen non creat per aliquam actionem: ergo actio non est causalitas efficientis in communi. Minor probatur. Nam si creatio esset actio ac proinde accidens, deberet esse in subjecto. Non potest autem esse in ullo subjecto, nam non in creante ut patet; nec in re creata, nam subjectum prius est accidente quod in se recipit; at terminus productus per creationem non est prior creatione: ergo.

Secunda tamen sententia et nostra conclusio est, rationem causandi efficientis esse actionem per quam ita producitur effectus ut ex vi talis productionis non necessario debeat effectus esse unitus causæ suæ, quod addo ut distinguam causalitatem efficientis a causalitate secundaria materiæ et formæ. Ita Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 7. art 2., div. Thomas 5. Metaph. cap. 2., Albertus citatus ab ipsis et Suarez disp. 18. sect. 10. n. 5. Probatur. Causatio seu causalitas causæ efficientis non est aliud quam id per quod causa constituitur actu causans, et causa secundum actum. Sed actio est forma per quam res denominatur actu efficere et agare ut docet auctor Sex principiorum. Ergo actio est causalitas efficientis. Unde actio non est aliud quam via et causatio per quam causa tribuit entitatem effectui, unde illa posita intelligitur efficiens actu causans, et illa sublata jam non est actu causans. Confirmatur. Producere, efficere etc. aliquid, sunt idem quod dare esse efficienter, seu causare efficienter: ergo a conjugatis productio, effectio, actio sunt idem quod actus dandi esse efficienter, et causatio causæ efficientis. Confirmant Conimbricenses, nam causalitas causæ est per quam causa aliquid per se causat, cum fingi non possit quid aliud sit. Sed actio respectu causæ efficientis est tale quid; est enim qua mediante efficiens attingit effectum. Ergo. Addunt Conimbricenses quod si causalitas efficientis est aliquis modus seu influxus in ipsa causa existens ut vult Fonseca, sequi Deum cum aliquid de novo producit novum modum realem sibi intrinsecum acquirere, consequenter mutari. Ex his patet quod cum actio (ut qu. sequ. dicetur) realiter differat a causa et a termino actionis, male a Fonseca dictum causalitates causarum esse ipsas causas.

Ad primum Fonsecæ respondeo. Actio quidem vere et proprie dependet et accipit entitatem ab efficiente, proinde est aliquo modo effectus illius ut recte Gregorius 2. dist. 1. qu. 5. art. 2. ad argum. contra concl. quod ostendit ex Damasceno et Nazianzeno, non tamen sequitur non esse causationem efficientis. Imo potius quælibet causatio et causalitas procedere et pendere debet a causa cujus est causatio, proinde debet esse effectus imperfectus illius. Et sane si causatio non potest dependere a sua causa, nulla posset esse causatio realis efficientis cum nulla sit forma realis quæ non habeat efficientem. Nec tamen ex hoc sequitur debere respectu hujus effectus imperfecti dari aliam causalitatem efficientis. Ratio

est, nam quod taliter habet esse ut suum esse sit ratio formalis et ultima quare aliquid fiat, non eget alia ratione formali qua fiat, eo enim ipso non esset ultima ratio formalis. Sicut existentia non per aliud sed seipsa existit, unio seipsa unitur materiæ, ubi est in hac vel illa parte universi seipsa etc.; ita ergo in præsenti actio quæ causalitas efficientis et effectus illius imperfectus, seipsa est causalitas per quam efficiens constituitur actu causa etiam respectu ipsiusmet actionis. — Ad secundum, concedunt antecedens Conimbricenses, ostendemus tamen quæstione sequenti actionem ex natura rei distingui tanquam entitatem diversam a termino, licet etiam actio sit effectus imperfectus agentis. — Ad tertium recte docent Conimbricenses creationem esse actionem ut quæstione sequenti ostendemus, illud tamen non bene concedunt eam subjectari in termino producto, nulla enim actio subjectatur in termino ut dicetur.

QUAESTIO SECUNDA.

Quid sit actio quae est causalitas efficientis, ubi etiam de passione.

Disputant communiter auctores de actione in libris De generatione. Quia tamen nec causalitas efficientis, nec natura motus qui essentialiter est actio intelligi possunt nisi intelligatur quid sit actio: ideo placuit aliquot dubitationibus hoc loco naturam actionis explicare.

Dubium 1.

AN ACTIO DISTINGUATUR EX NATURA REI A TERMINO PER ILLAM PRODUCTO.

Antequam dubium dissolvamus, explicandum est breviter quæ sit ratio formalis actionis et quis ejus conceptus in communi. Actionis ergo nomine intelligimus actum agentis communicantis esse alteri, ita ut per hunc actum formaliter habeat esse effectus virtute ejus causæ cujus est actus. Vocatur autem productio, communicatio, exhibitio, effectio entitatis, causalitas, concursus, exercitium causæ efficientis et influxus ejusdem, item dependentia effectus in esse a sua causa. Quod ut intelligatur sciendum est, rem omnem quæ habet esse ab alio, necessario habere esse com-

municatum medio actu virtutis activæ seu potentiæ (nisi sit ipse actus virtutis productivæ, qui non egit alio actu, sic enim daretur infinitus processus). Nam ut qu. 6. dicam principium et ratio producendi aliud est virtus activa per quam res est potens tribuere entitatem effectui, ex vi tamen hujus potentiæ res non accipit suum esse nisi intercedat exercitium et actus hujus virtutis, qui formaliter est communicatio esse, siquidem sæpe existit talis virtus productiva, et tamen non recipit esse aliquis effectus possibilis ex vi talis potentiæ produci. Ergo aliquid præter hanc potentiam requiritur ut actualiter incipiat esse effectus, quod vocamus actionem seu exercitium virtutis activæ. Hoc autem exercitio indiget et ab eo pendet effectus in genere causæ formalis. Ratio est, nam actus iste potentiæ non est potentia activa vel passiva, sic enim haberet suum actum, cum omni potentiæ respondeat actus: ergo produceret alium actum, et sic in infinitum. Præterea potentia effectiva causæ efficientis et receptiva subjecti sufficiunt ad dandum esse effectui: ergo actus virtutis effectivæ quo mediante communicatur esse effectui non erit potentia, nec ab illo pendebit effectus nisi ut ab exercitio virtutis activæ, ac proinde ut a causa formali, a qua formaliter habet effectus esse communicatum a virtute causæ. An autem hæc causa formalis sit intrinseca effectui, vel extrinseca, id dubio sequenti dicetur.

Jam ergo non omnes consentiunt quid sit hæc actio. Quidam enim apud Toletum in Prædic. cap. De actione qu. 1. actionem ajunt esse relationem agentis ad patiens. Sed hoc merito judicat Toletus indignum philosopho, tum quia effectus non pendet a relatione agentis ad illum, et manere potest hæc relatio non manente actione; tum quia hæc relatio habet actionem pro ratione fundandi: ergo distinguitur ab illa. Ut omittam, hanc relationem esse intrinsecam agenti, cum tamen actio sit extrinseca in passo existens. Alii ut Soncinas 5. Metaph. qu. 36. ajunt actionem esse ipsam formam factam seu ipsum terminum ut virtute causæ actu causantis existit. Sed mox ostendemus actionem ex natura rei distingui a termino seu forma quæ per illam fit. Denique Cajetanus dub. 2. citandus ait esse applicationem virtutis activæ, seu conatum quendam in agente existentem. Sed revera hoc est figmentum, tum quia quamvis conetur quis et applicet potentiam, si nihil producat, nihil agit; tum quia ostendemus mox non posse actionem transeuntem esse aliquid intrinsecum agenti. Omitto autem

hic figmentum Democriti qui ut auctor est Aristoteles 1. De gener. text. 57. actum volebat esse atomorum transmissionem, contra quod bene ibi Aristoteles, div. Thomas 1. p. qu. 115. art. 1., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 11. art. 3. in fine, sic enim quo diutius aliquid ageret eo semper minus ac minus maneret.

Actio ergo in communi et generaliter sumpta (prout scilicet complectitur etiam influxum secundarium materiæ in formas completas, et formæ in materiam, quem influxum esse veram actionem qu. 1. diximus et latius disp. 4. dicetur) est influxus seu actus causæ quo formaliter dat causa esse effectui realiter distincto. Si autem actionem quæ propria est efficientis distinguamus ab actione causæ materialis et formalis, tunc actio propria efficientis erit actus causæ quo formaliter habet esse effectus virtute ipsius causæ, ita ut ex vi talis actionis non petatur conjunctio et unio causæ cum effectu, ut petitur ex vi actionis causæ materialis et formalis, cum ut quæstione prima diximus, non possint hæ causæ concurrere nisi uniantur. His positis in præsenti dubitatione

Prima sententia est, actionem esse idem re ipsa cum termino, et sola ratione distingui ab illo; ita Soncinas et Javellus 5. Metaph. qu. 4., Pererius lib. 13. qu. 10., Sotus 3. Phys. qu. 2. Ibidem Toletus et Ferrariensis qu. 3., Gregorius 2. dist. 1. qu. 5. art. 1. concl. 3., Molina 1. p. qu. 28. art. 2. disp. 2. Probatur primo ex Aristotele qui 3. Phys. text. 4. motum ait non esse præter res ad quas tendit; at motus est actio: ergo. Secundo. Actio est fieri effectus et communicatio entitatis illius. At fieri non distinguitur ab entitate ejus quod fit; si enim distingueretur, non esset fieri illius et communicatio entitatis effectus, sed alia entitas distincta cui communicata esset entitas ab agente per aliam communicationem. Et certe entitas termini præcisa a qualibet entitate distincta a se, sufficienter intelligitur communicata eo ipso quod est vis in agente, et illa est ex vi illius. Ergo superflue additur actio realiter distincta. Confirmatur ex Gregorio. Nam actio est actus agentis ut tale; sed terminus productus est actus agentis, nam potentia activa agentis est principium illius effectus. Cujuscunque autem potentia activa in quantum hujusmodi est principium, est actus illius et operatio agentis. Confirmat 2. Gregorius, nam si est entitas distincta posset Deus facere ut agens producat actionem et non terminum, ut si solum velit concurrere Deus cum igne ad calefactionem, non ad calorem; id autem implicat: ergo. Tertio, si

actio est entitas physica: ergo educta est ex potentia termini et dependenter ab illo tanquam subjecto, et ita pendebit ab illo ut a causa materiali: ergo ipse terminus non minus erit causa sui in genere causæ materialis, quam efficiens est causa termini in genere causæ efficientis, nam ideo efficiens causat terminum quia est causa actionis qua terminus recipit esse: ergo si ipse terminus est causa materialis actionis eam sustentans, erit causa sui ipsius quod implicat. Confirmatur. Nam licet dicamus subjectum actionis non esse ipsum terminum productum, adhuc tamen si distinguitur ex natura rei a termino sequitur, quidquid tandem sit quod est subjectum immediatum actionis, illud habere influxum in actionem, cum sit causa materialis talis actionis. Ille autem influxus causæ materialis est vera actio ut qu. 1. diximus et latius infra. Ergo si actio realiter distinguitur a termino, etiam hic influxus causæ materialis realiter distinguitur ab actione causæ efficientis, et sic erit actio actionis in infinitum. Confirmatur 2. Nam sicut actio seipsa formaliter pendet ab agente, ita et quælibet alia res poterit, cum non sit major ratio unius rei factæ ab agente quam alterius inquit Gregorius.

Secunda sententia est: actionem saltem aliquam distingui ex natura rei, et non per solum intellectum a termino. Ita Paulus Venetus 3. Phys. text. 19., Ferrariensis 1. Contra gent. cap. 53., Bannez 1. p. qu. 27., Suarez 3. p. tom. 2. disp. 43. sect. 6. in fine, ubi actionem ait ex natura rei differre a termino, idem Conimbricenses 2. Phys. cap. 2. qu. 3. art. 2., Aureolus 1. dist. 27. qu. 1. art. 1. §. Secunda quæstio.

Dico primo. Actionem per quam causa incipit influere in rem cum ante non influerit licet haberet virtutem activam, distingui ex natura rei ab efficiente. Ita div. Thomas 1. p. qu. 54. art. 2. corp., Gregorius cit. art. 1. concl. 1. Probatur primo. Illa distinguuntur ex natura rei quorum alterum sine altero realiter existit. Sed causa efficiens cum virtute activa potest existere quin actu causet et producat effectum, atque adeo quin habeat effectum a se dependentem. Ergo ex natura rei differt a sua actione. Secundo. Causa in actu simul est cum effectu ut ex Aristotele diximus disp. præced. qu. 5., non enim est actu causa nisi cum actu producit, ac proinde actualis causatio per quam constituitur res in esse causæ actu, non est sine effectu. Sed causa efficiens cum tota sua virtute effectiva est sine effectu: ergo causa efficiens non est actualis causatio efficientis, ac proinde nec actio. Tertio probat Gregorius, nam

agens est principium actionis, et actio ab illo procedit. Sed omne quod ab alio procedit realiter ab illo distinguitur. Eodem modo ait passio cum sit in patiente distinguitur ab illo.

Dico secundo. Sæpe actio ex natura rei distinguitur ab effectu. Ita omnes auctores qui dicunt omnia prædicata distingui ex natura rei inter se; item qui docent omnia prædicata accidentis distingui a substantia ex natura rei, hi enim consequenter dicere debent actionem terminatam ad substantiam distingui ex natura rei a substantia, hos autem citavimus in Logica disp. 3. De prædic. qu. 4. Idem dicunt qui actionem ajunt esse in agente, quamvis ejus terminus sit extrinsecus agenti, et præter hos auctores citati pro secunda sententia. Probatur primo cum Aureolo citato. Quorum alterum realiter existere potest pereunte altero non propter desitionem alicujus extrinseci, illa distinguuntur realiter ut late ostendimus in Logica, cum eadem realitas non possit esse et non esse simul. Sed manere potest entitas termini, actione desinente per quam producta est ab agente, idque sine ulla mutatione facta in aliquo extrinseco. Ergo distinguitur ex natura rei, vel certe una et eadem realitas perit et remanet simul. Respondent aliqui: manere entitatem actionis non tamen formalitatem, quia eadem entitas in primo instanti est actio, postea non est, et ita quamdiu manet terminus manet actio, sed desinit esse actio, quia ut sit actio debet ait Gregorius cit. ad 1. contra 3. concl. esse actualiter ab activo. Contra est, nam ista formalitas non est aliquid fictum ab intellectu, sed est aliquid reale: ergo si hæc formalitas desinit esse, et non propter desitionem extrinseci, desinit aliqua entitas realis esse, quod hoc argumento ostendo. Omnis actio est entitas realis, pereunte hac actione perit aliqua actio: ergo pereunte hac actione perit aliqua entitas realis. Si autem dicatur, hanc formalitatem desinere esse, non quia entitas illius intrinseca corrumpitur, sed quia incipit res non esse conceptibilis ut actualis influxus causæ propter desitionem alicujus extrinseci, ad eum modum quo diximus nos de relatione in Logica, — contra est. Tum quia in argumento secundo ostendam sine desitione extrinseci actionem desinere; tum quia aliqua ratio formalis non potest desinere esse conceptibilis propter defectum alicujus extrinseci, nisi tale extrinsecum quod desinit includatur in conceptu talis formalitatis, ita ut formalitas illa concipi non possit nisi concipiatur tale extrinsecum. Si enim illud extrinsecum non sit hujusmodi, quantumvis desinat esse, non idcirco res non

est conceptibilis eodem modo quo ante erat conceptibilis. Sed licet adversarii dicere possint, aliquod extrinsecum termino, necessarium tamen ad conceptibilitatem actionis deesse quando vel causa corrumpitur, vel Deus denegat concursum, sine quo concursu virtus creata est incompleta et insufficiens agere ut qu. 3. dicetur, tamen cum nihil horum deest, sed tantum deest v. gr. approximatio vel finis naturalis actionis, ut postquam productus est effectus qui postulat conservari a solo Deo, clarum est nullum extrinsecum tunc deesse necessarium ad conceptum actionis, nam nec approximatio nec finis actionis est de conceptu essentiali actionis. Ergo. Adde contra Gregorium quod illa entitas vel seipsa est actio, vel non. Si seipsa: ergo quamdiu manet illa entitas etiam actio manet. Si non seipsa: ergo aliquid addi debet per quod fiat actio, seu potius actio addi debet distincta a causa et termino producto; quod volumus.

Secundo probatur conclusio. Impossibile est ut res acquirat novam relationem realem nisi fiat aliqua realis mutatio in entitatibus absolutis termini vel fundamenti. Sed quando res producitur ab hoc agente, habet relationem hæc causa ad effectum, quam non haberet si res illa a solo Deo producta esset, quamvis eadem entitas termini tota extitisset. Ergo tunc quamvis eadem omnino et tota entitas termini existat quæ futura erat si a solo Deo produceretur, aliqua diversitas tamen est in entitatibus absolutis quæ non fuisset si a solo Deo esset productus effectus. Ergo præter entitatem causæ et effectus, est aliqua entitas absoluta quæ est actio in qua esset dicta diversitas. Confirmatur. Nam fieri potest ut idem effectus numero ab una causa productus, ab alia postea iterum producatur non solum actione specie distincta, quomodo idem homo qui per generationem a patre producitur per resurrectionem a Deo solo reproduci potest, sed etiam actione ejusdem omnino speciei et solo numero distincta, ut ex qu. 7. constabit, et patet in mysterio Transsubstantiationis. Tunc ergo non solum incipit nova causa vel antiquus effectus habere novam relationem, quod tamen habere non potest nisi aliquid absolutum reale incipiat esse, — verum etiam sine ulla mutatione ullius extrinseci incipit esse vera et realis actio quæ ante non fuerat, nullo tamen novo termino existente, sed eodem qui jam ante existebat ex vi novæ actionis recipiente esse. Quod clarius apparebit si Deus se solo sine instrumento faciat plures transsubstantiationes in idem corpus, vel sine transsubstantiatione pluribus actibus numero diversis producat eandem rem.

Dico tertio. Aliqua actio non distinguitur ex natura rei a termino producto, sed est omnino idem re cum illo, ita ut per solum intellectum distinguatur ab illo. Probatur. Nam licet verum sit ut diximus actionem sine qua potest effectus existere, saltem ex vi alterius actionis distinctæ, esse distinctam a termino, tamen effectus qui non potest esse sine actuali concursu hujus numero causæ, non potest ex ullo principio efficaciter ostendi quod per actionem e se distinctam producatur ut de duratione, ubi etc. ostendemus disp. De motu qu. 1. com. 4.

Ex his constat primo. Actionem omnem debere habere terminum qui fiat per illam, ac proinde implicare contradictionem ut sit actio et non producatur aliquid per illam ut recte Suarez tom. 3. disp. 50. sect. 3. concl. 3. et latius disp. 48. Metaph. sect. 2. n. 16. et disp. 31. sect. 9. n. 14. et 15., Mayronis 1. dist. 16. qu. 4., Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 3. art. 2., Molina 1. p. qu. 27. art. 1. disp. 8. memb. 2. et idem docet Scotus. Ratio est evidens. Nam actio non est aliud quam fieri termini, seu communicatio esse ex vi potentiæ activæ. Ergo cum actio non sit aliud quam exercitium potentiæ activæ, et potentia activa non sit aliud quam virtus communicativa esse, impossibile est actionem esse exercitium potentiæ activæ et communicantis esse, quin sit aliquod esse communicatum ex vi illius. Et negare hoc principium est penitus destruere naturam actionis. Ex quo ulterius sequitur id quod optime infert Suarez loco cit. concl. 1., ubicunque scil. reperitur novus effectus, reperiri etiam novam actionem per quam fiat talis effectus. Idem enim præterquam quod inductione patet in omnibus effectibus, etiam ratione probatur. Nam si res aliqua nunc est et ante non fuit: ergo per influxum alicujus causæ agentis recipit suum esse: ergo per actionem quæ nil aliud est quam influxus causæ agentis. Deinde omne quod factum est per aliquod fieri factum est; sed fieri termini est actio: ergo. Terminus autem actionis qui fit ultimate est compositum ut ait Aristoteles 1. Phys. text. 64., 12. Metaph. text. 18., 7. Metaph. text. 26. 31. etc., div. Thomas 1. p. qu. 90. art. 2. licet terminus immediate productus sit forma substantialis vel accidentalis, aut unio ut in hominis generatione. Quod si Aristoteles dicat formam non produci sed compositum, solum vult non produci separatim et non constituentem compositum, nam alias absolute concedi debet formam fieri et produci et esse terminum immediatum

actionis. Tum quia eatenus causa producit compositum quatenus educit formam de potentia materiæ, vel eam unit; sed formam educere est illam efficere: ergo eatenus producit compositum quatenus educit formam. Tum quia omnis entitas de novo incipiens habet actionem per quam producitur: ergo et forma; at terminus actionis est id quod producitur per illam: ergo. Nec in hoc potest esse controversia nisi in verbis. Solum ergo quia formam producit natura ut constituat compositum, ideo dicitur ultimus terminus productionis compositum.

Sequitur secundo. Actionem esse actum causæ efficientis, sive hæc sit substantia, sive accidens. Unde quamvis verissimum sit quod docet Aristoteles 1. Metaph. cap. 1. et late explicat ibi Fonseca qu. 5. sect. 3. actiones omnes esse singularium, quia scil. immediate oriuntur a singularibus et in illis recipiuntur, et per illas producitur terminus singularis, propterea quod nihil sit existens in rerum natura quod non sit singulare, id autem quod producit realiter vel producitur debet esse aliquid existens a parte rei ut qu. 3. ostenditur; tamen universaliter verum non est actionem debere esse suppositorum, nam accidentia Eucharistiæ agunt etiam separata a subjecto omni. Nec Aristoteles unquam docuit actiones debere esse suppositorum, sed singularium, et 1. De anima text. 64. docet hominem irasci, texere etc. non animam, quod verissimum est, sed ex eo solum sequitur actionem denominare totum compositum, quamvis una tantum pars compositi sit principium immediate productivum illius. Sed de hac re fuse Fonseca citatus.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum. Aristoteles ibi solum docet motum non esse absque termino, sed necessario habere terminum qui fiat per illum. Ad secundum. Actio est fieri termini et communicatio entitatis effectus, nihilominus sæpe est entitas distincta ab effectu, quæ ex vi potentiæ agentis recipit suum esse ut qu. præced. ad 2. diximus, non tamen per aliam actionem. Nam ut recte Suarez tom. 3. disp. 47. sect. 3. §. Sed supponunt, repugnat actionem fieri per aliam actionem, tum quia alias procedendum in infinitum, tum quia eo ipso quod actio est fieri termini et dependentia effectus a causa, intrinsece et essentialiter est etiam fieri sui ipsius, cujus rationem a priori dedimus qu. præced. ad 1. Sicut enim substantia per quantitatem formaliter habet extensionem partium, quantitas seipsa, ita in præsenti etc. Entitatem autem termini non posse intelligi communicatam etiamsi

sit vis in agente, jam ostendimus, siquidem entitas termini esse potest, et etiam vis in agente, tamen potest non esse actio. Ad confirmationem respondeo. Actio dicitur actus agentis a quo scilicet formaliter extrinsece agens denominatur et per quem formaliter producit effectum, quod termino non convenit, nec ei omni quod est a potentia tanquam principio. Ad secundam confirmationem nego consequentiam ut ex primo consectario patet. Ad tertium argumentum. Falsum supponit argumentum, scilicet actionem esse in termino tanquam in subjecto ut mox ostendemus. Ad confirmationem. Concedo subjectum habere influxum secundarium in actionem causæ efficientis, hic tamen influxus causæ materialis in actionem non est distinctus realiter ab ipsa actione. Cum enim talis actio ,quæ est in subjecto, et consequenter per quam e potentia subjecti educitur terminus actionis, non possit esse sine causa materiali, non habemus principium distinguendi causalitatem secundariam materiæ ab ipsa actione. Ad secundam confirmationem patet ex iis quæ in simili disp. 4. in 1. Phys. qu. 2. ad 1. diximus.

Dubium 2.

IN QUO SUBJECTO SIT ACTIO.

Certum est cum agens in seipso producit effectum, actionem manere in agente ut patet in intellectione, visione etc. quæ actiones propterea dicuntur immanentes, quia scilicet et ipsæ et termini illarum sunt in causa efficiente. Ratio est, nam actio debet manere cum termino producto: ergo si terminus productus est in agente, etiam actio erit. Difficultas ergo solum est: an actio cujus effectus non est in agente, sed ab eo separatus et transiens in aliud, sit in agente vel in passo, ut cum ignis producit calorem in manu etc., ita ut propterea talis actio dicatur transiens quia ab agente ad passum transeat. In qua re

Prima sententia est, hujusmodi actionem esse in agente, et solum dici transeuntem actionem, quia ejus effectus est extra agens, licet ipsa actio non transeat sed sit in agente. Ita Scotus 4. dist. 13. qu. 1., Cajetanus 1. p. qu. 25. art. 1. et qu. 40. art. 2., Canariensis 1. p. qu. 27. art. 1. disp. 4. ex quo ipse concludit actionem a termino distingui; Lullus citatus a Fonseca, et favet div. Thomas ab eodem citatus. Probatur argumentis a Toleto allatis. Primo, omne accidens denominat subjectum in quo est et

tribuit illi suum effectum essentialem. Sed actio denominat agens, non passum sed causam efficientem, atque ita esse agens est effectus formalis actionis. Ergo. Confirmatur. Nam si actio non est in agente: ergo esse agens est sola extrinseca denominatio et ens rationis. Secundo. Actus est in eo cujus est actus; sed actio est actus agentis: ergo est in agente. Confirmatur. Nam Aristoteles 8. Physicorum text. 7. ideo ait mundum esse ab æterno quia si in tempore inciperet, Deus mutaretur, quod tamen non sequeretur si actio non sit in agente. Tertio. Agens agendo perficitur; at si actio non subjectaretur in illo non perficeretur: ergo. Confirmatur. Generatio in divinis est in Patre generante: ergo et generatio in humanis. Confirmatur 2. In quo est relatio, in eo est ratio fundandi relationem; sed relatio agentis est in causa: ergo et actio quæ est ratio fundandi.

Secunda sententia est. Actionem esse in effectu producto, seu in termino actionis tanquam in subjecto. Ita Suarez 3. p. tom. 3. disp. 5. sect. 3. n. 2., quod et Molina infra citandus fatetur de actione creativa. Probatur primo ex Aristotele 9. Metaph. text. 16. ubi ait, quando per actionem fit aliquid extrinsecum, tunc actio est in eo quod fit; at vero quando per actionem nil extrinsecum producitur, actionem esse in producente: ergo. Secundo. Actio intrinsece denominat terminum factum, non vero agens, vel subjectum termini: ergo est in ipso termino intrinsece. Tertio. Actio est ratio formalis qua effectus dependet a causa, et est dependentia effectus a causa: ergo intrinsece est in effectu producto. Probatur consequentia. Nam ut dubio primo initio diximus terminus productus dependet ab actione, non tanquam a potentia productiva, sed tanquam a causa formali per quam efficiens recipit esse a causa. Cum autem causa formalis alia sit extrinseca, quomodo a visione formaliter dicitur patiens visus; alia intrinseca, certum est terminum non pendere ab actione tanquam forma extrinseca, sed tanquam intrinseca, tum quia ut inductione patet nullum subjectum a forma extrinsece denominante pendet realiter; tum quia entitas effectus est terminus intrinsecus actionis, siquidem actio intrinsece terminatur ad illam entitatem, et nisi hoc dicatur intelligi non potest quomodo per actionem formaliter effectus habeat suam entitatem communicatam ab agente. Ergo productio est intrinseca termino producto. Unde concludunt hi auctores, omnem actionem esse in effectu producto, nec ex eo distingui actionem transeuntem

ab immanente quod immanens sit in agente, sed quia cum omnis actio sit in re quæ fit, dicitur actio immanens si effectus maneat in producente, si non maneat transiens.

Dico primo. Actio quæ habet effectum non unitum ipsi agenti, seu quod idem est actio transiens non est in agente ut in subjecto. Ita Soncinas 5. Metaph. qu. 36., Fonseca ibi cap. 15. qu. 8., Javellus 9. Metaph. qu. 15., Ferrariensis 3. Phys. qu. 3., Sotus qu. 1., Toletus qu. 2., Conimbricenses cap. 3. qu. 1., Pererius lib. 13. cap. 7., Gregorius 2. dist. 1. qu. 5. art. 1. concl. 5., Aureolus 1. dist. 27. qu. 1. art. 2. §. Restat ergo, et div. Thomas 1. p. qu. 18. art. 3. ad 1. et qu. 37. art. 2. Est præterea hæc expressa sententia Aristotelis 3. Phys. text. 19. et 2. De anima text. 24. 26. et 139. motus ait actio et passio est in eo quod movetur, et text. 140. actio et passio ait in patiente est, non in agente. Facile hanc conclusionem probant qui actionem idem re ipsa esse putant cum termino. Probatur primo. Nil reale in tempore productum recipitur in substantia Dei agentis in tempore, quia Deus mutaretur. Sed actio per quam Deus producit res in tempore est aliquid productum in tempore. Ergo. Minor probatur. Deus non fuit ab æterno actu operans et causans ad extra, sed in tempore denominatus est de novo operans: ergo forma a qua denominatur actu operans in tempore debet incipere: ergo illa forma non est in Deo. Antecedens patet, nam si productio seu operatio a qua Deus dicitur operans fuisset ab æterno: ergo cum impossibile sit existere productionem rei et non rem productam, etiam terminus productus fuisset ab æterno, nec quidquam Deus de novo produceret: ergo actio Dei per quam de novo aliquid producit non est in Deo formaliter: ergo nec actiones aliorum agentium, siquidem actiones omnes eundem modum communicationis postulant cum termino, ac proinde si constet aliquas actiones esse extra agentem, omnes erunt. Et confirmatur. Nam posito hic igne et stuppa, eo ipso quod in stuppa resultat calor virtute ignis, ignis dicitur et est vere agens, licet nil acquirat de novo, et est vere producens calorem.

Probatur secundo. Motus est in mobili ut docet Aristoteles 11. Metaph. sum. 4. cap. 1. etc. et patet, nam calefactio qua ignis calefacit lignum non est in ipso igne, siquidem ageret ignis in seipsum et seipsum calefaceret quod fieri non posse lib. De gener. ostendemus. Sed omnis motus est actio, licet non contra: ergo saltem aliqua actio, scilicet motus non est in agente. Eadem autem

est ratio de aliis actionibus: ergo. Ratio a priori est, nam terminus productus per actionem pendet ab actione ut a ratione formali per quam fit, siquidem per illam intrinsece dependet effectus a causa: ergo est conjuncta termino producto, et simul cum illo: ergo si terminus productus non est in agente, nec actio per quam fit erit in agente. Ex quo patet, ideo has actiones dici transeuntes quia sunt extra causam. Confirmatur. Eadem est via per quam agens tribuit entitatem effectui et per quam effectus recipit. Sed via per quam effectus accipit entitatem debet esse conjuncta effectui. Ergo et via per quam agens tribuit entitatem i. e. actio. Minor probatur. Pendere et accipere entitatem non est denominatio extrinseca rei, sicut videri etc. quæ sunt denominationes sumptæ ab actionibus existentibus in vidente etc.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum late respondet Fonseca, Conimbricenses, Toletus, Pererius citati. Actio ait recte Gregorius ad 5. contra 5. conclusionem intrinsece denominat terminum factum, cum ipsa actio sit fieri termini, extrinsece tamen ait Gregorius cit. ad 1. cont. 5. concl. denominat causam efficientem agentem, sicut visio denominat hominem videntem, parietem visum ut late ostendimus in Logica disp. 1. De univ. extrinsecas denominationes sæpe esse reales, nunquam vero pura entia rationis.

Ad secundum. Aristoteles solum vult actum informantem debere esse in subjecto. Quod si lib. De somno dicat ejus esse actum cujus est potentia, nihil contra nos, nam sicut efficiens causa habet potentiam activam, ita actio est actus talis potentiæ, sed non intrinsecus. Ad confirmationem. Aristoteles ibi solum vult ut recte Gregorius ad 1. Deum mutandum si in tempore inciperet velle producere mundum, quem ab æterno voluisset producere, quod quomodo verum sit difficile est intellectu, cum certum sit actus liberos nil intrinsecum addere Deo, de quo alibi. Si autem ponatur Deus ab æterno voluisse creare, putat Aristoteles consequens esse ut ab æterno creaverit, quod falsum esse 8. Phys. ostendemus.

Ad tertium. Recte div. Thomas 1. p. qu. 16. art. 3. docet agens actione transeunte solum extrinsece perfici, quatenus per eam conservat speciem, ut idem ait qu. 44. art. 2., et quatenus est bonum illius extrinsecum actio ad quam ordinatur. Ad confirmationem. Nego consequentiam, nam si generatio Dei est in Patre (de quo non disputo) ideo est, quia communicat filio eandem numero naturam quam habet, et per actum intellectus immanen-

tem; at homo generat hominem habentem naturam realiter distinctam et per actionem transeuntem. Ad secundam confirmationem respondet Gregorius ad 10. generationem non esse rationem fundandi, sed quia id falsum est, nego majorem.

Dico secundo. Etsi actio debeat intrinsece unita esse termino, tanquam via sua ad illum, et puncta v. gr. terminantia quantitati, tamen non sunt in termino tanquam in subjecto, a quo tanquam sustentante dependeant in genere causæ materialis. Est aperta sententia Aristotelis, qui locis citatis ait actionem esse in patiente, sicut et motum in eo quod movetur, quod etiam habet 9. Metaph. text. 16. etc. At certum est terminum qui fit per actionem non moveri, nec pati. Idem sentiunt omnes auctores citati dicto 1., div. Thomas, Simplicius, Themistius, Alexander in loca cit. cum ajunt motum esse in mobili. Prima pars conclusionis optime probatur argumento secundo et tertio allatis pro secunda sententia. Ad hoc enim ut actio intrinsece denominet terminum fieri etc. sufficit si illi sit conjuncta tanquam via termino; seipsa autem est conjuncta actio suo termino et non per unionem distinctam, cum nunquam possit esse actio quin sit conjuncta termino qui fit per illam. Ille tamen locus ex 9. Metaph. non concludit intentum, ibi enim immediate subdit Aristoteles motum esse in eo quod movetur; actio autem dicitur esse in eo quod fit, i. e. in passo, quod licet non simpliciter fiat, fit tamen secundum quid, scilicet album, nigrum etc. Ex quibus patet argumentis secundæ sententiæ hanc solum conclusionis partem ostendi. Secunda pars efficaciter probatur tertio argumento quod attulimus dubio primo pro prima sententia.

Dico tertio. Actio sustinetur in subjecto in quo recipitur terminus productus per actionem. Probatur, nam cum terminus actionis pendet ab aliquo subjecto, actio essentialiter est eductio de potentia materiæ, et non creatio ex nihilo: ergo pendet ab aliquo subjecto; non a termino producto: ergo a subjecto termini producti. Verum tamen est quod sicut actio seipsa unitur termino, ita etiam seipsa esse unitam subjecto ut 1. Phys. disp. 4. qu. 2. in fine diximus ex Suarez, et præterea seipsa pendet a causa materiali sine alia actione media. Ex quo patet hujusmodi actionem esse modum subjecti. Id tamen non impedit quominus talis actio ponatur in prædicamento, nam ut in Logica disp. De quant. qu. 2. ad 1. diximus, etiamsi aliqua sint incompleta entia physice, poni possunt in prædicamento. Creatio autem, an habeat subjectum infra dicetur.

Dubium 3.

AN CREATIO ET CONSERVATIO SINT ACTIONES INTER SE ET A TERMINO DISTINCTAE.

Circa primum multa possent dici hoc loco de creatione, quæ late disputant Theologi in 1. p. qu. 45., ubi Molina, Bannez etc., et alii in 2. dist. 1., et philosophi in 8. Phys. Est igitur creatio productio rei ex nihilo non solum tanquam subjecto, sed etiam tanquam termino a quo. Nam quod creatio sit productio rei ex nullo subjecto patet ex dictis 1. Phys. disp. 3. qu. 2. ubi ostendimus formam quæ fit ex subjecto, non creari. Et hoc est quod div. Thomas illa 1. p. qu. 45. ait, creationem esse productionem rei subsistentis, i. e. independentis a subjecto, unde etiam accidentia producta independenter a subjecto creari possunt, licet non habeant subsistentiam propriam, ut recte Molina cit. art. 1. Quod vero non debeat creatio habere terminum a quo positivum, optime docet Suarez 3. p. tom. 3. disp. 50. sect. 5., nam transsubstantiatio panis in corpus Christi, non est proprie creatio corporis Christi et animæ illius ut docent Patres ab eo citati, et præter illos Damascenus 4. De fide cap. 14. Et ideo optima est illa definitio creationis quam Conimbricenses 8. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 1. colligunt ex s. Augustino 12. Civit. cap. 15. et Damasceno, creatio est productio rei ex nihilo. Hujusmodi autem productionem possibilem esse, constat quia nulla ex ea sequitur implicatio. Nam illa principia Aristotelis: ex nihilo nihil fit 1. Phys. text. 34., et quidquid fit ex aliquo fit quod habet 7. Metaph. text. 22., et semper esse subjectum quod subjicitur actioni agentium 1. Phys. text. 63. et 71. solum sunt vera respectu agentis naturalis, operantis virtute propria, ut 1. Phys. disp. 1. qu. 1. ostendimus. Utrum autem assumi possit creatura ad creandum tanquam instrumentum Dei alibi videndum est.

Imo vero recte Conimbricenses loco cit. qu. 2. docent, non solum posse cognosci lumine naturali creationem, sed de facto ab Aristotele cognitam fuisse, quod et Molina 1. p. qu. 45. art. 1. in fine docet. Et primo quidem quod naturaliter cognosci possit, quamvis neget Pererius lib. 15. cap. 7. et 8. et quos citat Suarez disp. 20. sect. 1. n. 6., Gregorius 2. dist. 1. qu. 2. sub finem, Bassolius 1. dist. 1. qu. 1. art. 3., docent tamen Patres qui ex ordine uni-

versi etc. ajunt cognosci potuisse ejus creatorem ut Augustinus 11. Civit. cap. 4., Nazianzenus Orat. 2. De theol. et habetur Sapientiæ XIII. Et probatur, nam cognosci potest naturaliter Deum esse causam efficientem rerum omnium, ac proinde has non habere esse a se, sed a Deo: ergo cognosci potest quod creaverit ut argumentatur div. Thomas 1. p. qu. 45. art. 5. Nam materiam primam si non creavit ex nihilo, erit infinitus processus in causis materialibus; intelligentias etiam quæ materia carent non potuit ex subjecto procreare, de quo argumento late Eusebius 7. De præpar. cap. 8., Lactantius lib. 2. Divin. instit. cap. 9. et Clemens 1. Stromat. refert philosophos qui hoc agnoverunt. Confirmatur, nam cognosci potest naturaliter Deum esse virtutis infinitæ, ac proinde operari posse et producere omni modo possibili qui non inducat aliquam imperfectionem in operante. At modus operandi producendo ex nihilo possibilis est, nulla enim hujus rei implicatio apparet. Quod vero Aristoteles cognoverit creationem licet eam ab æterno factam dicat et non in tempore docent div. Thomas, Scotus etc. citati a Conimbricensibus, licet Gregorius 2. dist. 1. qu. 1., Pererius in caput 1. Genes. id negent, quia ait Pererius, Aristoteles 1. Cœli text. 49. ex eo probat plures mundos non esse possibiles, quia omnis materia insumpta est in hujus molitione, quæ ratio nihil valet, si Aristoteles sensit Deum sine ope materiæ posse producere. Nostra tamen sententia constat, nam Aristoteles sensit mundum et omnes ejus partes conditas esse a Deo. Nam 12. Metaph. text. 43. Deum vocat principium et primam causam, sicut et 2. Rhetor. cap. 23. docet dæmones esse opus Dei, et 2. Metaph. text. 4. primam causam ait esse causam ceteris ut sint, et 1. Cœli text. 100. Deum ait dare esse et vivere omnibus, et 12. Metaph. text. 38. ait cœlum et naturam pendere a principio necessario simpliciter. Nec argumentum Pererii valet. Aristotelis enim argumentatio efficax est, ex alio principio illius quamvis falso supposito, quod scilicet Deus necessario creavit, ac proinde quidquid potuit materiæ creare, initio mundi esse conditum. An vero cognoverit Aristoteles creationem quæ de novo nunc fiat, v. gr. animæ rationalis non constat; Molina 1. p. qu. 45. art. 1. in fine putat eum non cognovisse. His positis

Prima sententia est dicentium, creationem non esse actionem aliquam existentem in creatura, sed volunt creationem activam esse ipsam volitionem Dei et intellectionem nec in creatura aliud esse

quam relationem receptam in illa. Ita Ferrariensis 2. Contra gent. cap. 16. et 18.. Durandus 2. dist. 1. qu. 2., Canariensis 1. p. qu. 41. art. 1., Pererius lib. 5. cap. 8. ad 4. Favet div. Thomas 1. p. qu. 45. art. 2. ad 2., art. 3. ad 2. et alii apud Conimbricenses cit. art. 3., Molina 1. p. qu. 45. art. 3. Probatur primo, quia Deus solo intellectu et voluntate efficaciter agit et producit omnia: ergo superflue additur aliqua alia externa actio. Secundo sic argumentatur Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 13. sect. 2. et ibidem cap. 5. qu. 5. sect. 3. in 3. argumento, ubi creationem ait non esse actionem, nam si est actio: ergo accidens, ac proinde debet posse inhærere subjecto. Cum autem inhærentia formaliter consistat in dependentia ab alio in genere causæ materialis, sequitur creationem educi ex potentia subjecti. At actio creativa si quæ est non potest educi de potentia termini, nec ei inhærere, tum quia ut dubio præcedenti diximus nulla actio potest inhærere suo termino, tum quia causa materialis ut actu causet debet esse realis et actualis: ergo ut recipiat hanc actionem debet esse realis et actualis. Similiter hanc actionem accidentalem non recipi in agente v. gr. in Deo patet ex dictis dubio præcedenti dicto 1.: ergo. Responderi posset: hanc actionem esse modum substantialem, ac proinde non debere inhærere subjecto, sicut de unione 1. Phys. dicebatur. Contra tamen, tum quia creatio per quam quantitas crearetur non potest esse modus substantialis, cum non sit substantiæ, tum quia etiam creatio substantiæ non potest esse talis modus, nam ut 1. Phys. ostendimus, ad modum substantialem non sufficit ut sit via ad substantiam, sic enim et generatio substantialis esset, sed necesse est ut talis modus includatur in ipsa constitutione substantiæ tanquam aliquid spectans ad ejus integritatem, quod in præsenti non accidit.

Secunda sententia est Conimbricensium loco cit., Molinæ 1. p. qu. 45. art. 3., Gregorii 2. dist. 1. qu. 6., Occami 1. dist. 43. qu. 1. etc. qui ajunt creationem esse actionem Dei externam et transeuntem per quam effectui communicatur esse, licet Conimbricenses et Gregorius concl. 2. velint non distingui reipsa a terminis productis

Dico primo. In creatura datur quidem relatio ad creatorem, creatio tamen non est formaliter hæc relatio. Primum patet, nam omnis effectus realis habet relationem realem ad suam causam agentem ex 5. Metaph. text. 20. Quomodo autem hæc relatio distinguatur a fundamento, et an terminetur ad absolutum in Prædi-

camentis diximus. Secundum probatur a Suarez disp. 20. sect. 4. n. 16. Nam Deus dicitur aliquid producere per creationem, et res dicitur produci per creationem; at non producitur per relationem ut clarum est. Deinde creatio est productio rei ex nihilo, unde creare est causare et efficere; sed relatio non est productio rei, siquidem relatio non est nisi positis extremis realiter existentibus, atque ita relatio realis supponit entitatem rei productæ, et non ipsa facit.

Dico secundo. Creationem esse unam et realem actionem, non in Deo ipso existentem, sed transeuntem, ut docet Molina 1. p. qu. 25. art. 1. disp. 2. concl. 3., Suarez disp. 20. Metaph. sect. 4. et quos ibi citat n. 10. et probat n. 11. Quod sit actio, probatur. Quia actio non est aliud quam via per quam agens tribuit entitatem effectui: sed quando Deus creat aliquid, datur talis via per quam communicatur esse rei: ergo. Minor probatur. Nam quoties est factus novus terminus, est aliquod fieri per quod factus est ut dub. 1. ostendimus: ergo aliqua via per quam factus est. Confirmatur. Nam ut supra diximus actio est causalitas efficientis a qua res dicitur actu agens; at Deus cum creat est vere causa efficiens actu: ergo habet actionem per quam constituitur actu causans. Confirmatur 2. ex Gregorio citato concl. 5. Nam actus potentiæ activæ in quantitate talis est actio; creatio est actus potentiæ creativæ quæ est activa: ergo. Quod vero hæc actio non sit aliquid immanens in Deo probatur cum Gregorio concl. 1. et Molina cit. loc. Nam actio per quam verus et realis terminus producitur, est aliquod ens verum et reale; hoc autem ens non potuit esse ante instans in quo est terminus per illam productus ut dub. 1. diximus, siquidem actio est actualis communicatio et productio rei: ergo tunc primum incipit esse cum ejus terminus incipit in rerum natura esse. At nulla entitas Deo intrinseca potest de novo incipere esse. Ergo hæc actio non est aliquid ipsi Deo intrinsecum, atque ita ex eo quod Deus agat nunc non mutatur, licet ante non ageret. Ab hac actione Deus denominatur actu agens, cum ante solum denominaretur potens et volens agere suo tempore: ergo hæc actio non est antequam Deus actu crearet, revera enim perinde denominasset Deum actio agentem ac nunc.[1] Falluntur ergo qui omnem actum

[1] Confirmat Gregorius, nam omne id cujus potentia creativa est principium, est creatum, ac proinde in Deo esse non potest, cum quidquid est in Deo Deus sit; sed creationis principium est potentia creativa: ergo. Et idem de conservatione dicendum est.

Dei etiam ad extra ajunt esse solam intellectionem et volitionem immanentes, ut recte Molina cit. ait. Sicut enim actio Dei qua cum creaturis concurrit est in passo, cum sit eadem actio quæ creaturæ, ita etiam cum se solo producit aliquid; nec credibile est calefactionem esse in passo si a creatura fiat, non vero si a Deo solo ut ait Suarez disp. 20. sect. 5. n. 29. Nec div. Thomas contrarium docuit, maxime cum ipsemet 1. p. qu. 13. art. 7. ad 4. et 5. dicat, Deum dici creatorem denominatione extrinseca a creatione quæ in creatura est; idem ibi Cajetanus, et Molina citatus. Quando autem ait illa qu. 45. creationem nil ponere in creatura præter relationem, solum vult, quod licet in creatura tanquam in proprio subjecto sustinente sit relatio creaturæ, creationem tamen quæ est actio non esse in re creata ut subjecto, quamvis male illa qu. 45. Molina dicat contrarium §. Juxta hanc sententiam. Impossibile enim est ut actio subjectetur in termino, licet illi sit unita ut supra dictum.

Dico tertio. Hæc actio distinguitur ex natura rei ab entitate termini qui producitur per illam. Est Cajetani 1. p. qu. 45. art. 3., Ferrariensis loc. cit., Aureoli 1. dist. 17. qu. 1., Suarez disp. 20. sect. 4. n. 12. qui ait, actio qua Deus conservat quantitatem in Eucharistia sine subjecto est per modum creationis, et distincta ab illa qua conservabat in subjecto ante consecrationem: ergo eadem res potest per creationem et sine illa existere etc. Probatur. Quæ ita se habent ut unum realiter existere possit altero non existente, distinguuntur ex natura rei. Sed entitas rei quæ creatur respectu creationis ita se habet, siquidem entitas rei quæ creatur non includit in sua essentia actualem dependentiam a causa creante, et potest esse in rerum natura sine actione creativa, ut optime Suarez 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 8. §. Dico ergo breviter, et tom. 3. disp. 50. sect. 5. sub finem ex hoc principio probat actionem per quam anima Christi producta est, esse distinctam ex natura rei ab illa, quia esse potest per transsubstantiationem sine illa actione. Item forma v. gr. materialis potest a Deo per creationem produci, sicut et quodlibet accidens, et tamen producitur nunc dependenter a subjecto et non per creationem. At vero si per suam entitatem essent actiones creativæ, non possent fieri per aliam actionem distinctam. Ex quo principio universaliter infertur, nullam omnino rem creari per actionem sibi identificatam. Si enim per talem actionem crearetur impossibile esset ut possit produci quin crearetur. At nulla est res producibilis quæ non posset alio modo

produci quam per creationem; potest enim per conversionem et transsubstantiationem quælibet res produci, etiam si non creatur. Ergo.

Ad argumenta contraria. Ad primum respondeo. Sufficit quidem voluntas Dei ad producendum effectum adhibita externa actione quæ est exercitium potentiæ executivæ, sine tali tamen actione impossibile est ut voluntas Dei aliquid producat. — Ad secundum: accidentia alia præter creationem habent subjectum a quo dependent, vel saltem possunt dependere et ex cujus potentia educuntur; creatio tamen non habet ut optime Mayronis 2. dist. 1. qu. 7., si enim haberet subjectum ex cujus potentia educeretur non fieret ex nihilo creatio, sed educeretur ex potentia subjecti sicut aliæ actiones causarum educuntur ex potentia substantiæ, cum et ipsæ sint effectus causæ efficientis ut diximus et docet Molina citatus, et si haberet subjectum, Deus non esset causa totalis creationis ait Mayronis, cum etiam subjectum concurreret. Unde actio quæ est creatio licet conjuncta sit termino sicut de aliis actionibus diximus supra, quomodo puncta lineæ conjunguntur, non tamen habet subjectum cui inhæreat, licet Molina ut diximus putet inhærere termino, quod omnino impossibile esse argumentum factum convincit. Ex hoc patet non solum dari accidens quod non possit ulli inhærere, sed etiam dari actionem veram sine passione ut recte Gregorius 2. dist. 1. qu. 5. art. 1. concl. 2. Nam ex 3. Phys. passio est actus passivi, ac proinde non potest esse sine subjecto patiente; cum autem res creatur, est vera actio, licet non sit ullum subjectum patiens: ergo.

Circa secundum. Certum est primo, res omnes creatas a Deo conservari actu et immediate concurrente in genere causæ efficientis ut recte div. Thomas 1. p. qu. 104. art. 3., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 10. et citati ab illis, et Valentia 1. p. col. 1497. et habetur Sapientiæ XI. Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses, aut si a te vocatum non esset conservaretur; Actorum XVII. In ipso vivimus, movemur et sumus; Sapientiæ VII. et VIII. Sapientia attingit a fine ad finem fortiter, disponit suaviter; Psalmo CXXXVIII. Tenebit me manus tua; Ad Hebræos I. Portans omnia verbo virtutis suæ, et Psalmo CIII. Avertente te faciem turbabuntur, deficient, in pulverem suum revertentur etc. Et s. Augustinus 9. Super Gen. ad lit. cap. 15. ait si Deus subtrahat suam operationem, nulla nequidem angelica natura persisteret. Idem late lib. 4.

cap. 12., Damascenus 1. De fide cap. 3., Gregorius hom. 17. in Ezechielem. Ratio est, nam res quæ non est a se, sed accipit entitatem libere a Deo, potest non esse et amittere existentiam, et ad omnipotentiam ac supremum dominium Dei spectat ait Suarez n. 14. ut possit res annihilare et de eis disponere ut vult. Sed ad hoc necessarium est quamlibet entitatem creatam effective conservari a Deo, nam destructio et annihilatio rei non est aliqua actio positiva (per actionem enim necessario aliquid produci debet), sed solum est negatio actionis, ac proinde non potest effici annihilatio a causa positive influente, sed a causa cessante ab influxu per negationem concursus. Ad hoc autem necessario supponitur causa prius influens et conservans entitatem rei: ergo. Nec dici potest annihilationem fieri per productionem alicujus rei contrariæ et incompossibilis cum re annihilanda, tum quia ex eo sequeretur non posse Deum annihilare simul totum mundum; tum quia ut alibi ostendam nunquam duo sunt incompossibilia nisi sub aliquo tertio, quod utrique extremo pugnanti commune esse debet, quod non potest dari in annihilatione, eo enim ipso non esset annihilatio, ut ostendunt theologi probantes desitionem panis in mysterio Transsubstantiationis non esse annihilationem. Adde quod ut recte Molina 1. p. qu. 14. art. 13. disp. 5. ait lumen solis nil habet contrarium: ergo non posset corrumpi a Deo conservante solem. Confirmatur, nam minus pendet creatura a Deo, quam lumen a sole; sed lumen effective conservatur a sole: ergo. Ex quo etiam constat conservationem esse veram et propriam actionem per quam causa conservans communicat esse rei conservatæ. Nam non alia ratione res potest annihilari ut dixi, quam per cessationem ab actuali conservatione: ergo conservare actualiter est aliquid efficere quod non efficit res quando cessat a conservatione. Similiter lux, species etc. corrumpitur interposito corpore opaco solum quia agens non potest producere lumen quod erat in medio.

Certum est secundo, quosdam effectus conservari non a solo Deo sed simul etiam a causis secundis a quibus primo producti sunt ut patet in lumine, speciebus intentionalibus quæ ab objectis pendent, actibus vitalibus etc.; quosdam vero a sola prima causa ut patet in iis effectibus qui permanent etiam corrupta causa secunda a qua producti erant. Quando vero effectus conservatur a causa particulari tunc Deus sicut ad primam productionem solum concurrit ut causa universalis, ita et ad conservationem. Ratio

autem cur quidam effectus pendent in fieri et conservari a causa secunda, non alii, sumi debet ex natura ipsorum effectuum. Effectus enim, qui non habent contrarium, et tamen non est conveniens ordini universi ut perpetuo durent, ex natura sua petunt conservari a causis particularibus, vel certe paulatim corrumpi postquam producti sunt, nam alias nullo modo possent corrumpi. Et hac ratione quia inordinatum est lucem semper permanere postquam producta est, si enim lux a sole producta semper maneret, nulla esset noctis et diei vicissitudo, sicque omnia ardore conflagrarent rerumque generationes impedirentur etc., colligimus ea ex natura sua petere conservari a causa producente ut sic ea corrupta vel recedente, corrumpatur lux. Idem de speciebus in oculo etc. At vero sonus vel impetus impressus a quo projecta moventur etc. quia eadem ratione inordinatum est ut semper durent, nam sonus impediret usum loquendi, contemplationem etc., ideo hæ qualitates licet non petant a causa secunda conservari, petunt tamen ita conservari a Deo ut sensim deficiant nullo contrario corrumpente. Jam ergo superest videndum, an conservatio sit actio eadem penitus cum prima productione, vel diversa.

Dico primo. Effectus quia solum in fieri pendet a causa particulari efficiente vel materiali, conservatur autem immediate et adæquate a solo Deo, conservatur per actum distinctum ex natura rei ab ea qua primo productus est effectus, ut bene Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 10. art. 3. ad 4., Suarez 3. p. tom. 3. disp. 9. sect. 2. ad 4., et disp. 49. sect. 1, concl. 3. Et ita non est universaliter verum conservationem esse ipsam actionem per quam res primo producta est, ut recte Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 14. sect. 5. ad ult. arg. Probatur: Nam certum est actionem causæ secundæ non manere post primam productionem: ergo cum eadem penitus fuerit actio causæ primæ et secundæ in prima rei productione ut dicemus, nec actio causæ universalis qua cum causa secunda ad effectum primo producendum concurrebat remanet: ergo alia. Confirmatur. Nam prima actio faciebat effectum dependere a Deo ut causa universali, a creatura vero ut causa particulari, quod non facit actio per quam postea a solo Deo conservatur. Unde concursus conservativus Dei adæquatus est, cum tamen concursus generalis non esset secundum se adæquatus, sed ex concursu Dei et causæ secundæ consurgeret adæquatus concursus. Unde generaliter potius productio et conservatio rei est a causis

diversis, et totius productio a conservatione distinguitur ut dub. 1. dicto 2. ostendimus. Ex quo etiam constat hujusmodi actionem conservativam rei distingui ab effectu ex natura rei, licet id neget Gregorius 2. dist. 1. qu. 6. art. 1. concl. 3. quia in primo instanti productionis non erat hæc actio, postea vero est; ergo. Unde quamvis nullus effectus esse possit in rerum natura sine Dei concursu actuali non tamen sequitur concursum Dei esse identificatum entitati effectus cum unus concursus cessare possit, alio distincto esse incipiente, sed solum sequitur non posse rem permanere nisi semper aliquo Dei concursu confirmetur. Nec argumenta Gregorii aliam vim habent quam ea quæ dub. 1. pro prima sententia attulimus et solvimus.

Dico secundo. Effectus qui in conservari pendet ab eadem causa particulari tam efficiente quam materiali, a qua primo productus est adæquate, eadem omnino actione producitur et conservatur, ita ut tunc conservatio non sit aliud quam prima productio diu durans. Ita div. Thomas qu. 5. De poten. art. 1. ad 2. cum ait conservationem esse actionem continuatam, et Augustinus 4. De genes. ad lit. cap. 12. cum ait nunc cœlos creari, quia scil. eadem actione qua primo producti sunt conservantur; Molina 1. p. qu. 10. art. 5. disp. 1. in 4. concl. eandem ait esse actionem creationem et conservationem angeli; Conimbricenses 8. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 4. concl. 1. et 2. Idem Gregorius 2. dist. 1. qu. 6. concl. 4., Henricus Quodlib. 9. qu. 1. relati a Suarez disp. 21. sect. 2. n. 1. Et hæc conclusio est Suarezii ibi n. 4. Tunc ait sola ratione creatio et conservatio distinguitur. Probatur. Nam in hoc casu est idem agens, idem terminus, eodem modo pendet esse termini a causa: ergo per eandem actionem. Et saltem nos nullum habemus principium distinguendi ex natura rei talem conservationem a prima productione etiamsi in re ipsa distincta esset. Ex quo constat eandem actionem realem posse esse mutationem et postea cessare esse mutationem, ut prima productio lucis in aere est mutatio aeris conservatio ejusdem non est mutatio et ita solum accidentarium est actioni ut sit vel non sit mutatio. Nam ratio mutationis super actionem solum addit quod subjectum termini actionis immediate ante præcesserit sine tali termino. Eodem modo de creatione docent Conimbricenses ubi supra solum accidentaliter distingui ab aliqua conservatione, eo quod conservatio sit illa eadem actio per quam res creata est quatenus

supponit jam ante extitisse terminum ut disp. De motu qu. ult. dicemus.

Dices: omnis actio debet habere terminum a quo, sicut etiam res producta per talem actionem; at terminus conservationis non est ipsum subjectum, potest enim res produci sine subjecto, nec res quæ conservatur ut intelligitur immediate ante existens, nam terminus a quo et ad quem sunt oppositi, res vero immediate ante et modo existens, eadem est et invariata: ergo. Respondeo: conservatio cum non est actio nova, sed ipsa prima productio perseverans, non habet modo alium terminum a quo et ad quem præter illos quos habuit in prima productione, solum distincta est quod terminum a quo non habet immediate ante præexistentem, sed sufficit diu præcessisse. Unde terminus a quo talis conservationis est non esse rei, non quod immediate ante præcessit, sed quod diu præcessit; et ita idem est terminus a quo conservationis et primæ productionis, sed cum primo producitur res tunc primo abjicitur non esse rei quod immediate præcessit, cum autem conservatur tunc abjicitur quidem non esse rei per esse illius, sed quod multo ante præcessit; vere enim tam proprie recedit res a nihilo per suum esse conservatum, ac per suum esse primo productum. Quando autem conservatio est distincta actio a prima productione, tunc termini a quo eodem modo assignandi sunt quo qu. 7. dicemus assignandos cum diversis actionibus eadem res producitur.

Ex his infero: non minorem virtutem agentis necessariam esse ad conservationem rei quam ad primam productionem, nec minus agere unum quam aliud, nam ut diximus non minus recipit ab agente per conservationem totum suum esse effectus, quam per primam productionem, quod ipsum varie potest confirmari. Primo. Nam si minor virtus sufficeret ad conservandum quam ad producendum, id esset vel ex parte effectus quia scilicet effectus perfectior esset: atqui eadem numero res est primo producta et conservata; vel ex parte modi producendi, quia scilicet perfectiori modo producitur in primo instanti quam postea, qua ratione major vis agentis requiritur ut producat accidens sine subjecto; vel in majori distantia, aut majori cum resistentia contrarii. Atqui certum est cum conservatio est eadem numero actio cum prima productione, tunc ratione modi efficiendi non requiri majorem vim agentis, et etiamsi sit diversa actio non apparet qua ratione sit perfectior modus producendi primo quam postea conservandi. Secundo,

Si ad conservandum minor virtus requiratur: ergo lumen ignis posset conservare lumen intensius, quam possit primo producere. Cum enim eadem sit virtus productiva et conservativa luminis, si minor virtus necessaria est ad conservandum, poterit si totam vim productivam applicet ad conservandum, conservare lumen intensius quam posset producere, contra experientiam. Unde constat quod cum Deus se solo conservat effectum quem produxit concurrente etiam causa secunda, perfectiori actione concurrere ad rem conservandam quam ad primam ejus productionem vel quam concurreret ad illam conservandam si etiam causa secunda simul conservaret tanquam causa principalis, ut ostendit Suarez disp. 21. sect. 3. n. 20.

Dices: possunt accidentia conservari sine subjecto a creatura ut instrumento Dei, ut quantitas Eucharistiæ a corpore Christi: ergo etiam possunt produci primo, ac proinde creari si non sit necessaria major virtus ad primam productionem. Similiter potest res producta conservari cum dispositionibus cum quibus non posset primo produci: ergo. Respondeo vel concedi debet Deum posse assumere instrumentum ad creationem, quod mihi verius videtur, vel negandum est posse conservare accidentia sine subjecto mediante instrumento. Dispositiones autem quæ sufficiunt ad conservandam formam, etiam sufficiunt ad primo producendam, non tamen semper necessitant ad eam producendam, quia potest forma præexistens etiam conservari sub illis dispositionibus quæ sunt sufficientes ad formam producendam, et tunc cum cætera sint paria, melior est conditio possidentis.

Dubium 4.

DE SPECIFICA ET NUMERICA ACTIONUM DIVERSITATE, UBI ETIAM DE PASSIONE.

Circa primum latius agemus disp. De motu qu. 1. in præsenti illud mihi certum est, quod diversitas essentialis agentium vel subjectorum non faciat essentialiter et specie differre actiones, quamvis div. Thomas 1. 2-æ. qu. 1. art. 3. et 3. p. qu. 19. art 1. dicat principiorum diversitatem sufficere ad diversitatem actionis. Nam v. gr. calefactio sive sit a sole sive ab igne, et similiter motus localis sive sit in quantitate sive in substantia ejusdem speciei esse possunt; unde ex terminis actionum desumi debet

earum diversitas essentialis. Licet enim terminus non sit de essentia illius, tamen extrinsece in ordine ad illum desumitur specifica actionum diversitas, sicut de relatione diximus in Logica. Et licet vix aliquid certi statuere possimus de hac diversitate specifica actionum, tamen existimo probabiliter quod quoties terminus productus est distinctus specie, toties actiones specie distinguuntur, licet hæc non sit adæquata causa diversitatis essentialis actionum. Primum est Suaresii supra n. 7. et patet, nam actio est via ad terminum cum sit ipsa communicatio entitatis, et a termino sumit appellationem ut a calore dicitur calefactio: ergo similiter speciem sumet a termino. Et hoc multo certius est in eorum sententia qui volunt actionem esse idem re cum termino, tunc enim clarum est terminis existentibus specie distinctis etiam actiones distingui. Confirmatur, nam alias non possemus actione species distinguere; deinde motus a termino sumit speciem: ergo et actio. Secundum patet, nam licet sit omnino ejusdem speciei terminus, adhuc tamen ex diverso modo producendi desumi potest diversitas specifica actionum, sic creatio, generatio, transsubstantiatio sunt distinctæ actiones specie, quamvis idem specie subjectum producatur per illas. Et ratio est quia plus differunt creatio et generatio, quam duæ generationes terminorum ejusdem speciei; sed hæ generationes numero differunt: ergo illæ actiones plus quam numero different. Cum vero corruptio non sit positivus influxus, sed potius negatio concursus conservativi, eo modo distingui debent specie corruptiones quo negationes et privationes.

Circa secundum. Cum de unitate numerica motus agemus, tunc facile intelligetur quæ actiones sint numero diversæ, quæ eædem. An vero una eadem numero actio possit a pluribus causis ut ab universali et particulari, ab instrumentali et principali produci, infra suis locis explicabitur. Sicut etiam, an causæ efficiens et materialis eadem actione concurrant ad formam dependentem a materia, explicabimus disp. sequenti.

Circa tertium. Variis modis accipitur passio ab Aristotele ut patet ex 5. Metaph. cap. 21. et nos diximus in Logica disp. De qualitate qu. 2. cum explicaremus tertiam speciem qualitatis. Hic solum agimus de passione quæ comitatur actionem et est ratio formalis per quam subjectum dicitur pati ab agente producente formam. Quoniam vero hæc omnia reperiuntur in subjecto cum agens producit formam, nempe actio causæ efficientis, ipsa forma pro-

ducta, unio talis formæ cum subjecto et præterea influxus causæ materialis in talem formam, siquidem hæc forma dependens est a subjecto, et denique receptio formæ in subjecto proveniens a productione et unione illius cum subjecto, dubium est quid horum sit formaliter actio.

Dico primo. Passio non est ipsa unio formæ sive accidentalis sive substantialis cum subjecto. Probatur. Nam certum est quod unio formæ substantialis cum sit modus substantialis et terminus alicujus actionis ut patet in homine, non possit esse passio. Dein manere potest unio cessante actione, ut manus remanet calida licet removeatur ab igne; at fieri non potest ut sit passio quando non sit actio: ergo.

Dico secundo. Passio non est causalitas seu influxus subjecti in formam a se dependentem. Probatur. Tum quia causalitas secundaria materiæ est vere actio ut qu. 1. diximus et latius disp. 4., tum quia per hunc influxum subjectum non dicitur pati, sed potius dare esse formæ.

Dico tertio. Passio non est receptio accidentalis cujuscunque formæ in subjecto. Est contra quosdam juniores qui volunt passionem nihil aliud esse quam receptionem formæ in subjecto, quam receptionem ajunt esse rationem accidentalem, licet eandem realiter cum entitate formæ receptæ, et reperiri ajunt etiam in formis non dependentibus a subjecto, nam licet forma independens sit a subjecto, adhuc tamen secundum suam entitatem recepta est in subjecto ut anima rationalis. Eadem est ratio de receptione unionis, actionis etc. Hanc autem receptionem non esse unionem formæ cum subjecto probant iis argumentis quibus ostendimus unionem non esse passionem, et præterea quia verum est dicere materia accidentaliter recipit formam, falsum tamen est dicere accidentaliter unitur formæ, nam formæ substantiali unitur substantialiter. Nostra tamen conclusio probatur, tum quia nec Aristoteles, nec ullus veterum talem receptionem unquam nominarunt; tum quia quidquid præstatur a tali receptione, præstari potest ab unione formæ cum subjecto: ergo præter unionem frustra fingitur alia receptio. Antecedens probatur, nam per hanc receptionem forma recipitur in subjecto; at unio formaliter præstat ut forma recipiatur in subjecto, nam v. gr. anima etiamsi sit intime præsens corpori non tamen recipitur in illo, nisi uniatur, et frustra omnino fingitur alia receptio. Tum quia talis receptio permanet in rerum natura

etiamsi non maneat actio; at passionem esse sine actione est contra communem omnium sententiam.

Dico quarto. Passio nil aliud est formaliter quam ipsa realitas actionis ut est in subjecto, sicut illa eadem realitas, seu fieri termini ut est ab agente dicitur actio. Et ideo actio et passio re ipsa sunt idem, sola ratione distinguuntur. Ita Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 2., et Aristoteles 3. Phys. text. 22. ubi ait actionem et passionem esse idem cum motu, non tamen omnino esse idem inter se, sed differre ut actum hujus in hoc, et ut actum hujus ab hoc. Est etiam Gregorii 2. dist. 1. qu. 5. concl. 2. ubi omnem passionem ait esse actionem, identice scilicet, licet non omnis actio sit passio ait, quod propter creationem dicit ut dub. 3. diximus. Probatur. Nam passio est id per quod formaliter subjectum dicitur pati; sed per realitatem actionis subjectum dicitur pati, nam ex eo præcise quod terminus actionis, vel unio termini cum subjecto remaneat in subjecto, non dicitur subjectum pati, v. gr. calefieri: ergo passio non est terminus actionis ut in subjecto, sed potius ipsa entitas actionis ut recipitur in subjecto. Et hoc modo facile intelliguntur omnia quæ Aristoteles docet de passione.

Quod attinet ad specificam differentiam passionum puto pro diversitate specifica actionum diversas esse specie passiones. Et idem dicendum de diversitate numerica. Et ex his intelliguntur ea quæ in præcedenti explicatione huc rejecimus; solvi etiam potest argumentum quod ibi disp. 3. qu. 5. fecimus ejusque solutionem ad disp. 8. distuleramus, ubi tamen quia natura actionis et passionis nondum erat explicata, noluimus difficultatem quam petebat argumentum expedire. Argumentum est tale: actio et passio conveniunt in aliqua ratione communi quod scilicet sint accidens imperfectum et via ad terminum existentem ut existens est, quæ ratio ut diximus illa disp. 8. qu. 2. non includitur in differentiis. Hæc autem via immediate dividi potest in viam ut est ab agente seu ut est actus agentis, et est actio, et ut recipitur in subjecto et ut sic est passio: ergo non sunt duo summa genera sed unum, quia sicut ubi et quando conveniunt in ratione præsentiæ, ita actio etc. Respondeo ergo: argumentum efficaciter ostendere meo judicio quod intendit, nec hoc est absurdum. Unde etiam Gregorius citatus art. 2. ad 5. arg. 2. concl. negat actionem et passionem esse diversa genera.

QUAESTIO TERTIA.

An res creatae ut aliquid efficiant debeant actu existere, et cum illis debeat Deus actu concurrere.

Dico primo. Res creatas non solum certum est agere aliquid et producere accidentia, sed etiam probabilius est ab illis produci formas aliquas substantiales. Ita communiter philosophi, ex junioribus Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 7., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 11., Toletus 2. Phys. qu. 8., Molina 1. p. qu. 14. art. 13. disp. 5.; item div. Thomas 1. p. qu. 15. art. 5. et qu. 115. art 5., 3. Contra gent. cap. 69., Durandus 2. dist. 1. qu. 5. Est tamen hæc sententia contra Avicebron quem citat div. Thomas ubi supra, et Averroës 9. Metaph. com. 7., qui putabant agentia creata nil agere, sed causam primam ad earum præsentiam, quod etiam Gabrieli postea placuit in 4. dist. 1. qu. 1. art. 1. notabili 3. Fundamentum Gabrielis est. Nam virtus causandi quemlibet effectum est sufficiens in prima causa, in nulla autem re sufficienter est talis virtus, nam ut ostendimus semper Deus debet concurrere ad effectum, eo ipso quod agens sit præsens passo, alias nunquam sequeretur effectus: ergo sufficit si dicamus Deus se solo producere effectum ad præsentiam rei creatæ, sicut omnes dicere tenentur Deum operari quoties ignis v. gr. præsens est stuppæ. Est etiam hæc conclusio contra Avicennam qui ex Averroë et div. Thoma loc. cit. volebat saltem formas substantiales non produci a causis naturalibus, sed a quadam intelligentia separata. Fundamentum est: quia agentia naturalia non agunt nisi per qualitates quæ cum sint ignobiliores formis substantialibus, eas producere non possunt; tum quia Deus producit totum effectum causæ secundæ ut inferius dicemus: ergo nihil remanet producendum causæ secundæ.

Nostra tamen conclusio probatur. In primis enim eam tradunt Scripturæ, nam Gen. 1. dicitur terra germinare, Lucæ XXI. arbores ait producere ex se fructum, Marci IV. terra dicitur fructificare. Et idem Damascenus 2. De fide cap. 7. ait Deum dedisse plantis vim alimentativam; idem s. Augustinus 9. De Gen. ad lit. cap. 17. et citati a Conimbricensibus. Probatur ratione. Et primo quod res creatæ aliquid agant, tum quia si omnes actiones immediate fiunt a solo Deo: ergo etiam actus vitiosi, et ita Deus erit causa peccati, homo autem utpote tantum passive concurrens ad tales actus nec

libere, nec meritorie operatur. Tum quia omnis cognitio tolleretur etiam sensuum; nam in primis nonnisi per effecta et operationes rerum cognoscimus naturas et proprietates earum; præterea non possemus scire aquam esse frigidam, ignem, calidum etc., nam non aqua et ignis ageret in sensum, sed Deus qui æque bene potest calefacere ad præsentiam rei frigidæ ac calidæ; similiter nivem esse albam non constaret si speciem in oculo non nix, sed Deus produceret, ac proinde omnis cognitio tolleretur. Tum quia Deus potuit dare vim effectivam rebus creatis cum nulla ejus rei sit implicatio, et dare illam decebat bonitatem Dei: ergo. Deinde quod etiam formas substantiales producant agentia naturalia, quamvis difficillimum sit probare, probabilius tamen id asseri ostendemus infra qu. 7. ad 1., nam parum probat id quod ajunt aliqui quod si omnes formæ substantiales fierent a Deo, non esset ratio cur interdum monstra fierent.

Ad fundamentum Gabrielis, concedo antecedens, nego tamen consequentiam. Licet enim creatura egeat actuali Dei concursu ad productionem cujuscunque effectus, adhuc tamen potest creatura simul cum Deo producere ut mox explicabitur.

Ad fundamentum Avicennæ. Quomodo licet totus effectus sit a Deo, concursus tamen causæ secundæ non sit otiosus, infra dicetur. Fonseca citatus sect. 3. ad 1. exemplo instrumenti artificis, v. gr. securis qua sedes fit a fabro explicat. Licet enim totam figuram sedis artifex producat, securis tamen non est inutilis et otiosa. Denique quomodo formæ non creentur quamvis totæ producantur 1. Phys. disp. 3. qu. 2. explicavimus.

Dico secundo. Non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter est impossibile ut effective producat quod actu et realiter non existit, quamvis immediate ante extiterit, vel immediate post sit habitura existentiam. Ita optime docet Suarez 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 7. et tom. 3. disp. 8. sect. 2., Conimbricenses 7. Phys. cap. 2. qu. 2. art. 2. ad 1., estque Aristotelis 2. Phys. text. 37. ubi causam actu et effectum actu ait esse simul. Est tamen conclusio contra Sotum 4. dist. 9. qu. 2. art. 7., Cajetanum 3. p. qu. 62. art. 2., Medinam 3. p. qu. 49. art. 6. qui volunt posse aliquid agere saltem ut instrumentum Dei etiamsi non existat actu, quod etiam Valentia 1. p. col. 1212. ad 2. docet.

Probatur tamen conclusio cum Suarez illo tom. 3. Nam sine virtute productiva implicat ut ulla res producat effectum; sed res

quæ non est nullam habet virtutem: ergo. Major probatur. Nam si aliquid producit: ergo potest producere: ergo habet potentiam et virtutem producendi. Ex quo sequitur quod sine virtute actuali impossibile sit aliquid actu producere, nam quod actu producit, potest actu producere, omnino enim contradictio est dicere actu quidem causare, tamen non habere potentiam causandi actu. Minor probatur. Nam quod non habet essentiam actualem nec habet potentiam actualem, nam potentia vel est identificata essentiæ, et tunc essentia non existente nec potentia existit; vel est accidens essentiæ, quod non potest existere corrupto subjecto, et quamvis existeret talis potentia, tunc illa sola ageret et non ejus subjectum. — Dices: ex eo quod agat res non sequitur habere potentiam, sed habuisse. Contra, nam habuisse potentiam non tollit quod vere nunc non habeat: ergo non tollit quod nunc non possit: ergo si causat, illud causabit quod non potest causare, et ita quod impossibile est ut causet, possibile est ut causet. Confirmatur. Posse producere est denominatio a potentia, sicut esse album ab albedine: ergo sicut impossibile est rem esse albam sine albedine, ita et rem esse potentem per potentiam jam corruptam et non existentem, ac proinde nisi concedatur, id quod non potest causare actu causare, fatendum est rem non existentem non posse agere. Confirmatur 2. Nam producere est ex vi hujus sequi aliud: ergo debet esse vis in producente.

Secundo. Esse actu est prædicatum superius ad omnes rationes particulares essendi actu, sicut ens superius est ad omnes particulares rationes entis: ergo est superius ad esse actu causam efficientem: ergo implicat ut quod non est actu sit actu causa efficiens, sicut implicat ut sit tale ens, talis substantia etc. quod non est ens et substantia. Confirmatur. Nam causa finalis quæ non requirit actualem existentiam sicut efficiens, eo quod ut infra dicetur non causet vere et physice in effectum influendo, non potest habere effectum nisi existat saltem objective in apprehensione: ergo multo minus causa efficiens actu causabit nisi sit præsens actu, vel virtutem aliquam reliquerit. Denique ad hominem contra Sotum etc. argumentari possumus. Nam ipsi concedunt rem quæ nec est, nec fuit, nec futura est agere non posse: ergo etiamsi extiterit dummodo actu non existat non poterit agere, id enim quod nec fuit, nec futurum est non alia de causa non potest agere nisi quia actu nihil est, nullam habet virtutem operandi etc. quæ

rationes æque procedunt quantumvis res habuerit esse dummodo nunc nihil sit. Eodem modo probari potest nec quidem ut causam instrumentalem posse a Deo assumi ad operandum dum non est existens realiter. Nam etiam causa instrumentalis habere debet virtutem productivam per quam communicet esse effectui, licet inadæquate; at vero quod non existit actu non habet virtutem ullam. Sed de his latius Theologi in 3. p. cum de Sacramentorum efficacia disputant, ubi etiam solvenda sunt argumenta quæ ex actione Sacramentorum contra hanc sententiam adferuntur, ut quod tunc primum producitur gratia a Sacramento cum ultima syllaba formæ profertur, quo tempore jam non est integra forma quæ producit gratiam, et præterea quod fieri potest ut tota forma baptismi prolata sit antequam abluatur quis, et immediate post sequatur ablutio quod sufficit ad simultatem moralem materiæ et formæ, et contra fieri potest ut ablutio jam cessarit cum forma incipit etc. in quibus casibus videtur forma vel ablutio producere cum jam non est, — hæc inquam et similia argumenta ibi explicantur.

Dico tertio. Non posse agentia naturalia ullam actionem elicere nisi Deus actu cum illis concurrat ad talem actionem. Ita docet div. Thomas 1. p. qu. 105. art. 5., Gregorius 2. dist. 35. qu. 1., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 12., Valentia 1. p. col. 935., Suarez disp. 22. per totam, qui n. 7. ait errorem esse in fide contrarium asserere, et citat late Patres eodem numero ut Augustinum 5. De Genes. ad lit. cap. 20., epist. 146., Gregorium 1. lib. Moral. cap. 18. etc.; idem tenet Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 9., Pererius lib. 8. cap. 7., Toletus 2. Phys. qu. 8. concl. 4., Molina 1. p. qu. 14. art. 13. disp. 5., Zumel 1. p. qu. 8. art. 1. concl. 2., Sotus 2. Phys. qu. 4. qui late citant auctores pro hac sententia. Hæc tamen conclusio est contra Durandum qui 2. dist. 1. qu. 5. existimat Deum nullius actionis causæ secundæ esse causam immediatam, sed solum mediatam quatenus scilicet causis secundis vim agendi contulit et conservat in suo esse, quod aliquos olim sensisse docet Augustinus 5. De Genes. ad lit. cap. 20., quæ sententia Durandi probari potest *primo*. Nam si Deus est causa immediata actus mali quem elicit homo dum peccat: ergo etiam erit causa peccati; idcirco enim homo est causa peccati, quia elicit actum cui annexa est deformitas. At vero si Deus solum mediate concurrat ad hunc actum, non erit causa peccati, quia culpa non tribuitur nisi immediato principio actus, vel certe mediato si prin-

cipium actionis sit determinatum ad unum; tunc enim actiones quæ ex tali principio proveniunt attribui possunt ei qui dedit tale principium. At vero quando principium operandi est indeterminatum et ex se determinatur ad hoc potius quam illud, quale principium est voluntas, tunc non tribuitur actio primo agenti. *Secundo.* Si Deus concurrit simul cum causa secunda vel eadem penitus actione, vel diversa concurrit. Non eadem, tum quia agens naturale sufficiens est ad suam actionem producendam cum ejus vim non excedat, ac proinde superfluus est concursus Dei; tum quia eadem res secundum se totum non potest habere esse a duobus agentibus immediatis nisi sit in eis eadem numero virtus ut est in Patre et Filio respectu processionis Spiritus Sancti. Nec diversa, nam si per unam actionem totus effectus producitur, altera superflua est; et præterea sicut conceditur aliqua actio quæ est a creatura sola et non a Deo, ita concedi potest effectus qui sit a sola creatura. Confirmatur. Possibile est Deum communicare vim effectivam creaturæ quæ per se sufficiat ad effectum producendum, nec est ratio cur negemus de facto talem esse. *Tertio.* Si creatura nil posset producere sine actuali Dei concursu, sequeretur creaturam non esse nisi instrumentum Dei. Et hæc sententia est etiam Aristotelis ut recte Fonseca citatus sect. 1. in fine, siquidem in lib. De mundo ad Alexandrum ait decentius esse Deo si non omnia proxime, sed remote quædam efficiat. His tamen non obstantibus

Nostra conclusio certa est, eamque late probant ex Patribus Conimbricenses, Fonseca et alii, et colligitur etiam ex Scriptura. Nam Actor. 17. dicitur in Deo nos vivere et moveri; Ps. 138. Manus tua deducet me, et Job. 10. Deus dicitur pellibus et carne vestiisse hominem; Isaia 26. omnia opera nostra operatus; I. Cor. 12. Operatur omnia in omnibus; Joan. I. Omnia per ipsum facta sunt, et Ps. 146. dicitur producere fœnum jumentis. Unde recte Augustinus tom. 7. lib. De perfectione justitiæ, ratiocinatione 4. Quidquid est ait ens et bonum, auctorem habet Deum, et lib. 5. De Genes. ad lit. cap. 20. refellit sententiam Durandi, et 22. Civit. cap. 24. si Deus efficacem potentiam suam rebus subtraheret eas nec futuras, nec operaturas esse. — Ratione probatur primo. Quia nulla est implicatio ut Deus concurrat ad singulas actiones. Secundo efficacius. Nam Deus res omnes creatas, et omnes earum actiones conservat in esse ut qu. præced. dub. 3. ostendimus, ex eo ergo Deus potest quamlibet rem creatam destruere, etiamsi

causa illius adhuc realiter existat, et impedire potest actionem agentium ut ne ignis comburat quod factum est in fornace Babylonis, ne sol luceat quod in Christi morte accidit etc., quod non solum corpore aliquo interjecto, vel forte producta qualitate quæ resistat v. gr. actioni ignis, sed etiam immediate cessando a conservatione vel concursu ad talem actum Deus efficere potest.

Jam ergo sic argumentor: concursus Dei necessarius est ad quamlibet rem in suo esse conservandam: ergo etiam ad primo producendam erit: ergo si res illa producatur a causa secunda, Deus concurret ad talis rei productionem. Consequentia prima probatur. Tum quia inductione patet, quoties aliquis effectus pendet in conservari ab aliqua causa, toties pendere etiam in prima productione ut patet in lumine, in speciebus etc. Eodem modo forma quæ in genere causæ materialis pendet a subjecto in conservari, pendet etiam in fieri etc. Tum quia non est ulla ratio cur necessario pendeat res in conservari ab aliquo et non in fieri; imo potius videtur non esse necessarium ad conservationem, quod non est necessarium ad primam productionem per quam recipit totum suum esse independenter ab alio. Tum denique quia idcirco Deus est causa conservans rerum omnium quia Deus est primum et summum ens, et fons entium, reliquæ autem res sunt subditæ illi et participationes ipsius. Sed hæc ratio æque procedit de prima productione rei, imo de ipsa actione causæ secundæ quæ etiam est aliquod ens creatum: ergo. Addit Fonseca et Suarez supra n. 13. quod si Deus non concurreret, nullum agens creatum esset determinatum ad hoc potius quam illud numero individuum producendum, quia a nullo potest ad hoc determinari præter quam a solo Deo; sed qu. ult. ostendemus hoc non convincere. Addit Zumel et Valentia Deum cognoscere omnia quæ fiunt in mundo et ea velle: ergo cum agat per intellectum et voluntatem etiam producere. Sed facile diceret Durandus Deum velle quidem ut fiant, sed a causis secundis. Et eodem modo cum div. Thomas dicit omne ens per participationem esse a primo ente, concederet Durandus, sed diceret mediate vel immediate esse ab eo nec necessarium ut omnia sint immediate ab ipso.

Ad primum Durandi. Si negando concursum immediatum Dei ad omnes actiones causarum secundarum, plausibiliter explicari posset quomodo Deus non sit causa peccati, tolerabilior esset sententia Durandi. Sed revera id non explicatur etiamsi ejus sen-

tentia admittatur; nam inter homines non solum is est causa peccati qui cum aliquo immediate cooperatur, sed etiam qui v. gr. dat gladium in manus ejus quem certo scit occisurum hominem: ergo etiamsi Deus actu non concurrat ad actionem causæ, tamen certo scit hominem sua voluntate libere peccaturum, non poterat illi dare libertatem. Et sicut Durandus solvit hoc argumentum eodem modo nos solvemus ipsius. Deinde negare non potest Durandus Deum concurrere ad omnes actus supernaturales immediate, et tamen possunt esse mali hi actus, ut prophetiæ, resuscitatio mortuorum etc. possunt esse actus peccati ex fine malo. Quomodo autem ex tali concursu non sequatur Deum esse auctorem peccati explanant fuse Theologi 1. 2. qu. 79., Molina 1. p. qu. 19. art. 6. disp. 3. etc.

Ad secundum. Varii sunt modi explicandi quid sit concursus iste Dei et quo modo concurrat Deus ad omnes effectus causæ secundæ, sed omissis aliorum sententiis quos late refellunt Molina citatus disp. 6. et sequ., Fonseca sec. 3., Conimbricenses qu. 13., Suarez 3. p. tom. 1. disp. 31. sec. 8. §. Dico breviter, respondeo cum Molina causam universalem et particularem eadem numero actione concurrere ad effectum. Sic enim hæc tota res intelligi debet, quod concursus Dei cum causis secundis in actu primo nihil sit aliud quam ipsa divina potentia, determinata per voluntatem ad juvandam causam in suis operationibus prout ejus natura exigit. Unde potentia creaturæ non intelligitur complete et perfecte constituta potens in actu primo ad producendum effectum, nisi intelligatur Deus taliter determinatus ad concurrendum cum creatura. Ipse vero concursus Dei actualis et in actu secundo est actio productiva effectus, per quam licet sine actuali concursu potens sit ait Suarez n. 7. Deus simul cum creatura producit effectum. Hunc igitur concursum Dei esse eandem omnino actionem quæ est a causa secunda, probo. Tum quia actio creaturæ est aliquod ens creatum, et ideo pendet a prima causa non solum in conservari, sed et in fieri: ergo Deus non solum concurrit ad effectum creaturæ perfectum, sed etiam ad ipsam actionem illius, ac proinde ipsa actio causæ secundæ non a sola creatura, sed et a Deo dimanat. Nec dici potest actionem causæ secundæ produci a Deo per actionem distinctam ab ipsa actione causæ secundæ, nam sicut ad motum non datur motus, ita nec ad actionem actio, cujus rationem a priori ostendi qu. præced. Ergo sicut actio causæ

secundæ seipsa dependet a causa secunda, ita etiam ab ipso Deo pendebit. Tam quia si distincta actione concurrit Deus et creatura, non potest dari ratio cur Deus et creatura non sint duæ causæ totales, sicut essent duæ causæ quarum quælibet produceret effectum totalem, nam et Deus et creatura totaliter producerent effectum, et actione totali. Concludimus ergo, quod sicut creata potentia incompleta est ad communicandum esse alteri, nisi conjungatur potentiæ divinæ, et ex utraque una integra potentia efficiatur, ita actio utriusque est unica et eadem quæ tota est et a creatura et a Deo. Unde ut recte infert Suarez sect. 4. n. 9., Soto hic qu. 4., Conimbricenses illa qu. 12. art. 3. ad 3. concursus Dei quo adjuvat creaturam, minor est quam si Deus per se sine concursu creaturæ producit effectum. Ratio est, nam si Deus per se produceret effectum, concurreret per actionem quæ a Deo ut causa totali et adæquata sufficienter applicata ad dandam entitatem effectui dependeret, quando vero concurrit adjuvando potentiam creaturæ, solum concurrit per actionem dependentem a Deo tanquam causa non sufficienter applicata ut ex vi illius solius sequator effectus, siquidem talis actio pendet etiam a causa secunda: ergo cum Deus operatur simul cum creatura, minus concurrit ad effectum, quam si per se operaretur supplendo id quod creatura esset factura.

Ad ea vero quibus probatur Deum et creaturam non eadem actione concurrere respondeo. Agens naturale non habere, nec posse habere vim sufficientem ad producendam actionem suam sine concursu Dei, sicut non potest aliquid creatum esse independens a Deo ut recte Conimbricenses illa qu. 12. art. 3. ad 2., Fonseca etc. Negatur etiam non posse eandem rem recipere esse per eandem numero actionem a duabus causis, habentibus quidem potentiam diversam, sed talem ut una eorum alteri sit subordinata. An autem tam Deus quam creatura dicatur causa totalis vel partialis, quæstio est de nomine ut recte Conimbricenses illa qu. 12. art. 3., Fonseca cit. Certum est totam actionem et totum effectum pendere ab utraque causa, sed a neutra totaliter, et Suarez supra n. 24. quamlibet ait esse totalem causam in suo genere quia a qualibet totus effectus pendet. — Dices: concursus causæ particularis determinat concursum Dei ad hanc potius quam illam actionem producendam: ideo enim Deus cum igne concurrit actione productiva ignis et non actione productiva lapidis, quia ignis ita

exigit, ut ostendunt Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 15. art. 2., Suarez illa disp. 22. sect. 2. n. 30. Ergo prior est et diversus concursus causæ secundæ. Deinde cessante concursu causæ secundæ post primam productionem rei, concursus Dei remanet conservans illam: ergo sunt diversæ actiones. Respondeo. Deum concurrere cum causis secundis ad actiones quales ipsæ sunt aptæ producere; unde non alio modo dicitur causa secunda determinare concursum causæ primæ quam quod Deus cum illa concurrat tali concursu qualem ipsa exigit, v. gr. voluntas ex se indifferens est ad hunc vel illum actum, quia tamen Deus per suam cognitionem (quæ non tantum ea quæ futura sunt, sed et quæ fierent si tales vel tales conditiones, circumstantiæ, motiva etc. offerrentur voluntati) videt quid voluntas hic et nunc operatura sit, nisi illi denegetur Dei concursus, et tunc Deus qui secundum ordinariam legem nulli denegat talem concursum, cum voluntate simul et eadem actione concurrit ad entitatem talis volitionis. Ad illud quod additur de cessatione concursus, licet aliqui velint eandem actionem perseverare tempore conservationis, ita tamen ut quæ in prima productione a Deo et creatura simul pendebat, a Deo solo postmodum tanquam causa totali incipiat pendere, quia scilicet Deus ex sola majori applicatione potentiæ productivæ incipiat esse causa adæquata, tamen ut qu. præced. dub. 2. diximus cum Conimbricensibus probabilius est diversam esse actionem conservativam ab actione quæ primo producta erat. Contra responsionem autem adversariorum est, nam ut alibi ostendetur, impossibile est ut intelligatur aliquis actus liber Dei qui ante non poterat intelligi, nisi aliqua fiat mutatio in rebus extra Deum existentibus. Sed si eadem actio, idem effectus nunc remanet cum Deus conservat rem adæquate, sequitur nulla facta mutatione in rebus creatis Deum velle magis applicare potentiam productivam, quam noluerit applicare in prima productione, quod impossibile est.

Ex dictis facile solvitur illa quæstio quam ponunt Conimbricenses citati qu. 14., Fonseca illa qu. 9. sect. 4., Suarez disp. 22. sect. 1. n. 17. an scilicet Deus concurrat ad omnes effectus causæ secundæ immediate immediatione virtutis et suppositi. Cum enim Deus concurrat ad effectum omnem non solum quia conservat causam creatam et virtutem ejus productivam qua ratione solum mediate concurrit, sed etiam in effectum influendo, idque ita ut sit effectus intime præsens, agatque per virtutem propriam, certum

est Deum producere res omnes immediate et immediatione virtutis quia scil. dat vim causæ secundæ et eam conservat, et immediatione suppositi. Et ex his latissimum discrimen inter Deum et alias causas universales ut cœlum etc. apparet. Hæ enim in generatione quæ fit a causa secunda petente producere effectum, non concurrunt nisi per accidens, in quantum præparant materiam removendo impedimenta, ut frigus etc., per accessum et recessum solis etc., quo solum sensu verum est illud Aristotelis 2. Phys. 26. sol et homo generant hominem, de quo Toletus 2. Phys. qu. 8. concl. 3. Revera enim nullus effectus pendet in conservari a sole nisi remote, quatenus removet vitæ impedimenta etc., quo etiam modo sol dicitur conservare carnes, quia removet causas corrumpentes, ut nimiam humiditatem etc. Deus autem ut ex dictis patet alio modo concurrit ad productionem et conservationem rerum.

QUAESTIO QUARTA.

An ad hoc ut causa efficiens agat requiratur contactus, vel potius agere possit in distans.

Sensus quæstionis est: an quoties aliqua causa efficiens agit in aliquid, debeat esse præsens illi, ita ut nihil intercipiatur inter agens et patiens, an vero fieri possit ut aliqua res agat et producat suum effectum in subjecto remoto, non producendo similem effectum in re vicina sibi. Unde non quærimus, an agens et patiens debeant sibi esse intime præsentia; certum enim est corpora non posse sine penetratione quam naturaliter impossibilem esse infra ostendemus hoc modo sibi præsentia esse. Nec quærimus, an ad actionem necessaria sit contactus virtualis agentis cum passo; cum enim nihil aliud sit contactus virtualis, quam applicatio virtutis seu potentiæ agentis ad operandum, certum est sine tali contactu non posse fieri actionem quæ essentialiter est exercitium virtutis activæ. Sive ergo res sit indistans a passo solum quia ejus extrema sunt simul, sive quia est intime præsens illi, sive quia est omnino idem agens et patiens ut fit in actionibus immanentibus, dicitur res esse præsens alteri, et quæstio est: an sit necessarium ad omnem actionem talis indistantia.

Et quidem certum est, Deum posse assumere creaturam ut hæc per potentiam obedientialem agat in distans, ut optime docet

Suarez 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 1. et disp. 18. Metaph. sect. 8. n. 20., Conimbricenses 7. Phys. cap. 2. qu. 2. et ab illis citati Bellarmin, Scotus, Vega etc. Ratio est ait Suarez, nam nulla est repugnantia in hoc modo operandi; illa enim conditio ut agens sit proximum passo juxta probabilem sententiam non est necessaria etiam respectu naturalium agentium, et quamvis ex natura rei esset necessaria, tamen cum non sit aliquid intrinsece requisitum in agente ut est potentia operativa realis, nec in ipsa actione, non est ratio cur de potentia absoluta dicatur necessaria. Confirmari potest, nam formæ Sacramentorum producunt gratiam etiamsi non attingat vox materiam, v. gr. absolvi potest qui est remotior etc. Idem confirmant Conimbricenses aliis rationibus, sed in re certissima non est quod immoremur. Videndum ergo est, an saltem ad omnes actiones naturales hæc conditio sit necessaria.

Prima sententia est dicentium, semper ad omnem actionem causæ efficientis necessariam esse præsentiam agentis et passi, ita ut nullum agens possit immediate agere nisi in id quod sibi proximum est, et mediante illo postmodum agere in rem distantem, ita ut v. gr. ignis primo producat calorem et ignem in parte vicina. postea ille calor et ignis in parte vicina iterum producat etc. Ita sentiunt Conimbricenses 7. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 2., Toletus 7. Phys. qu. 2., Molina 1. p. qu. 8. art. 1. disp. 2. et qu. 52. art. 1. disp. unica n. 4. §. Illud deinde, Zumel, Bannez, Cajetanus, Durandus, Ferrariensis 3. Contra gent. cap. 68.

Probatur primo. Nam ex eo Patres el Scriptura dicunt Deum ubique esse, quia in omnibus rebus operatur; at si non est necesse agens et patiens seu effectum esse simul, hoc nil valeret. Nam etiamsi Deus non esset ubique, adhuc tamen posset operari in omnibus rebus. Major patet. Nam Ps. 138. Si ascendero in cœlum tamen illuc es, etenim manus tua deducet me; Act. 17. Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, sumus: ergo Scriptura ex eo colligit Deum ubique esse, quia ubique operatur. Idem Anselmus in Monologio cap. 20. et 22. etc. et alii citati a Conimbricensibus, et Fonseca 5. Metaph. cap. 2, qu. 9. sect. 4. ait sine inscitiæ nota non posse negari hanc conclusionem. — Secundo. Si aliquid posset agere in distans, sequitur quod possit agere quocunque medio interjecto, ut si sol potest immediate producere in re distanti lumen, quocunque medio opaco interjecto producet. Nam si medium nil conducit ad operationem,

qualecunque tandem illud sit non impediet vel juvabit actionem; imo etiamsi vacuum esset interjectum inter agens et patiens adhuc sequeretur actio, quod tamen est contra Aristotelem qui 2. De anima text. 74. ait nequidem species posse produci ab objecto in oculo si intercedat vacuum, et 1. Meteor. cap. 2. ideo ait debere mundum inferiorem esse continuum superius lationibus[1] ut possit inde gubernari, ubi indicat Aristoteles non posse gubernari nisi esset contiguus. Unde addunt Conimbricenses hanc esse causam cur res naturales vacuum adeo fugiant et conservent continuitatem, quia scilicet dato vacuo non possent mutuo agere, quod tamen non esset si agare possent in distans. Tertio. Ex opposita sententia sequitur agentia naturalia non habere certam et determinatam sphæram actionis. Nam ideo naturalia agentia habent determinatam sphæram nec possunt in quamcunque distantiam agere, quia ab eo loco in quo sunt continuata quadam operatione operantur in partes distantes, virtus autem agentium finita est, et ita eorum etiam actio finita esse debet, et consequenter intra certam distantiam, quia agens vim suam impendit in medio, sicque paulatim debilitatur. Si autem agat in distans non majorem vim habere debet ad producendum aliquid in loco remoto quam in vicino, cum nil operetur in spatio interjecto, et ita non evadat debilior virtus ad agendum in distans. At contra experientiam est rem agere posse in quamcunque distantiam: ergo. Quarto. Hæc eadem est sententia Aristotelis 7. Phys. text. 10. ubi ait movens et motum (immediate scilicet, nam si mediate tantum moveatur ut aqua in vase non debet tangi aqua) debere se tangere et esse simul, quod probat illo textu inductione per omnes species motus localis, pulsionem scil. tractionem, sectionem etc., textu vero 11. idem probat de alteratione inducendo per varia, text. 13. de augmentatione idem ostendit, et ita concludit illo text. 13. inter movens et motum nil debere intercipi, et de generatione text. 44. activa et passiva ait debere se tangere.

Secunda sententia est dicentium, posse aliquid agere in distans, ita scilicet ut aliquid producat in loco distanti quod non producit in loco vicino sibi. Ita sentit Scotus 1. dist. 37. qu. una, Gabriel qu. 1. art. 3. dub. 1., Mayronis, Lychetus, Occam ibidem, et putat probabile Suarez supra citatus, Vallesius Controv. 19. Pro resolutione quæstionis.

[1] *Latio* idem est ac translatio de loco in locum, sive motus localis.

Suppono, naturalia agentia agere non solum in id quod immediate tangunt, sed etiam quod est remotum, nam v. gr. ignis calefacit manum quæ procul distat ab ipso. Verum cum id duobus modis possit fieri, vel quia solum calefaciat ignis immediate aërem sibi proximum, qui aër deinde calefaciat reliquas partes usque dum producatur calor in aëre qui manum contingit a quo deinde et in manu producitur calor; vel quia ipsum agens virtute sua immediate producat calorem in passo distante, quæstio est, an semper actio in distans fiat primo illo modo, an hoc secundo fieri possit; si enim secundo modo agant res naturales immediate agent in distans, si primo, minime. Deinde cum res naturalis agit in distans, sive primo sive secundo modo dicatur id fieri, tunc id quod interpositum est inter agens et patiens, vel tale est ut sit incapax omnis effectus qui posset produci ab agente, et qui posset deservire ab producendum in subjecto remoto eam formam cujus illud est capax, vel certe tale est medium ut habeat in se formam quam agens in illo produceret si illa careret, sicut producit in subjecto distante. Jam ergo

Certum est, actiones omnes immanentes ita fieri ut agens sit præsens passo, cum sit omnino idem; et idem est cum aliqua se movent a principio interno ut gravia etc. Similiter certum est in augmentatione viventis agens et passum simul esse; an vero impulsio, tractio etc. et reliquæ species motus localis requirant contactum moventis et moti explicabitur ubi de motu. Solum ergo hic de alteratione et generatione superest difficultas.

Dico breviter. Si medium interjectum inter agens et patiens sit incapax omnis effectus agentis, non potest ulla res naturalis efficere aliquid in loco distanti; si tamen medium capax sit effectus alicujus quem agens producit, et ex se vel aliunde habeat illam formam quam agens produceret in illo medio si non haberet, tunc fieri potest ut agens agat in distans et non in proximum. Et eodem modo fieri potest ut licet agens producat aliquam formam in medio, quæ necessaria est ad hoc ut possit agere in distans, tamen in re distante immediate producat aliquid quod non produxit in vicina. Et hæc est sententia Scoti loco cit. ubi ait, agens sæpe non agere actione ejusdem rationis in medium proximum, qua agit in distans ut cum sol in terræ inferioribus producit metalla quæ in aëre non producit, quam productionem ab ipsa substantia solis ait fieri immediate cum accidentia non producant substantiam.

Verum tamen est inquit, quia ut agentia possint in distans agere, præexigunt actionem aliquam imperfectiorem in medio vicino per quam producitur aliquid imperfectius, idcirco ut plurimum debet prius agere in medium quam in distans. Si tamen inquit ponamus non esse necessarium ut prius producatur id quod imperfectius est (quod accidit ut nos diximus quando jam aliunde habet medium id quod produceret in illo causa efficiens), tunc ait Scotus nil impedit quo minus immediate agat in distans. Jam ergo prima pars conclusionis patet experientia. Nam ideo sol non illuminat aërem in cavernis terræ existentem, licet sit intra sphæram activitatis illius, quia clauditur corpore opaco incapaci luminis; similiter ignis interjecta re crassissima non comburit etc. Et hanc partem conclusionis optime probat secundum argumentum primæ sententiæ.[1]

Secunda vero pars conclusionis, quod scilicet agens aliquod agat immediate in distans, et non solum medio effectu producto in partibus vicinioribus, probatur primo. Nam sæpe qualitas seu forma producta ab agente non est activa, et tamen producitur ab agente non solum in partibus proximis sed et in remotis: ergo etiamsi forma sit activa, poterit nihilominus produci immediate in toto aliquo spatio, nam non minoris efficaciæ est agens producens formam activam, quam non activam. Antecedens probatur. Nam species visibiles, lumen et omnia quæ in instanti producuntur et non successive, per totum medium producuntur immediate ab objecto, et non producit una species aliam ut lib. De anima dicetur. Et ratio breviter est, nam cum species producitur sine resistentia passi, non esset ratio cur specierum productio in infinitum non procederet, si una aliam produceret, semper enim quælibet pars est productiva sibi similis, et tamen certum est quod non nisi ad certam distantiam producitur, eo quod objectum quod producit sit virtutis limitatæ ac finitæ. Secundo. Sæpe agens aliquod nec producit nec conservat formam in medio, et tamen producit in extremo, nam v. gr. partes solis interiores vere producunt lucem in aëre, non tamen in ipsis partibus solis circumstantibus. Similiter partes interiores ignis producunt calorem in aëre, non vero in parte ignis quæ eam ambit. Quod vero producant, probo. Nam si aliqua pars interior solis et ignis non producit lumen: ergo sola extima superficies producet; at hoc est falsissimum. Experientia enim constat quod si addatur igni plus ignis, producet intensiorem

[1] Rationem a priori adfert Suarez n. 20., sed non efficacem.

calorem et ad majorem distantiam, licet eadem sola superficies sit versus passum quæ erat ante.

Dices: partes ignis etc. non distingui realiter, et ideo totum ignem agere ut rem simplicem. Contra, nam ostendimus 1. Phys. disp. 4. qu. 1. dicto 1. et in Logica illas partes realiter distingui. Deinde si partes ignis sint tantum contiguæ et non continuæ adhuc plures prunæ discontinuæ plus calefaciunt, quam si solum essent exteriores prunæ et intus loco aliarum prunarum esset cinis, quod signum est partes interiores producere calorem in aëre, licet non producant in aliis prunis, siquidem hæ prunæ non se mutuo consumant nec in se agunt ut supra disp. 1. qu. 3. circa 2. in fine dicti 1. ostendimus. Ergo in hoc casu agit aliquid in distans immediate. Et revera nisi hoc concedatur, nunquam explicabunt adversarii quomodo in instanti per totum mundum producatur lumen, quomodo plura agentia fortius agant, quomodo in reactione pars non repassa juvet partem repassam agendo in contrarium et illud debilitando cum tamen non agat in partem repassam quæ tamen interjecta est inter agens et passum.

Tertio. Agentia naturalia producunt formam substantialem in re distante, idque non semper mediate, nam sæpe in medio non producitur eadem forma substantialis a qua postea in partibus remotioribus producitur alia; nec dici potest ab accidentibus diffusis per medium produci talem formam, nam mox ostendemus non posse accidens producere substantiam, nisi etiam ipsa substantia immediate eam producat et attingat actione propria: ergo. Ex quo constat, quod si in aliquo medio sint omnes dispositiones quas v. gr. ignis in illo producere deberet ad hoc ut in stuppa distante formam ignis producat, in medium nil agendo posse in stuppa ignem producere.

Quarto probatur id variis experientiis. Primo, quia si sol illuminat, et ignis calefacit etc. solum mediante lumine et calore existente in medio et non etiam immediate, sequitur æque illuminari et æque calefieri quæ æque distant a partibus æque illuminatis et calefactis quod est contra experientiam. Nam sol perfecte illuminat cubiculum in iis partibus quas per lineam rectam attingit, eas vero quas hoc modo non attingit imperfecte illuminat, cum tamen partes minus perfectæ illuminatæ proximæ sint partibus perfecte illuminatis: ergo tunc illuminatio unius partis non fit, quia lumen existens in una parte producet lumen in parte sibi vicina, alias æque

illuminarentur partes æque vicinæ. Imo si obscurissimum sit cubiculum in quo duo foramina reliquantur per quæ transeat radius solaris ita ut nusquam reflectatur in cubiculo, partes illæ exiguæ erunt illustratæ, reliquum vero cubiculum obscurum manebit. Similiter si conjungantur carbones corpore denso in gyrum, relicto superius orificio per quod exhalationes possint erumpere, et similiter a latere orificium relinquatur, tunc si apponatur manus ad orificium lateris licet remote, magis calefiet quam si juxta foramen ad latus orificii ponatur, ac proinde manus sit vicinior partibus calefactis ab igne per illud foramen, quod signum est manum cum intense calefieret in loco remotiori ab ipso igne immediate fuisse calefactam. — Secundo. Ex reflexione per lineam rectam intenditur qualitas ut lib. De gener. dicetur; at omnino impossibile est ut partes propinguiores agenti habentes intensiorem qualitatem, intendantur a partibus remotioribus quæ minus intensa qualitate pollent: ergo immediate intenditur ab agente principali. Similiter sol calefacit nostram regionem non mediam: ergo. — Tertio. Agens rarum non adeo intense agit ac densum, quamvis habeat qualitatem æque intensam. Nam ignis ex aqua adusta non comburit; at agens densum etiamsi medium sit rarissimum intensissime agit ut carbones ex quercu calefeciunt licet solus aër rarissimus vel certe ignis ex aqua adusta intercedat inter manum et carbones: ergo signum est, tunc manum calefieri non a calore producto in medio raro, sed ab ipso igne.

Addunt alii multas rationes pro hac sententia probanda, sed quæ parum habent roboris et non male solvuntur a Conimbricensibus et Toleto supra. Ut magnetem trahere ferrum dissitum, cum tamen non trahat aërem medium ut tradit Plinius lib. 26. cap. 16. et 26., lib. 20. cap. 7., S. Augustinus De civit. lib. 21. cap. 4.; theamedem ferrum omne abigere testatur Plinius lib. 36. cap. 16; basiliscum solo visu hominem occidere tradit Plinius lib. 49. cap. 4.; similiter qui a lupo videtur rancescit ex Plinio lib. 8. cap. 27. Denique quod aliqui adferunt pro hac sententia, lebetis fundum ad ignem non urere, et aquam in fundo tepentem esse, licet in suprema parte ferventissima sit, et tamen fundus lebetis vicinior est igni, ac proinde si actio fieret per medium, citius deberet fundus calefieri, bene solvunt Conimbricenses cit. art. 7. ex Aristotele sect. 24. Probl. 5. et 8.

Jam ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum.

Etiam adversarios solvere debere illud argumentum; saltem enim divina virtute fatentur posse aliquid agere in distans ut instrumentum Dei, tunc autem certum est, ex eo quod agat res in aliquid, non posse inferri quod sit illi præsens. Respondent Conimbricenses illa qu. 2. art. 2. ad 2. dummodo agens principale sit præsens, fieri posse actionem etiamsi instrumentum distet. Contra tamen optime arguit Suarez illa disp. 31. sect. 6. Nam ad actionem ipsum etiam instrumentum concurrit et non sola causa principalis, nisi dicas instrumentum nil agere: ergo si ad omnem actionem necessarius est contactus, etiam ad hanc instrumenti necessarius erit, alias pari ratione dici posset causas secundas sine contactu agere posse eo quod Deus qui cum illis concurrit ubique sit. Et confirmatur. Nam contactus agentis et passi necessarius est propter limitationem virtutis activæ ut in tertio argumento dicunt adversarii, nam ceteris paribus minor virtus necessaria est ad agendum in proximum et major ad agendum in distans. Sed præsentia agentis principalis tamen passo non tollit limitationem virtutis existentis in instrumento. Ergo licet agens principale attingat passum, inde non sequitur instrumentum distans attingere, si ejus virtus æque limitata manet. Respondeo ergo cum Suarez loco cit.: ex eo solum colligi posse Deum ubique esse quia immensus est et immutabilis secundum locum; revera enim dummodo Deus sit omnipotens, etiamsi per impossibile non esset ubique eo quod careret immensitate quomodo Aristoteles lib. De mundo ad Alex. putavit Deum non esse ubique, adhuc posset agere in rebus omnibus ut optime docet Scotus et alii auctores secundæ sententiæ. Illis autem locis Scripturæ licet videatur reddi pro causa existendi in rebus operatio, tamen sæpe Scriptura assignat pro causa quod solum est causa cognoscendi, ut Jerem. 23. causa redditur cur Deus videat omnia quia cœlum et terram implet, cum tamen certum est præsentiam Dei in rebus non esse causam cognitionis omnium, sed infinitam perfectionem divini intellectus. Nihilominus si ita est immensus Deus ut omnia repleat, bene sequitur ita esse infinitum ut omnia cognoscat. Eodem ergo modo locis citatis ex eo quod Deus sit auctor omnium rerum ac proinde virtutis infinitæ, intelligitur esse etiam immensus et immutabilis quamvis causalitas in rebus omnibus non sit causa præsentiæ.

Ad secundum. Solum probat primam partem conclusionis nostræ. Ad tertium. Naturalia agentia habent determinatam sphæram

quia sunt finitæ et limitatæ virtutis activæ, ideoque non possunt ad quantamvis distantiam agere, ex quo tamen non sequitur ait Suarez illa sect. 8. n. 12. ita limitata esse ut non possint nisi in immediatum agere. Potest ergo fieri actio in distans, licet majoris virtutis sit vincere rem distantem, quam propinguam, sicut majoris virtutis est rem ad locum distantem projicere. Ex quo sequitur ut agentia agant uniformiter difformiter per spatia.

Ad quartum. Certum est ex dictis, agens principale posse esse loco distans a passo, et immediate posse producere effectum in distanti quem non produxit in vicino. Aristoteles autem solum vult movens totale et motum totalem debere esse simul et se tangere saltem secundum superficiem extimam. Nomine autem moventis totalis intelligitur id totum quod in se habet vim ad producendum effectum in subjecto quod dicitur moveri, sed hoc non impedit quominus agens principale distet ab aliquo suo effectu principali. Ut autem explicemus quomodo semper movens totale sit simul cum mobili, suppono ex dictis nunquam aliquid posse agere in distans nisi vel ipsum prius producat aliquid in medio, vel certe inveniat in medio id quod ipsum deberet producere. Hæc autem forma producta in medio non se habet mere per accidens respectu productionis formæ in loco distanti; revera enim si per accidens se haberet necessaria non esset, et ita sequerentur absurda quæ in prima parte conclusionis probanda intulimus. Unde talis effectus in medio existens juvat agens remotum ad producendum effectum in parte remota, quia utitur agens ea forma tanquam instrumento ad ulteriorem effectum producendum, ad eum modum quo intellectus cum anima, calor cum igne etc. concurrit ad productionem. Unde etiam hæ dispositiones in medio existentes sunt pars causæ totalis quæ ex principali et instrumentali conflatur, ac proinde causa totalis est immediata passo saltem secundum aliquam partem.

QUAESTIO QUINTA.

An causa efficiens debeat esse nobilior et praestantior effectu.

Recte docent Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 5. art. 1. causam ut causa est semper esse nobiliorem et præstantiorem effectu, seu quod idem est causare est nobilius quam causari et effici, quia præstantius est tribuere esse alteri, quam recipere esse ab alio. Hic

tamen controversia est, an entitas et essentia absoluta causæ debeat esse nobilior et dignior entitate effectus et essentia. Et quidem si de causa materiali et formali sit sermo, certum est effectum illarum nempe compositum esse nobilius et præstantius quam sit quælibet illarum causarum ut Conimbricenses citati, Scotus 3. dist. 2. et Mayronis citandi atque Suarez disp. 26. sect. 1. n. 4. Et ratio est, nam compositum in sua essentia includit totam entitatem cujuslibet ex his causis et præterea amplius aliquid, nempe alteram præterea partem et unionem insuper. At præstantius est id quod continet totam entitatem alicujus et præterea aliquid aliud, quam sit ipsa entitas rei quam continet. Ergo. Et hoc colligunt Conimbricenses ex Aristotele 7. Metaph. text. 7. Addit Suarez n. 3. effectum non posse excedere in perfectione omnes causas simul sumptas et unitas. Ratio est, nam totum compositum aliud non est quam causæ internæ unitæ: ergo nullam habet perfectionem compositum præter perfectionem partium unitarum cum totam perfectionem habeat ab illis. Causa autem finalis interdum nobilior est, interdum ignobilior, cum sæpe homines hamo aureo piscari notissimum sit, de quo Suarez a n. 9. ad finem. Solum ergo de causa efficiente superest controversia. Cum autem causa efficiens alia sit principalis, alia instrumentalis, certum est, causam instrumentalem posse esse minus perfectam in essentia quam sit effectus, nam accidentia ut instrumenta substantiæ producunt substantiam, et tamen sunt imperfectiora substantia. De causa ergo principali

Dico breviter. Nulla causa efficiens principalis totalis esse potest ignobilior suo effectu essentialiter, sed vel æque nobilis et perfecta, vel perfectior. Est Aristotelis 3. De anima text. 19. et 2. De gener. animal. cap. 1., Suaresii disp. 17. sect. 2. n. 18. Explicatur, nam effectus qui producitur vel est ejusdem speciei cum causa, vel diversæ. Si est ejusdem speciei tunc dicitur causa univoca, et clarum est effectum non esse perfectiorem essentialiter cum sit ejusdem speciei cum sua causa; non esset autem ejusdem speciei si aliquod prædicatum essentiale haberet unum quo superaret aliud, cum essentiæ sint ut numeri sicut exposuimus in Logica disp. De differ. qu. 1. initio. An autem in perfectione individuali res ejusdem speciei se mutuo superent alibi dicemus. Si vero causa est diversæ speciei ab effectu, tunc causa dicitur æquivoca et hæc non modo non potest esse minus perfecta quam sit effectus, sed necessario debet esse perfectior. Unde Scotus 4. dist. 12. qu. 3. ait per

se notum esse talem causam efficientem nobiliorem esse effectu. Idem div. Thomas 1. p. qu. 4. art. 2. in corp. et ad 3., Mayronis 4. dist. 6. qu. 1. et citati a Conimbricensibus supra, Augustinus lib. 83. Quæst. qu. 2., lib. 12. in Gen. cap. 29., div. Dionysius cap. 2. De div. nomin., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 6. sect. 2. Probat hoc ceteris præstantius Mayronis et Scotus, quo argumento utitur et Fonseca. Nam si res imperfectior posset producere perfectiorem, non possemus colligere Deum esse perfectiorem creaturis ex eo quod sit causa illarum, cum tamen div. Dionysius, div. Thomas etc. ex eo inferunt Deum continere omnes perfectiones creaturarum licet modo eminentiori, quia est causa earum, et Sapientiæ 13. dicitur a magnitudine creaturæ posse creatoris perfectionem intelligi, quod tamen verum non esset si causa posset esse effectu imperfectior. Addit Mayronis, si hoc principium tollatur non posse ostendi quod musca producere non possit cœlos, quod calidum ut duo non possit producere octo gradus caloris etc. Secundo: Causa æquivoca cum specie distinguatur ab effectu, non potest eundem omnino gradum perfectionis essentialis habere cum effectu: ergo vel causa erit perfectior, vel effectus. Sed certum est effectum non posse esse perfectiorem causa, nam effectus cum non habeat ex se illam perfectionem qua vincit suam causam, debet habere a sua causa. At causa non potest tribuere quod non habet: Ergo illam perfectionem debet habere saltem virtute et eminenter seu modo excellentiori. Et hæc argumenta æque urgent sive sit unica causa efficiens principalis, sive plures ex quibus fiat una adæquata, dummodo sint causæ principales et non instrumentales, nam et tunc effectus imperfectior est tota collectione illarum causarum.

Hæc tamen conclusio est contra Pererium qui lib. 8. cap. 13. ad 1. ait causam efficientem posse esse imperfectiorem essentialiter suo effectu saltem mediato, et ita ait accidentia esse causam principalem productivam substantiæ quia immediate producunt accidentia æque perfecta vel imperfectiora quam sint ipsa, mediate vero producere substantiam. — Contra tamen est, nam licet causa efficiens principalis sit mediata, dummodo tamen vere sit causa efficiens semper est perfectior effectu. Nam causa mediata dici potest aliquid alterius vel quia immediate producit aliquem effectum, qui effectus postea producit alium, quomodo sol est causa mediata caloris quia immediate producit lucem a qua calor producitur ut multi volunt, eodem modo ignis est causa raritatis

mediante calore; vel quia immediate producit aliquid quod non est quidem causa efficiens alterius, aliquomodo tamen necessarium est ad hoc ut existat alterum, quomodo qui approximat ignem stuppæ licet approximatio non comburat effective dicitur causa mediata combustionis. Et hujusmodi causa mediata revera non est causa efficiens effectus mediati; nam non potest dici efficiens eo quod immediate concurrat effective ad talem effectum, nec potest denominari efficiens saltem mediate ab actione sui effectus, siquidem ille effectus non concurrit effective.

Jam ergo si vult Pererius causam mediatam primo modo posse esse imperfectiorem effectu, aperte fallitur, nam ut ipsemet concedit talis causa est æque perfecta vel perfectior etiam suo effectu immediato. Et similiter hic effectus immediatus causæ est æque perfectus vel perfectior eadem ratione suo effectu quem immediate producit, a qua productione prior causa dicitur mediate efficere talem effectum. Ergo et causa prior erit æque perfecta vel perfectior suo effectu mediato. Si autem vult causam mediatam secundo modo esse aliquando imperfectiorem effectu, verissimum dicit, nam hujusmodi causa mediata non est proprie efficiens a qua recipiat suum esse effectus, sed ab alia causa efficiente recipit totum suum esse quæ perfectior esse debet effectu. Argumenta quæ contra hæc objici possent: ut quod cœlum producat animalia, elementa producant mixta, accidentia substantiam etc. ex dicendis qu. 7. solventur. — Dices: ideo causa est nobilior effectu quia communicat esse effectui; sed etiam instrumentum communicat esse: ergo. Respondeo, non ex quavis communicatione esse sequitur perfectio major, sed ex communicatione principali, ex hac enim communicatione sequitur effectum naturaliter subjectum esse causæ principali.

QUAESTIO SEXTA.

Quo differat causa efficiens principalis ab instrumentali.

Notandum est cum Mayrone 4. dist. 6. qu. 2. causas instrumentales et etiam principales alias esse naturales, alias artificiales, alias supernaturales. Prius ergo videndum est quæ sit causa principalis vel instrumentalis naturalis; tum de causis instrumentalibus artificialibus agemus. De supernaturalibus autem eadem omnino

est ratio quæ de naturalibus et solum est diversitas quod instrumenta supernaturalia per potentiam obedientialem ad effectus non debitos naturæ concurrant, naturale autem instrumentum per potentiam naturalem ad effectus naturæ debitos. De his late Suarez Tom. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 8.

Circa causam principalem et instrumentalem naturalem certum est in primis, distingui debere causam principalem ab instrumentali, ac proinde intelligi posse causam principalem constitutam in esse causæ nullo instrumento intellecto, nam Deus cum creat, essentia cum producit suas potentias etc. est causa principalis, et tamen nullo utuntur instrumento. Ex quo sequitur, virtutem operandi per quam res constituitur in esse causæ principalis potentis producere, non esse instrumentum illius ut recte Mayronis citatus; tum quia ut ostendi, potest esse causa principalis et operari sine ullo instrumento et tamen operari non potest sine virtute operandi ut qu. 3. ostendimus; tum quia causa principalis non constituitur in esse causæ principalis per instrumentum formaliter. At certum est constitui causam principalem in esse sufficienti ad productionem per potentiam et vim operandi. Ergo. Alii ergo putant causam instrumentalem esse illam quæ inadæquata est et immediatius attingit effectum quam principalis; causam vero principalem esse quæ adæquata est et totalis i. e. quæ se sola possit producere effectum dummodo adsit generalis Dei concursus. Sed in primis falsum est instrumentum debere concurrere immediatius, nam causa principalis potest concurrere immediate per virtutem distinctam ab instrumento ad producendum effectum. Nam Deus immediate concurrit cum sacramentis ad gratiam, cum anima ad actus supernaturales producendos, per virtutem distinctam a virtute sacramentorum, scilicet per omnipotentiam. Et quamvis potentiæ animæ distinguantur ab anima ex natura rei, adhuc tamen cum illis immediate concurrit anima ad actus vitales ut alibi ostendetur. Deinde verum quidem est omnem causam instrumentalem esse inadæquatam et insufficientem ad producendum effectum cum solo Dei concursu generali, falsum tamen est omnem causam principalem debere esse totalem. Nam plures homines trahentes navem, elevantes pondus etc. sunt causæ principales et tamen nullus illorum est totalis causa, sed omnes simul.

Alii causam instrumentalem ajunt illam esse quæ in sua actione alteri subordinatur, vel quod agit virtute recepta ab alia causa.

Hæc tamen ratio causæ instrumentalis non est adæquata, nam creaturæ omnes receperunt virtutem agendi a Deo, nec possunt operari sine actuali Dei concursu ut ostendimus: ergo omnes creaturæ erunt instrumenta Dei, et nulla causa creata erit principalis. Quod etsi concedat Plato et Damascenus citati a Conimbricensibus 2. Phys. cap. 7. qu. 12. art. 3. in fine, recte tamen ostendunt Conimbricenses ibi art. 1. in fine et Suarez disp. 22. sect. 2. n. 54. ex div. Thoma et Scoto, etiam causas secundas esse principales, tum quia ex hoc sequitur causas principales non posse esse univocas, Deus enim est causa æquivoca rerum, ac proinde solum instrumentum esset univoca causa; tum quia sequitur causam principalem subordinatam universali semper esse instrumentum illius et sic Deum esse causam principalem et particularem peccati æque ac gratiæ per sacramenta saltem quoad materiale, ac proinde illi potius quam instrumento tribueretur peccatum. Ex quo constat, causam instrumentalem debere subordinari causæ particulari et non soli universali, tum quia si sufficeret subordinari causæ universali, omnes creaturæ essent instrumenta Dei; tum etiam quia omnis effectus habet causam principalem particularem, a sola enim causa universali ut universali produci non potest.

Dico: Causam principalem esse illam quæ ita producit effectum ut in ejus productione non subordinetur ulli causæ particulari, sed cum solo concursu causæ universalis possit effectum attingere. Causa vero instrumentalis naturalis est, quæ ita producit effectum ut sit subjecta et subordinata actuali concursui causæ alicujus particularis, ita scilicet ut compleat virtutem principalis causæ ad producendos eos effectus, quos illa causa ex natura sua sibi determinat.

Prima pars, quod scilicet illa causa sit principalis quæ sola causa universali concurrente, independenter ab alia causa cui subordinetur producit effectum, probatur. Nam nisi hoc dicamus, fatendum erit omnem creaturam esse instrumentum Dei ad omnes effectus. Si enim causa quæ sola causa universali, scilicet Deo concurrente operatur non est principalis, id vel est quia operatur virtute ab alio accepta, et concurrente illa causa a qua habet esse; at hac ratione omnis creatura erit instrumentum Dei; vel quia est aliquid alterius. At si per esse aliquid alterius intelligatur, quod sit effectus alterius, eodem modo omnis creatura erit instrumentum Dei. Si autem per esse aliquid alterius intelligatur quod sit pars

vel potentia illius, omnino falsum est ad rationem instrumenti hoc requiri. Sequeretur enim Deum non posse ulla creatura ut sacramentis etc. uti tanquam instrumento, cum nulla creatura sit pars vel potentia Dei; deinde ostendimus potentiam per quam causa principalis constituitur causa, non esse instrumentum. Ex quo constat non esse contra rationem causæ principalis, quod sit accidens, nam etiam accidens potest operari sola causa universali concurrente ad operandum, quomodo actus producit habitum etc., et calor v. gr. in aqua existens producit calorem ut causa principalis ut infra ostendemus.

Secunda pars explicatur et probatur. In primis quod causa instrumentalis debeat producere effectum probatur. Nam causa instrumentalis aliquid agit et concurrit ad communicandum esse effectui: ergo habet vim et potentiam communicandi esse, quam consequentiam probavi qu. 3. dicto 2. Et clarum est rem constitui in esse agentis in actu primo per virtutem et potentiam activam; verum tamen est non esse necesse ut hanc virtutem acceperit instrumentum ab eo cujus est instrumentum, nam habitus est instrumentum animæ ad producendos actus etc., non tamen producitur ab anima sed ab actibus. Quod vero debeat esse subordinatum causæ particulari patet, nam ostendi non sufficere si sit subordinatum causæ universali. Hæc autem subordinatio aliud non est, quam esse causam ex natura sua institutam et ordinatam ut sua actione inadæquata deserviat causæ principali efficienti, complendo sua activitate licet imperfecta, quod deest activitati causæ principalis cui deservit, vel quia libere non vult producere causa principalis se sola quantum potest, quomodo Deus utitur instrumentis, vel quia non potest producere effectum defectu activitatis licet imperfectæ instrumenti, vel saltem quia non æque bene potest.

Quod vero actuali concursui causæ principalis debeat subordinari patet, nam instrumentum nunquam potest operari nisi causa principalis actu operetur. Ratio est, nam quilibet effectus habere debet causam principalem quæ distinguitur ab instrumentali: ergo hæc causa debet immediate influere in effectum et illum producere. Si enim non concurrit immediate ad ejus productionem: ergo solum concurret mediate per effectum a se productum; at talis effectus non potest esse instrumentum ex eo solum quod accepit virtutem producendi ab alio ut supra ostendimus, sic enim omnes res essent instrumenta Dei, et filius patris etc.: ergo erit causa

principalis. At si non concurreret ad effectum productum ab instrumento, non esset causa illius effectus, siquidem non constituitur causa efficiens in actu nisi per actionem ut supra ostendimus. Confirmatur. Nam si causa principalis non debet actu concurrere ad effectum instrumenti: ergo instrumentum æque bene producet effectum quamvis causa principalis sit corrupta. At si esset corrupta, non esset causa, cum id quod nihil est, nihil causet effective. Ergo tunc esset effectus actu, sine causa principali actu, cum tamen impossibile sit aliquid incipere esse actu, si causa non existat actu. Denique addidi causam instrumentalem complere potentiam ad eos effectus quos causa principalis ex natura sua determinat, ut indicarem effectum revocandum esse in causam principalem cui deservit instrumentalis, et ideo effectus non est proportionatus instrumento, sed causæ principali, ac proinde ut recte div. Thomas 1. p. qu. 4. art. 2., qu. 14. art. 4. ad 3. et 1. 2æ. qu. 83. art. 2. ad 2. non est necesse ut instrumentum æquet perfectum effectum.

Objicies: instrumentum non concurrit eadem actione cum causa principali, nec diversa: ergo nulla. Deinde potentia motiva motus non eget actuali concursu ullius causæ. Similiter semina animalium et arborum, ova etc. solo concursu generali producunt effectum, et tamen sunt instrumenta: ergo. Respondeo. Eadem actione concurrere causam principalem et instrumentalem; tum quia si diversa actione produceret et instrumentum et causa principalis, essent causæ totales ut qu. 3. in simili probavimus; tum quia cum Deus ut causa principalis assumit aliquod instrumentum eadem actione concurrit qua instrumentum: ergo similiter et causa creata eadem actione concurrit qua instrumentum. Antecedens patet. Nam Deus ut causa universalis eadem actione concurrit cum causis secundis: ergo a fortiori etc. Verum est, quando cessat actio instrumenti et tamen causa principalis conservat effectum ut accidit in effectibus sacramentorum, per aliam actionem conservari diversam ab ea qua primo productus est effectus ut supra diximus. Si vero potentia motiva, auditiva etc. ex natura rei distinguitur ab anima, subordinatur actuali concursui animæ ut in simili de intellectione ostendemus lib. De anima. At si sola ratione distinguitur, tunc non proprie dicuntur instrumenta manus, oculi etc., sed solum quia non possunt operari nisi ut sunt pars alterius, sicut instrumenta non possunt per se operari.

Denique semen animalium est causa instrumentalis formæ substantialis, est autem instrumentum fæminæ potius quam maris, etiam semen maris, quia ejus concursui principali subordinatur. Semen arborum est causa instrumentalis Dei ut causæ partialis. Nam si esset causa principalis arboris semen, esset causa æquivoca, et ita perfectior effectu; vicissim arbor producens semen esset causa æquivoca et perfectior semine. Eodem modo ova sunt causa instrumentalis Dei ut auctoris naturæ.

Circa causam artificialem certum est, causam principalem artificialem supra naturam solum addere artem in ipsa existentem, qua ejus virtus principalis gubernatur in operando. Unde non potest esse causa principalis artificialis nisi cognoscat, ac proinde per cognitionem gubernantem virtutem agendi quæ est ars actualis, constituitur causa principalis artificialis, quamvis ars ipsa non realiter producendo, sed tantum dirigendo concurrat ad opus artificiale. Causa vero instrumentalis artificialis juxta sententiam Scoti 4. dist. 1. qu. 5., Mayronis dist. 6. qu. 2., Durandus 2. dist. 1. qu. 4. non concurrit effective ad opus nec habet vim agendi, ubi loquuntur de instrumento artificiali, nam alias Durandus 4. dist. 1. qu. 4. concedit sacramenta effective producere gratiam. Contra vero div. Thomas omnia instrumenta vult debere habere vim effectivam, et propriam actionem præviam per quam disponatur subjectum ad actionem principalis agentis; ita docet 1. p. qu. 45. art. 5., 2. 2æ. qu. 61. art. 1. ut videre est apud Suarez tom. 1. disp. 31. sect. 8. Ego vero existimo de ratione instrumenti in communi non esse ut habeat præviam actionem ut recte ostendit Suarez, tamen instrumenta fere omnia debere habere aliquam vim activam, sine qua non posset esse instrumentum. Ita Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 2. art. 3. instrumenta ajunt influere active in effectum, et latius Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 6. sect. 6. et citat variis locis div. Thomam.

Et quidem aliqua instrumenta artificum, sunt revera causæ principales respectu effectus artificiosi, quomodo ignis est causa expulsionis pilæ ex fistula, pondera in horologio sunt causæ trahentes rotas etc. Unde hæc solum dicuntur instrumenta artificis quia subduntur concursui directivo illius quo dirigit v. gr. globum ad scopum, quamvis non subdantur concursui effectivo, quia motum globi non producit artifex, sed solum applicat activa passivis. Eodem modo malleus per duritiem si propria gravitate deorsum

feratur rumpit saxa etc., quæ ruptura fit non per motum, sed in ipso contactu quando jam cessavit motus, ut recte Mayronis notavit. Sunt alia instrumenta quæ non sunt quidem causæ principales, concurrunt tamen per virtutem activam quam habent ad opus artis, ita ut subordinentur actuali concursui effectivo agentis in operando, quomodo penicillus ad pingendum concurrit, et sæpe etiam securis ad scindendum, cum scilicet homo ipse producit motum localem et ubi in securi per quem sit in loco ubi erat lignum scindendum, ac proinde propter impenetrabilitatem excluditur lignum ab eo loco etc. Verum tamen est, non ut agenti artificiali sed ut naturali subordinatur effectivo concursui agentis, operatio instrumenti, solumque ut artificiose directum subordinatur artifici. Idem est de instrumentis musicis quæ vim habent ad sonos producendos, etiamsi sine ulla arte pulsentur. Dixi *fere omnia,* sunt enim quædam instrumenta artificum quæ solum sunt dispositiones per quas juvatur operatio artificis, ipsa tamen nihil agunt, ut trochlea in elevatione ponderum etc. Præter hæc autem quæ proprie instrumenta dicuntur, sunt alia veluti conditiones sine quibus non producerentur tales effectus, ut in instrumentis musicis figura talis.

Et ex his constat cur instrumentum non sit genus causæ diversum ab his quatuor vulgatis (quamvis Plato teste Simplicio 2. Phys. com. 25., Bessarione lib. 2. Contra cal. Plat. cap. 5. posuerit instrumentum genus causæ distinctum). Revera enim instrumenta operativa sunt causæ effectivæ, licet non principales, et habent virtutem activam per quam constituitur causa efficiens ut recte Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 2. art. 3., ubi addunt, solam causam efficientem habere proprie instrumenta. Nam dispositiones causæ materialis ad ulteriorem effectum recipiendum, ut diaphaneitas respectu luminis, non sunt instrumenta, sed conditiones materialis causæ, ac proinde ad illam revocantur ut diximus. Instrumenta vero non operativa, sed solum juvantia ad opus artificis, revocantur ad genus causæ efficientis sicut ideæ, quia deserviunt causæ efficienti, et subordinantur illi ad suos effectus producendos. Ultimo in hac quæstione addendum est, causam instrumentalem dividi in conjunctam et separatam. Div. Thomas 3. p. qu. 62. art. 5. illud vocat conjunctum quod copulatum est agenti per inhæsionem vel alio modo naturali, ut manus homini; separatum vero quod agenti non est naturaliter conjunctum. Sotus

vero 2. Phys. qu. 3. instrumentum conjunctum vocat quod non agit nisi ut conjunctum actioni principalis agentis; separatum vero quod agit nihil agente causa principali. Sed verior est expositio div. Thomæ.

QUAESTIO SEPTIMA.

Quod sit principium producendi substantiam in rebus naturalibus, seu an substantia immediate producat substantiam.

De hac re latissime disputant ex recentioribus Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 5., Pererius lib. 8. a cap. 11., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 18. Certum igitur est ex dictis, agentia naturalia aliquid efficere. Verum cum in rebus naturalibus præter materiam et formam reperiantur etiam accidentia, controversia est, quod ex his sit principium actionis quæ tribuitur supposito.

Prima igitur sententia est, principium productivum substantiæ non esse formam substantialem sed accidentalem, ita scilicet ut immediatum principium operandi sit aliqua forma accidentalis, non vero substantia. Verum auctores hujus sententiæ in duas sectas sunt distracti. Aliqui enim ut Pererius citatus cap. 13., Mayronis 4. dist. 12. qu. 3. et alii apud Soncinatem 7. Metaph. qu. 7. putant, in generatione substantiali nihil agere substantiam, sed accidentia vi propria producere substantiam. Pererius hoc ex sola refutatione aliarum sententiarum probat, fundamentum tamen esse potest: nam solus calor producere potest formam ignis ut patet in ferro candente, et lucis reflexione in vitro etc. Imo ait Fonseca species consecratæ vini aquam infusam in vinum convertunt: ergo sola forma accidentalis producere potest substantiam: ergo cum natura nihil frustra agat, non dedit vim substantiæ producendi substantiam, cum ad id accidentia sufficiant. Confirmatur. Nam si accidentia non producunt substantiam, nulla est ratio cur non possit lignum igniri nisi prius calefiat. Et huic sententiæ favet Aristoteles. Nam 1. De gener. cap. 4. text. 50. docet, actionem solum esse inter contraria et ideo simile non agere in simile; at formæ substantiales nil habent contrarium: ergo nil agunt. Et lib. De sensu cap. 4. ait, ignem non agere ut ignis est, sed ut calidus.

Alii vero communiter ajunt principium agendi remotum esse formam substantialem, proximum accidentia, et ita substantiam

non agere immediate, sed sola accidentia, quæ in virtute substantiæ producunt substantiam. Ita div. Thomas 1. p. qu. 77. art. 1. et qu. 115. art. 1. ad 5., 3. p. qu. 77. art. 3., Hervæus Quodlib. 3. qu. 12., Soncinas 7. Metaph. qu. 7. et 29., Sotus hic qu. 4. concl. 3. et quos citat, Suarez disp. 18. Metaph. sect. 2. n. 9. et ex professo n. 13., Cajetanus 1. p. qu. 53. art. 3., Paludanus, Richardus, Argentina, Major, et citati a Fonseca et Conimbricensibus.

Probat Fonseca sect. 3. primo. Nam si forma substantialis immediate producit substantiam et non potius accidentalis: ergo cum agens et patiens debeant esse simul et indistantia, sequitur solem non producere mineralia, nec etiam animalia genita ex putri materia, nam sola virtus accidentalis solis est præsens istis, non vero ejus substantia. Similiter elementa in resolutione mixti generantur etiamsi nullum sit elementum quod generet. Secundo. Sequitur ait Fonseca, perfecta animalia quæ ex mare et fæmina generantur, nullam habere causam principalem. Neque enim produci possunt a forma maris quæ jam forte corrupta est; nec a forma fæminæ, quia hæc solum passive concurrit ad generationem; semen autem non potest esse causa principalis, quia est imperfectior vivente, cum vivens sit causa æquivoca respectu illius. Eadem ratione generatio plantarum ex semine, animalium ex ovo fieret sine causa principali, cum propter dictam causam semen et ovum sint imperfectiora illis viventibus. Tertio. Actiones quibus ita aliquid gignitur ut simul aliud corrumpatur, sunt inter contraria ut probat Fonseca ex 1. Phys. text. 47., 5. Phys. text. 10. etc. Sed actiones quibus generatur substantia sunt tales: ergo inter contraria: ergo inter accidentia quæ sola habent contraria. Quarto. Nulla substantia ait Fonseca est activa nisi per aliquam potentiam activam; at potentiæ activæ in creatis sunt accidentia: ergo. Minor probatur. Nam in rebus creatis sunt multæ potentiæ activæ, cum tamen sit una numero substantia et non plures. At si potentiæ activæ essent substantiæ, non minus multiplicarentur numero substantiæ quam potentiæ activæ. Ex quo sequitur ait, nullam substantiam immediate attingere productionem substantiæ, sed per qualitates accidentales. Confirmatur. Nam agens naturale non resistit nisi per virtutes accidentales: ergo nec producit nisi per accidentia. Antecedens patet. Nam si resistit per virtutem substantialem: ergo resistit producendo aliquid substantiale, quod assignari

non potest. Confirmatur secundo. Nam si accidens non posset producere substantiam, maxime ideo quia est imperfectior substantia; at hoc non obstat, nam et semen est imperfectius animali et tamen continetur animal in semine ut virtute activa ex Aristotele 3. Metaph. text. 3., 7 Metaph. text. 31., 2. De anima text. 11. Et his fere argumentis impugnat Pererius supra cap. 11. opinionem Scoti. Quid autem sit producere virtute substantiæ, infra dicetur.

Secunda sententia est huic opposita dicentium formam substantialem debere immediate produci a substantia, nec posse solum accidens esse immediate productivum ullius substantiæ, licet sit principium productivum alterius accidentis. Et ita volunt potentiam causarum ad producendam substantiam esse ipsam substantiam realiter. Ita docet Scotus 1. dist. 37. qu. una, 4. dist. 12. qu. 3., Durandus ibi qu. 2. et 2. dist. 1. qu. 4., Occam 2. qu. 23., Mayronis 4. dist. 12. qu. 13., Pavesius disp. 3. Metaph. cap. 22., Trombetta 12. Metaph. qu. 6. In hac quæstione oportet prius certa ab incertis separare.

Primo igitur certum est, causam efficientem ut in esse causæ actualiter causantis constituit actio ut qu. 1. diximus, ita in esse potentis causare constitui a potentia per quam apta est producere effectum. Hæc autem potentia productiva sive sit reipsa identificata substantiæ, sive ab illa ex natura rei distincta, semper est ratio accidentalis ut diximus agentes de potentia materiæ, et de relationibus transcendentalibus in Logica. Quamvis enim potentia identificata substantiæ sit de essentia illius entitatis ut est a parte rei, tamen non est de essentia illius ut substantia est, vel talis substantia, sed extra essentiam illius. Et hoc solum probant argumenta Zumel 1. p. qu. 54. art. 3. quibus ostendit nullam substantiam agere per suam essentiam formaliter, sed per qualitatem, scilicet potentiam operativam, quamvis non probent id ad quod ipse adfert, scilicet omnem potentiam ex natura rei distingui ab essentia. Hoc tamen licet certum sit, non tamen solvit præsentem difficultatem, quæ in eo versatur: an substantia habeat potentias sibi identificatas per quas immediate concurrat ad producendam substantiam, an potius per sola accidentia producta in passo attingat immediate productionem substantiæ.

Certum est secundo, formas substantiales produci per veram actionem, distinctam ab ea actione per quam accidentia sunt pro-

ducta, quod etsi neget Fonseca qu. 5. sect. 5. ad 3. et sect. 4. ad 2. et cap. 13. qu. 9. sect. 5. ad 2. ubi in instanti quo generatur forma, ait agens non agere, ostendemus tamen in lib. De gener. fusius generationem esse actionem distinctam ab alteratione. Ratio est, nam ut supra ostendi ubi sunt termini realiter distincti, ibi est actio realiter distincta. Deinde potest quodlibet ex accidentibus quæ sunt dispositiones ad formam produci, non producta forma: ergo a qualibet illarum actionum distincta est productio substantiæ: ergo et ab omnibus actionibus simul, nisi dicas actionibus realiter distinctis eam identificari. Quod vero productio hæc sit vera actio, eodem modo probatur, quo mox ostendemus productionem passionum esse veram actionem. Quærimus ergo in præsenti, an hæc actio per quam producitur substantia immediate sit ab ipsa substantia.

Certum est tertio, ipsam substantiam habere vim operandi sibi identificatam, per quam producit immediate varios effectus, quod probatur primo. Certum est experientia, aquam revocare se ad frigus remoto contrario. At certum est productionem illius frigoris connaturalis non fieri ab aliqua potentia distincta ab aqua, ut ipse Fonseca fatetur 1. Metaph. cap. 7. qu. 3. sect. 5. quia inquit hæc potentia non esset alia a frigore quod relictum est in aqua calida. Illud autem non potest seipsam intendere. Ergo per potentiam sibi identificatam producit aqua illud frigus. Deinde quodlibet subjectum producit suas passiones ex div. Thoma 1. p. qu. 77. art. 7. Respondet Fonseca illo 1. Metaph. et 5. Metaph. cap. 2. qu. 6. sect. 5. ad 3. et Zumel supra et Quodlib. qu. 3. De motu, has non esse proprie actiones, sed emanationes. Unde primas qualitates ab elementis, passiones a subjecto fluere et emanere, non vero produci proprie, cui nescio quid simile habet Molina 1. p. qu. 56. art. 1. disp. 1. in fine. At vero productio proprie sumpta nunquam fit a substantia nisi mediis accidentibus. — Contra est tamen. Nam in primis cum primæ qualitates ex natura rei distinguantur ab elementis, et multæ passiones a subjectis, certum est non posse eadem actione produci passiones et subjectum (maxime si dicatur actio re idem esse cum termino), quia ut supra ostendimus quoties termini producti sunt diversi, toties eorum productiones sunt diversæ. Deinde certum est hanc emanationem esse verissimam actionem, nam formaliter est communicatio esse rei: ergo actio. Et præterea quia ubicunque est novus terminus pro-

ductus, ibi est nova actio per quam formaliter producitur; sed quando aliquid emanat incipit esse novus effectus, qui ante non fuit. Si ergo forma aquæ producit frigus, est vera causa efficiens illius; neque enim communicat illi esse solum in genere causæ materialis, cum quantitas sit subjectum frigoris, non forma; neç in genere causæ formalis, cum forma aquæ non informet frigus. Ergo in genere causæ efficientis, ac proinde per actionem quæ est causalitas efficientis. Et cum non possit esse causa efficiens sine potentia productiva, habebit potentiam sibi identificatam.

Probatur secundo. Aristoteles 2. Phys. text. 20. docet, formam esse naturam quia est principium activum. Non autem est principium activum per aliquid a se distinctum, quia hoc modo et quantitas et materia sunt principium activum per accidentia quæ subjectant: ergo debet admitti aliqua virtus substantiæ identificata.

Tertio. Etiamsi admittamus potentias vitales ex natura rei distingui ab anima, ut intellectum etc. adhuc tamen admittendum est ad actus vitales non solas potentias, sed et animam immediate concurrere: ergo ad illos producendos est in anima vis illi identificata per quam anima est potens hos actus producere, siquidem omne quod producit aliquid, potest illud producere. Id autem quod potest producere, vel est potentia, vel habens potentiam: ac proinde, cum substantia animæ producat hos actus erit potentia vel habens potentiam. Antecedens docet ipse Fonseca 5: Metaph. cap. 4. qu. 2. sect. 3. et probat ex Aristotele 2. De anima 36. et 37., estque div. Thomæ 1. p. qu. 76. art. 3., qu. 112. art. 1. ad 3., 2. Contra gent. cap. 58., Toleti 2. De anima qu. 7. in 3. prob. 2. concl. Est porro manifeste div. Bernardi lib. 5. De consid. ubi ut anima inquit videt oculis, auribus audit etc., sic Deus diversa in diversis spiritibus operatur, in aliis amantem se exhibet, in aliis ignoscentem etc. Et probatur ratione. Tum quia si anima non concurrit immediate ad actus vitales, sed solæ potentiæ, nulla potest dari ratio cur si sit species v. gr. in potentia auditiva et organo bene disposito, homo non audiat, si lectioni vel contemplationi vehementer attendat. Nam si sola potentia auditiva immediate concurrit ad auditionem, nullo modo impediri potest per actionem alterius potentiæ auditus, ne operetur, cum non concurrat auditus ad productionem actuum alterius potentiæ, solum ergo ideo non audit, quia necessarius est concursus actualis animæ ad auditionem eliciendam, quam non præbet anima cum maxime attendit alicui

objecto per aliam potentiam. Similiter nulla alia causa dari potest, cur anima non possit simul per omnes potentias perfectissime operari, sed actus unius potentiæ impediat actum alterius, quam quia eadem anima concurrere debet cum diversis potentiis ad actus producendos, et ita quo magis dividitur ille concursus ad plures actus, eo minus perfecte concurrit cum qualibet potentia. Unde si quælibet potentia se sola producere posset suum actum, sicut calor calorem, siccitas siccitatem, æque perfecte posset operari una potentia altera simul operante, ac si altera nihil operaretur, sicut calor ignis æque perfecte agit ac si siccitas non ageret, et hoc solum propterea quod ad actiones horum accidentium non concurrat immediate ignis, sed ipsa accidentia sint principia completa suorum actuum. Ergo similiter si solæ potentiæ vitales immediate producunt suos actus, et anima solum est causa materialis illarum, unius operatio non impediet alteram ne æque perfecte operetur. Tum quia si sola potentia immediate operatur: ergo si intellectus separetur ab anima (juxta eorum sententiam qui eum distinguunt ex natura rei ab anima) et ponatur in lapide, revera lapis intelliget non minus quam homo. Tum denique, quia nisi immediatum concursum animæ ad tales actus admittamus, non potest explicari quomodo cognitio determinet appetitum ad operandum, nisi dicamus effective producere actum appetitus. At vero si anima operetur facile intelligitur eo ipso quod per unam potentiam cognoscit, per aliam scilicet appetitivam, motivam etc. ad operandum concurrere. Similiter non potest dari ratio cur dolor auferat facultatem exercendi speculationes et actus aliarum potentiarum, quod tamen fieri et experientia constat, et docet div. Thomas 1. 2-æ qu. 37. art. 1., nisi dicamus attentionem animi (quæ non est aliud quam immediatus animæ concursus) cum vehementer trahatur ad operationem unius potentiæ, retrahi ab aliis, et quia dolor sensibilis maxime ad se trahit intentionem animæ; ideo etc.

Sed si quis defenderet animam non concurrere immediate, sed solum subjectare potentias immediate operativas respondere posset: causam cur una potentia intense operante alia non operetur, aliam esse. Sicut enim longa et attenta contemplatio hominis intempestivi impedit actum potentiæ nutritivæ, ne scilicet calor naturalis cibum digerat, eo quod species calidi ad caput avocentur, quo calore destituti cibi in stomacho crudescunt et putrefiunt, unde postea caput oppletur et læditur: ita una potentia operante cum attentione

avocantur species ab organo alterius potentiæ. Cum enim appetitus delectatur operatione unius sensus, v. gr. visus, avocat spiritus ab aliis sensibus, qui cum finiti sint, per multa organa distributi minuuntur, et quo plus ad unum avocatur, eo minus in alio remanet. Unde licet in tali casu species imprimantur aliis sensibus, defectu tamen spirituum facile corrumpuntur, nec ad sensus internos transire possunt; unde in anima separata et angelo, æque perfecte operatur una potentia, quamvis alia simul operetur.

Contra tamen est. Nam licet hoc modo possit explicari causa prædictarum experientiarum, cum paulatim incipit remitti, et sensim desinit operatio aliarum potentiarum, una incipiente operari intensissime. Quando tamen de repente incipiente vehementi operatione alicujus potentiæ cessant operationes aliarum potentiarum, ut cum subito et vehementi dolore afficimur, et statim cessant operationes aliarum potentiarum, dici non potest ob defectum spirituum fieri talem cessationem; spiritus enim per motum localem sensim transferuntur ab organo unius potentiæ, ad organum alterius. Deinde etiamsi vehemens sit actus unius potentiæ, tamen si multum conemur possumus simul elicere operationem alterius potentiæ quam non eliciebamus sine tanto conatu, et tamen tunc non major est spirituum copia in organo sensus qui ante non operabatur: ergo non tam propter defectum spirituum, quam propter defectum attentionis animæ cessant eæ operationes. Confirmatur denique. Nam forma substantialis præstantior est formis accidentalibus, et tamen accidentia sunt seipsis potentia operativa, v. gr. calor est productivus caloris seipso, similiter albedo seipsa est productiva specierum. Ergo. His positis jam videndum est, an substantia debeat immediate concurrere ad productionem substantiæ per aliquam potentiam sibi identificatam, an vero sola accidentia distincta a substantia producant substantiam.

Dico primo. Ad productionem substantiæ immediate debere concurrere substantiam tanquam causam principalem et proximam, nec posse accidentia producere substantiam ullo modo, nisi actu concurrente alia causa principali substantiali ad talem productionem. Est multorum apud Suarez 3. p. tom. 3. disp. 57. sect. 1. Probatur argumento Scoti, Occami et Mayronis. Nam implicat ut causa principalis sit imperfectior suo effectu ut qu. 5. ostendimus. Sed si ad productionem substantiæ non concurrit immediate substantia, sed tantum accidentia, sequitur accidentia esse causas

principales productivas substantiæ, quæ imperfectiora sunt substantia producta: ergo. Minoris consecutio probatur. Tum quia causa principalis distincta ab instrumentali est illa quæ cum solo concursu Dei generali producit suum effectum, cum instrumentalis semper egeat concursu effectivo causæ principalis cui subordinatur, eo quod ipsius potentia sit incompleta, et præcipua vis agendi sit in agente principali. Tum quia omnis effectus debet habere causam principalem a qua producitur ut qu. præcedenti ostendimus. Ergo cum producitur substantia, debet esse causa principalis talis effectus. Hæc autem causa non erit substantia, sed accidens, si substantia non concurrat immediate ad effectum: ergo. Minor probatur. Nam impossibile est ut sit causa efficiens actu, quod actu nihil agit. Sed si substantia non producit immediate substantiam, revera ipsa substantia nihil agit, sed solum accidens cum generali Dei concursu, ac proinde non erit causa principalis substantia, sed solum accidens. Denique idem probatur. Nam ut recte Conimbricenses citati art. 2. forma substantialis active concurrit ad productionem formæ substantialis, quod docet etiam Aristoteles 2. Phys. text. 71., 2. De anima text. 36. etc. At nisi immediate eliciat actionem per quam producitur substantia, vere nihil agit, nec efficit formam, sicut nihil agit ignis qui produxit alium ignem, cum hic producit tertium ignem similem sibi.

Respondent thomistæ: id quod est imperfectius non posse producere effectum perfectiorem virtute propria, sed bene virtute alterius; et ita accidens virtute substantiæ producere substantiam. Contra. Nam quatuor modis dici potest imperfectius producere aliquid perfectius virtute alterius perfectioris.

Primo, quia juvatur a perfectiori, illo simul concurrente ad eum effectum, quomodo sacramenta virtute Dei producunt gratiam. Isto autem modo accidens agere non potest virtute substantiæ, si substantia non habeat vim per quam immediate concurrat simul cum accidente ad producendum effectum perfectiorem accidente. Nec posset accidens in absentia substantiæ producere formam substantialem, quæ omnia negant thomistæ, et si fatentur, nobiscum sentiunt.

Secundo potest aliquid imperfectius agere virtute perfectioris, quia accipit virtutem ad operandum a perfectiore quomodo dici potest formam virtute ignis calefacere, i. e. calore ab igne accepto, et homines producunt actus supernaturales acceptis habitibus a

Deo. Et hoc modo accidens non potest producere aliquid perfectius se, quia nullam recipit virtutem a substantia ut probat Pererius illo cap. 12. Nam si quam talem virtutem reciperet, illa esset accidens, ac proinde non ageret nisi virtute substantiæ, et ita recipiendo aliam virtutem accidentalem, et sic in infinitum; ac proinde sicut primum accidens imperfectius substantia non poterat illam producere, nec virtus ista accidentalis addita accidenti poterit.

Tertio potest dici aliquid agere virtute alterius, quia regitur et gubernatur ab alio in agendo, quomodo ignis artificiose applicatus multos effectus producit quos alias non produceret. Et si hoc modo accidentia agant virtute substantiæ, id non sufficit ut possint producere aliquid perfectius se, ut patet inductione in omnibus quæ hoc modo gubernata agunt. Neque enim producunt nisi effectum sibi proportionatum et vel minus perfectum quam sint ipsæ causæ, vel saltem non perfectiorem. Et ratio est, nam hæc gubernatio ut plurimum consistit in artificiosa applicatione unius vel plurium agentium. Applicatio autem non confert vim agendi, sed tantum est conditio sine qua non. Deinde explicari non potest in quo consistat hæc gubernatio qua gubernatur accidens ad substantiam producendam, et num sit accidens vel substantia. Dices in eo consistere ut accidentia producantur in tanta vel tanta intensione, sic inter se temperata, tanta raritate et densitate etc. Contra est. Nam adhuc hæc accidentia non possunt aliquid se perfectius producere, quia etiam taliter temperata accidentia sunt imperfectiora substantiis. Deinde licet essent sine subjecto ullo accidentia, adhuc producerent eundem effectum cum semper sint ejusdem virtutis et necessario agant, ac proinde sine ulla gubernatione substantiæ.

Quarto denique intelligi potest imperfectius producere perfectius virtute perfectioris, eo ipso quod sit virtus qua mediante agit perfectius, et ita Conimbricenses art. 4. concl. 4., Cajetanus 1. p. qu. 77. art. 1. et qu. 53. art. 3., Soncinas 7. Metaph. qu. 29. ad 3., Fonseca sect. 5. ad 1. ajunt accidens producere substantiam in virtute substantiæ i. e. ut est virtus substantiæ sine actuali concursu ipsius substantiæ. — Contra tamen est primo, quia hoc modo calorem esse virtutem substantiæ, nullam addit perfectionem supra calorem secundum suam naturam et essentiam, siquidem calor ex propria et specifica sua ratione habet quod sit virtus substantiæ. Sed calor secundum suam propriam perfectionem specificam et essentialem non potest producere substantiam, siquidem est imper-

fectior substantia. Ergo etc. Præterea si accidens producit substantiam per virtutem quæ est ipsum accidens: ergo virtute propria producit ait Mayronis, nam nihil est rei magis proprium quam idem sibi ipsi: ergo si calor est ipsa virtus, et per hanc virtutem quæ est omnino extra essentiam substantiæ producit substantiam, propria virtute producit substantiam. Ad hæc quando hoc modo producit accidens substantiam, non habet aliam virtutem quam propriam: ergo producit per virtutem propriam, siquidem nihil aliud v. gr. calor ab igne recipit nisi esse caloris. Deinde si accidens propria virtute efficeret substantiam, non alio modo efficeret quam jam. Nam ex eo solum quod tale accidens sit effectus proprius alicujus substantiæ, non recte infertur quod agat tanquam instrumentum illius et virtute illius, hoc enim modo omnes creaturæ essent instrumentum Dei, et una substantia producta ab alia substantia ageret virtute producentis. At calor v. gr. productus in stuppa, qui ignit, nullo alio modo respicit ignem nisi tanquam effectus causam. Ergo licet calor qui est in igne sit virtus et qualitas activa ignis, calor tamen qui est in stuppa revera non est virtus ignis, sed effectus duntaxat illius. Ad hæc fatentur adversarii, accidentia etiamsi substantia cujus sunt virtus non existat, posse producere substantiam; tunc autem evidens est (si Deus non dicatur supplere vicem substantiæ) accidens esse causam principalem, cum nulla alia dari possit, omnis autem effectus debeat habere causam principalem a qua actu producatur.

Dico secundo. Accidentia producunt alia accidentia sibi similia tanquam causæ principales et virtute propria, et ad producendas etiam formas substantiales sunt instrumenta substantiarum, immediate concurrentia ad talem productionem.

Primum patet iisdem argumentis quibus prima conclusio probata est. Nam accidentia etiam si non sint in aliqua substantia ut sunt accidentia specierum sacramentalium possunt producere alia accidentia sibi similia, ut si calefiant species producent calorem, gravitas motum deorsum etc. Tunc autem agunt tanquam causæ principales, nam nulla alia est causa principalis quæ agat. Dices: tunc Deum supplere defectum substantiæ. Contra est, nam nullum est signum ad colligendum in calore non esse vim sufficientem producendi calorem: ergo nec necessitas concursus Dei specialis. Unde div. Thomas 1. p. qu. 115. art. 1. ad 5. ubi accidens ad productionem substantiæ concurrere ait in virtute sub-

stantiæ; accidentia vero producere virtute propria. Idem docet Durandus 4. dist. 12. qu. 2., Scotus qu. 3. etc. et Theologi 3. p. qu. 37. agentes de operatione accidentium supernaturalium eodem modo ajunt operari illa ac si in subjecto essent. Confirmatur conclusio. Nam calor productus a sole calefacit licet jam sol non sit in nostro hemisphærio, ac proinde actu non operetur hic. Deinde calor productus non excedit virtutem et perfectionem caloris producentis: ergo potest virtute propria calorem producere. Nec valet quod Conimbricenses, Fonseca et alii dicunt, hæc accidentia produci ab accidentibus virtute substantiæ, quia inquiunt accidens sicut non est a se, sed a substantia, ita ejus vis non tam est ejus quam substantiæ. Nam eadem ratione dicendum esset omnes creaturas agere ut instrumenta Dei; imo etiam omnes effectus causæ secundæ. Confirmatur 2. Si una res habeat plures qualitates ut calorem, siccitatem, colores etc. potest per omnes simul agere, et actio unius non impedit actionem alterius. At si esset unum principium principale agens, impediretur actio una per aliam ut in vitalibus fieri diximus: ergo.

Secundum etiam patet. Nam experientia indicat accidentia concurrere ad productionem substantialis formæ, nec superat virtutem illius producere substantiam actu concurrente causa principali ad ejus productionem, et supplente per suum concursum quod deest accidenti: ergo non est ratio cur negemus accidentia producere substantiam, præsertim cum omnes fateantur accidentia esse instrumenta substantiæ, et ostendimus non esse instrumenta ad producenda alia accidentia: ergo ad producendas substantias. Unde Aristoteles 2. De anima text. 41. ait accidentia esse concausæ productionis formæ, et text. 57. calorem ait esse instrumentum mutationis. Idem habet 2. De gener. animal. cap. 4. et 2. De gener. text. 54. accidentia ait generare instrumentaliter. Et si hoc admittamus facile erit solvere argumenta allata. Ex quo etiam constat quod si ponatur ignis spoliatus omni qualitate et lignum similiter omni qualitate spoliatum, ignem non acturum in lignum. Ratio est quia deest illi virtus instrumentalis activa, necessaria ad producendam formam ignis, sicut nec intellectus ageret sine specie etc. Et hoc probant argumenta Conimbricensium loco cit. art. 2. concl. 2. ubi nullam substantiam ajunt posse producere substantiam sine ope formæ accidentariæ. Unde assignatur ratio a priori cur substantia tam varia habeat accidentia, quia scilicet ad diver-

sos effectus producendos, diversa accidentia sunt necessaria, et sæpe unum accidens per se non est instrumentum completum sed duo simul, quomodo calor et siccitas simul sunt instrumentum perfectum productionis formæ substantialis ignis.

Ad fundamentum Pererii respondetur. Propter hoc argumentum et ea quæ ex Fonseca primo et secundo loco attulimus dicere quis potest, nullam formam substantialem produci ab agente naturali, sed a solo Deo et duntaxat unionem formæ cum materia produci a causis secundis, propter quam productionem potest dici causa secunda producere effectum ut terra herbam virentem et sicut homo dicitur producere hominem. Hanc autem unionem, licet sit modus substantialis, posse produci ab accidentibus, eo quod hic modus imperfectior sit ipsis accidentibus. Tamen probabilius est agentia naturalia posse producere formas ipsas substantiales, quia possibile est ut communicetur substantiis vis producendi formas substantiales, et ex alia parte magis naturaliter philosophamur et experientiis conformius si id concedamus, cum sicut ad præsentiam ignis sequitur calor, ita et ignis oriatur. Ergo probabilius est quod substantiæ possint producere formas substantiales. Confirmatur, nam formæ accidentales producunt sibi similes: ergo et substantiales poterunt. Nec pro hac re alia ratio firmior quæri debet, vel assignari potest. Unde concedi debet virtus productiva identificata substantiæ, sicut accidentia habent vim producendi alia accidentia sibi identificata. Atque ita si substantia debite sit applicata, immediate producit formam substantialem; quando vero abest causa secunda a qua producatur forma, ut in casibus allatis a Fonseca et Pererio tunc quid dicendum sit, mox dicemus.

Respondeo ergo eodem modo quo 1. Phys. disp. 3. qu. 3. dicto 2. ad 2., quod cum minus requiratur ad aliquid destruendum, quam ad producendum, siquidem ad corruptionem rei sufficit auferri aliquid necessarium ad ejus conservationem, cum tamen ad generationem non solum unum aliquid, sed omnia necessaria sint adhibenda: idcirco sæpe agentia naturalia destruunt aliquam formam substantialem eo quod corrumpunt aliquid necessarium ad ejus conservationem, quamvis non habeant vim producendi formam substantialem. Tunc autem Deus ut auctor naturæ supplet defectum virtutis causæ naturalis, ne detur materia sine forma. Nam ad divinam providentiam spectat ut pro fundamento naturæ permaneat materia quæ cum sine forma permanere non possit, ipse

debet defectum creaturæ supplere producendo formam quæ conservari possit sub illis dispositionibus quas habet materia, ut facit quando producit animam rationalem etc., formam cadaveris etc. Et eodem modo dicendum est quod cum ex putri materia generantur animalia ea a Deo ut causa principali produci, vel a cœlis ut volunt Conimbricenses 2. De cœlo 3. qu. 6. art. 2., quod an verum sit, pendet ex eo an cœlum licet sit inanimatum sit perfectius animalibus ex putri materia genitis.

Idem dico cum ex collisione duorum lapidum frigidorum ignis generatur; revera enim a lapide qui frigidus est nec calor qui est dispositio ad ignem, et consequenter nec ignis produci potest, atque ideo a causa universali produci debet ille ignis ut disp. 1. in Meteor qu. 2. diximus. Ferrum candens quomodo producat ignem alibi dicemus. Similiter ait Durandus 4. dist. 12. qu. 2. a Deo produci formam vini in aqua alterata a speciebus sacramentalibus. Per reflexionem autem quomodo calor et consequenter forma substantialis producatur qu. 4. diximus, nam immediate a sole vel ab alia causa universali producitur forma ignis. Ad confirmationem. Jam dicto 2. ostendimus cur non possit produci ignis ab igne sine calore. Ad 2. confirmationem. Certum est contrarietatem non esse rationem cur aliqua agant, nam albedo et nigredo sunt contraria et tamen non agunt; lumen vero nihil habet contrarium et tamen agit. Aristoteles ergo illo 1. De gener. solum docet non fieri actionem corruptivam alterius ut in 3. arg. Fonsecæ diximus, nisi inter ea quæ sunt contraria vel habent contraria, atque ideo non quodlibet disparatum potest agere in quodlibet disparatum. Et hoc verum est etiam in productione formæ substantialis; nunquam enim substantia agit in aliam substantiam nisi habeat accidentia contraria accidentibus passi, et ideo in actionibus rerum naturalium corruptivis universaliter verum est eas esse semper inter eas quæ habent accidentia contraria, ac proinde aliquo modo sunt contraria. Ille autem locus de sensu, nihil contra nos est ut consideranti patet. Ibi enim solum docet, elementa per se nullum saporem habere, sed aquam v. gr. accipere saporem a corpore per quod transit. Et concludit, ignem qua ignem, et terram qua terram nihil esse natum agere vel pati, supple: horum, scilicet saporum, hoc est ut præcise terra est et ignis nullum habent saporem, nec producere sapores in alio, nec ut talia sunt eos recipere. Et subdit: nec quidquam aliorum, i. e. nullam secun-

dam qualitatem ab unico elemento produci. Cum enim hæ oriantur ex contrariis qualitatibus, ait in iis solum reperiri quæ ex contrariis constant.

Ad argumenta Fonsecæ; ad primum. Jam ostendimus qu. 4. posse aliquid agere in distans. Quomodo autem per resolutionem mixti producatur elementum, existimo a Deo ut causa principali fieri hanc productionem. Sicut cum ex elementis fit mixtum, ipsæ qualitates elementorum illud non producunt, eo quod sint imperfectiores; nec a formis elementorum, cum et hæ sint imperfectiores, et propterea si non remanent in mixto, non existunt cum producitur forma mixti; quod autem non est, producere non potest. Nec est aliud mixtum a quo producatur, quia loquimur de mixto quod primo fit ex mutuo elementorum conflictu: Ergo a Deo tale mixtum producitur.

Ad secundum. In productione perfectorum animalium forma feminæ habet vim productivam alterius animæ;[1] unde ipsius forma est causa principalis producens, et semen maris instrumentaliter concurrit ad productionem formæ, licet forte sit causa principalis inadæquata unionis formæ cum materia. Semen autem esse causam instrumentalem animæ docet Aristoteles 2. De gener. anim. cap. 1., 1. De partib. cap. 8.

Falsum autem est quod in argumento assumebatur feminam solum passive concurrere ad generationem licet id doceat div. Thomas 3. p. qu. 32. art. 4., Cajetanus ibi, et 2. qu. 154. art. 14., Soncinas 8. Metaph. qu. 16., — potius enim concurrit tanquam causa principalis, quod a posteriori probatur. Tum quia ex equa et asino generatur mulus diversæ speciei ab illis; at si femina solum passive concurreret, nulla est ratio cur non generaretur asinus. Sicut enim ex semine herbæ eadem semper species herbæ nascitur in quamcunque terram projiciatur, quia terra passive solum concurrit, ita ex semine asini semper asinus generabitur. Quod vero femina principalius etiam concurrat patet, nam ex equa et asino generatur mulus, sed equo similior; ex asina et equo similior asino. Tum quia non est alia ratio cur si dæmon conservet in semine equi qualitates quas habent in utero, non produceretur animal, nisi quia deest virtus productiva feminæ. Nec ex eo quod mulus sit robustior asino, est perfectioris speciei, nam ex

[1] Innuit hoc Suarez disp. 18. sect. 2. n. 41. quod scilicet forma feminæ producat, sed non approbat nec reprobat.

alia parte caret potentia generativa quod signum est majoris imperfectionis, cum tamen etiam inter res unius speciei possit unum robustius esse altero.

Generatio plantarum ex semine qua ratione fiat non omnes conveniunt. Aliqui enim ajunt hæc semina esse viventia quædam, quod et Aristoteles sentire videtur 2. De gener. animal. cap. 1. Et ratio est, quia habent potentiam organisandi corpora et generandi: ergo est in iis potentia generativa vitalis; præterea habent partium heterogeneitatem: ergo animam quæ est actus corporis organici. Quod si Aristoteles citatus cap. 3. semen dicat esse animatum, potentia non actu intelligi debet eo modo quo explicat div. Thomas 1. p. qu. 118. art. 1. ad 4. quod scilicet licet sit animatum in actu primo non tamen exercet actum secundum i. e. operationes vitæ. Nec ex eo quod non semper augeatur et minuatur sequitur carere anima, nam forte nec ossa semper nutriuntur. Et præterea licet semen habeat animam, non tamen omnino perfectam secundum omnes suas virtutes, quia non est propter se, sed ordinatur ad actum generationis et ideo non mirum est si non nutriatur, sufficit si suo tempore exerceat actum vitalem organisandi corpus. Et juxta hanc sententiam dicendum est semina habere in se formas ejusdem speciei cum plantis licet non in tam perfectu statu, et ita esse causas univocas plantarum et plantas seminum. Si enim essent causæ æquivocæ non possent se mutuo producere. Alii vero ajunt a Deo produci formam plantarum ex semine. Utraque sententia probabilis est.

De iis quæ ex ovis gignuntur similiter diversa est auctorum sententia. Quidam ajunt ova habere animam vegetativam perfectiorem anima viventis ex ovo geniti, et ita ovum producere animal. Sed hoc falsum est. Tum quia animal producit ovum: ergo cum sit causa æquivoca ovi perfectior est ovo. Tum quia ex perfectioribus operibus colligitur major perfectio substantiæ. Tum denique quia in instanti quo producitur vivens ex ovo, corrumpitur ipsum ovum, ac proinde non potest quidquam generare. Alii ajunt ab animali incubante produci. Contra est, nam sæpe excluduntur animali non incubante ut in fornacibus Aegypti fieri diximus. Et ova struthionum solis calore excludi, cum ipsa avis non incubet docet Albertus lib. 23. De animalibus agens de struthione, quod etiam Job 39. innuit. — Respondeo ergo: Deum ut auctorem naturæ concurrere ad producenda animalia ex ovis genita, ut medio ovo

tanquam instrumento producatur animal, licet ovum ipsum præter causalitatem instrumentalem quam habet respectu formæ, sit causa principalis productionis unionis formæ cum materia, et ita non minus, imo majori ratione dici potest oviparum generare animal, quam homo hominem, nam semen hominis ne instrumentaliter quidem concurrit ad producendam animam, sed solam unionem producit. Nec indecens est Deum supplere imperfectionem causarum naturalium, imo id necessario dicendum est cum impossibile sit ut res imperfectior producat perfectiorem.

Dices: In instanti quo fit unio formæ genitæ corrumpitur forma seminis: ergo non producit unionem. Responderi potest cum Aristotele 3. De gener. cap. 1., 2. De gen. anim. cap. 3. et innuit 1. De gener. cap. 18. et 20. semen masculi tantum esse activum principium generationis, ita ut semen ipsum masculi non fiat pars viventis geniti nec patiatur organisationem sed eam peragat in materia a matre subministrata et tamen maneat integrum, sicque opere peracto extra uterum mittatur. Si tamen concedamus etiam ipsum semen organisari, ut fit in semine plantarum et ovis in quibus certum est ipsum semen etiam fieri partem rei productæ ut docet div. Thomas 3. p. qu. 32. ad 4. Unde Aristoteles 1. De gener. anim. cap. 18. et 20. ait in semine plantarum facultates maris et feminæ misceri, i. e. et materiam esse et vim effectivam, cum tamen in animalibus velit solam feminam dare materiam fetui. Si inquam hoc dicamus respondeo. In semine duplicem substantiam distinguendam, unam crassam et corpulentam quæ habet rationem materiæ et organisatur ac disponitur ad formam; alteram subtiliorem et tenuiorem quam medici vocant spiritum complantatum, quæ pars agit et organisat, et ita diversa est pars agens et patiens, nec idem in interitum suum tendit. Et has duplices partes admittit Aristoteles 2. De gener. anim cap. 3., div. Thomas 1. p. qu. 118. art 1. ad 2. Unde in instanti generationis adhuc durat spiritus ille complantatus, postea vero ut docet div. Thomas citatus ad 4. non fit pars viventis, sed paulatim evanescit. Nec hoc est inconveniens ait, quia hi spiritus erant instrumenta, quæ ubi proprium effectum sunt assecuta cessare possunt. Et ita constat qua ratione fieri possit ut semen sit causa principalis unionis formæ cum materia.

Ad tertium eodem modo respondendum est, quo ad confirmationem primæ sententiæ.

Ad quartum respondeo. Jam ostendimus dari potentias re ipsa identificatas substantiæ, per quas substantia constituitur in esse principii potentis producere substantiam. Unde falsum est substantiam non posse agere nisi per potentias distinctas a se, licet ut diximus si agat in aliud, habere debeat accidentia per quæ agat. Potentiæ autem identificatæ substantiæ in re ipsa non sunt aliud quam ipsa entitas substantiæ, licet si per intellectum in illa distinguamus prædicata essentialia, inter illa non sit potentia activa, sed potius sit ratio accidentalis. — Ad 1. confirmationem respondeo. In primis substantia resistit conservando in se sua accidentia, quibus corruptis necesse est corrumpi ipsam substantiam, ac proinde corruptis accidentibus jam amplius non potest resistere forma. Unde licet ad hoc ut una forma corrumpat aliam sufficiat si corrumpantur accidentia necessaria ad ejus conservationem, ad producendam tamen substantiam oportet dari potentiam productivam illius quæ non est aliquid distinctum a substantia. — Ad 2. confirmationem. Semen producit ut instrumentum animam animalium, et ita eorum animæ sunt in semine ut instrumento.

QUAESTIO OCTAVA.

De variis divisionibus causae efficientis; ubi etiam, an plures causae totales ejusdem rei dari possint, et an semel corruptum possit reproduci, nec non de causis per accidens.

Variæ sunt divisiones causæ efficientis quas late enumerat Toletus 2. Phys. qu. 7. et Sotus qu. 10. etc., nos præcipuas trademus. Omissis igitur divisionibus causæ in principalem et instrumentalem, in conservantem et primo producentem, de quibus supra, dico:

Primo dividitur causa efficiens in *totalem* et *partialem*. Totalis autem causa dupliciter dicitur. Primo quia se sola totam entitatem confert effectui ut Deus animæ rationali etc., et hoc modo solus Deus est causa totalis effectuum quos creat; secundo quia in suo genere totius effectus est causa principalis, quomodo ignis est causa totalis ignis producti, licet non se solo sed Deo etiam ut causa universali, et calore ut causa instrumentali concurrente producat. Causa vero partialis similiter dicitur quæ vel non confert effectui totam entitatem, vel certe non totaliter, quomodo si duo

ignes applicentur diversis partibus ligni, quilibet ignis est causa totalis caloris a se producti, totius vero caloris quilibet est causa partialis. Si vero plures trahant pondus quod nemo per se posset, vel quamvis per se posset quilibet trahere, majorem tamen conatum deberet adhibere quam adhibet cum plures simul trahunt, tunc quilibet totum trahit, non tamen totaliter.

Circa quam divisionem difficultas est, an possint naturaliter vel supernaturaliter dari plures causæ efficientes totales ejusdem numero effectus. Et quidem ut recte notant Pererius, Fonseca etc. citandi, certum est eundem effectum posse fieri a pluribus causis totalibus diversi generis. Nam ad hoc numero animal constituendum concurrit causa materialis totalis in suo genere, causa formalis etc. Ratio hujus est, quia licet hæ causæ in suis generibus sint totales et sufficientes quia in eo genere non requirunt aliam causam, tamen simpliciter sunt insufficientes quia postulant causas aliorum generum ut effectus producatur. Unde ut Suarez disp. 26. sect. 3. n. 6. ait, ideo dicuntur hæ causæ totales quia in suo genere adhibent totam causalitatem in eo ordine necessariam, ita ut quælibet habeat diversam causalitatem ab alia. Similiter idem effectus fieri potest a multis causis ejusdem generis, sed non ejusdem ordinis, quia scilicet una subordinatur alteri ut Deus et creatura in genere causæ efficientis producunt effectum, et idem est de instrumento et causa principali. Denique idem effectus fieri etiam potest a multis causis ejusdem generis et ordinis, sed partialibus ut recte Suarez sect. 4. n. 1., ut cum plures trahunt navim, plures lucernæ illuminant etc. Solum ergo controversia est, an a pluribus efficientibus ejusdem ordinis et totalibus fieri possit idem numero effectus. Et quia dupliciter fingere possumus unum effectum produci a pluribus hujusmodi causis totalibus, vel scilicet quia simul et eodem tempore producatur idem effectus a pluribus causis, vel quia postquam ab una causa jam productus est, ab alia diverso tempore iterum producitur, sive ante fuerit corrupta eadem res quatenus ex vi prioris agentis fuit producta, sive non. In utroque sensu explicabimus quæstionem.

Prima sententia est dicentium naturaliter posse eundem effectum a pluribus causis totalibus produci, saltem separatim seu diverso tempore, et ideo fatentur eundem effectum numero semel corruptum, posse naturaliter iterum produci. Ita videtur sentire Scotus 2. dist. 20. qu. 2. et 4. dist. 43. qu. 3., Richardus art. 3.

qu. 1. ad 6. ut citat Suarez 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 6. qui et ipse disp. 26. sect. 5. n. 25. concludit probabilius esse quod idem numero effectus possit a pluribus causis totalibus seorsim produci; item Gabriel 3. dist. 1. qu. 1. art. 3. dub. 3. et Toletus 2. De gener. qu. 13. concl. 2. Probatur *primo.* Nam materia est potens ad recipiendam quamcunque numero formam, etiam eam quæ semel corrupta est, vel quæ in alia parte materiæ est: ergo cum omni potentiæ passivæ naturali activa naturalis respondeat, debet dari agens quod possit illam formam producere. Confirmatur. Nam si non posset hæc numero forma ignis produci nisi ab hoc numero igne inter individua ejusdem speciei daretur essentialis subordinatio: ergo cum in subordinatis essentialiter non possit esse processus infinitus, nec in individuis potest. Confirmatur 2. Nam Aristoteles 8. Metaph. text. 11. ait quod si semper eadem sit materia et idem agens, idem effectus producitur. At diverso tempore idem agens eidem materiæ potest applicari: ergo eandem formam reproducet. *Secundo.* Non difficilius est rem producere quam conservare. At idem effectus potest a pluribus causis conservari, ut si columna quæ speciem in oculo producit corrumpitur ita ut eodem instanti Deus aliam per omnia similem substituat, tunc eadem omnino species conservabitur a secunda columna, quæ a prima, siquidem nullo indicio possumus dignoscere quod non sit omnino eadem species. *Tertio.* Si duo ignes divina virtute se penetrent, et applicentur materiæ primæ spoliatæ omnibus formis, quod divina virtute fieri potest, uterque ignis producet eundem calorem et eundem ignem, cum non sit ratio cur unus potius producat quam alter. Similiter si duo luminosa applicentur eidem medio utrumque producet lumen, et cum plura accidentia solo numero distincta superflua sint in eodem subjecto, utrumque producet idem lumen. Idem est si duo trahant navim quam quilibet per se trahere posset, idem enim motus localis tunc est ab utroque.

Secunda sententia est, non solum naturaliter sed etiam supernaturaliter impossibile esse ut plures causæ totales simul dentur ejusdem effectus. Ita Pererius lib. 8. cap. 15., Mayronis 4. dist. 12. §. Quæritur 2. concl. 1., Javellus qu. 6., Ferrariensis 3. Contra gent. cap. 68. et 2. Phys. qu. 4., favet div. Thomas 1. p. qu. 52. art. 3. et 3. p. qu. 32. art. 2. ad 2. Probant *primo.* Nam unus numero effectus non potest produci nisi per unam numero actionem, nam actio inquit Pererius re non differt a termino, sed una

numero actio non potest fieri a duobus agentibus cum actio pendeat ab agente, nec diverso tempore ab eodem. *Secundo.* Causa totalis est illa a qua effectus adæquate pendet. At causa adæquata est illa a qua sola dependet: ergo et causa totalis: ergo sicut impossibile est ut effectus ab una sola causa pendeat et ut a pluribus pendeat, ita impossibile est ut a pluribus causis totalibus etc. Confirmatur. Si darentur duæ causæ totales a qualibet illarum penderet effectus: ergo quælibet illarum necessaria esset ad hoc ut effectus existat. At si essent plures causæ totales, non a qualibet penderet, posset enim quacunque causarum sublata, nihilominus existere effectus. Effectus autem non pendet ab eo sine quo esse potest. Ergo. *Tertio.* Si naturaliter non possunt dari duæ causæ totales et principales ejusdem effectus: ergo nec supernaturaliter. Nam si supernaturaliter possunt, quæro aut cum fit effectus ab illis, fit supra activitatem illarum, et tunc erunt causæ instrumentales ejus effectus et non principales; aut non supra illarum activitatem, et tunc naturaliter potest ab illis effectus produci adæquate.

Dico primo. Naturaliter fieri non potest ut idem numero effectus simul producatur a pluribus causis efficientibus totalibus, potest tamen supernaturaliter.

Prima pars conclusionis est auctorum secundæ sententiæ, et integram conclusionem tradit Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 15., Zumel 1. p. qu. 52. art. 3. concl. 5. et 6., et est Aristotelis 2. Phys. text. 30. et 5. Metaph. text. 2. cum ait plures causas esse ejusdem effectus, sed non eodem modo, i. e. non ejusdem generis et conditionis ut exponunt ibi interpretes. Probatur. Nam cessante fine actionis cessat actio, cum omne agens agat propter finem et sapientissima universi gubernatio id exigat ut nihil sit otiosum et sine necessitate in natura, cum id omne quod nullum habet finem naturalem, otiosum sit. Sed eo ipso quod unum agens totaliter producit aliquem effectum, nullus est finis naturalis actionis alterius agentis: ergo non aget. Minor probatur. Nam finis actionis est ut per eam communicetur entitas effectui ea indigenti, et naturalis finis solum datur respectu eorum quæ sunt necessaria in natura. At si effectus adæquate producitur ab una causa, non indiget communicatione entitatis accepta ab alia causa: ergo.

Secunda pars est contra auctores secundæ sententiæ, est tamen Cajetani 1. p. qu. 52. art. 3., Medinæ, Gabrielis, Zumel, Scoti loco

cit., Occam 3. qu. 1. art. 3., Suaresii 3. p. tom. 3. disp. 49. sect. 1. ubi sic ait: Suppono ex philosophia, divina virtute posse eundem effectum simul produci a pluribus causis totalibus, quarum scilicet quælibet actu producit actione sufficiente ad totum producendum. Addit et bene quod quando hoc modo fit effectus, necesse est ut fiat duabus actionibus diversis. Ratio est ait, nam tum est aliqua causa totalis, cum habet actionem sufficientem ad producendum effectum, quamvis actio alterius causæ tolleretur, si enim causa non sit talis, non erit totalis sed partialis, cum egeat consortio et adjutorio alterius: ergo necesse est ut quodlibet agens totale habeat propriam actionem. Probatur consequentia. Nam actione unius cessante potest remanere actio alterius, eo enim ipso quod unum agens cessat ab agendo perit ejus actio. Et ratio est, quia si ante agebat et nunc non agit: ergo mutatio aliqua est facta. Non in agente quæ per actionem transeuntem non mutatur; nec in effectu quia suppono totum effectum existere ex vi alterius causæ: ergo in actione, ac proinde actio unius manet alterius actione cessante; hæc ibi præclare. Probatur primo. Nam nulla est in hac re implicatio ut ex solutione argumentorum patebit. Confirmatur. Nam ideo non possunt dari naturaliter plures causæ totales, quia cessante fine et necessitate actionis, cessat actio quæ fieri deberet propter talem finem. Sed licet cesset finis naturalis non statim cessat supernaturalis, ut manifestatio omnipotentiæ, bonitatis etc. Dei. Ergo. Secundo. Fieri potest ut dentur plures causæ totales seorsim ut mox dicemus: ergo et simul, cum nulla major sit repugnantia ut simul quam ut seorsim producant. Et hoc de facto fiet si plures sacerdotes simul consecrent eandem hostiam, ut accidit cum recens ordinati sunt; si plures eundem baptizent etc.

Dico secundo. Impossibile est naturaliter ut idem numero effectus producatur a pluribus causis totalibus successive, ac proinde etiam ut effectus semel corruptus reproducatur, supernaturali tamen Dei virtute fieri potest ut res jam ante producta, iterum producatur, ac proinde etiam corruptum idem numero reparari potest, sive illud permanens sit, sive successivum, sola duratione excepta.

Prima pars est quidem contra Scotum citatum in prima sententia, est tamen imprimis Aristotelis qui 2. De gener. text. 70. ubi idem numero corruptibile non reverti ait, et in Postpræd. a

privatione ad habitum non dari regressum, quod alium sensum verum habere non potest, quam quod idem corruptum non possit reproduci ut ibi ostendimus, et 2. De anima text. 41. animalia mortua negat posse resurgere. Idem Toletus 2. De gener. qu. 13. concl. 3., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 14. sect. 3., Sotus 4. dist. 43. qu. 1. art. 3., Durandus qu. 1., Gabriel qu. 1., Soncinas, Javellus citati pro secunda sententia, Suarez 3. p. tom. 3. disp. 9. sect. 1. circa medium, et latius tom. 2. disp. 44. sect. 6. dicto 3., Bannez 2. De gener. qu. una etc. — Probatur conclusio primo a posteriori ex Suarez illo tom. 2. Nam si idem posset sæpius produci ab eodem agente in eodem passo sequeretur eundem ignem in eadem manu semper eundem numero calorem, et solem in aere semper idem numero lumen producere. Præterea ut illo tom. 3. disp. 9. ait si idem sæpe produci posset non esset ratio cur naturaliter idem non produceret seipsum et conservaret. Confirmatur. Nam si posset naturaliter idem produci a multis agentibus totalibus, vel ab eodem successive, sequeretur quod non solum posset reproduci res si semel esset corrupta, sed etiam de novo produci posset quamvis existeret, nulla enim est major difficultas unius quam alterius. At hoc posterius fieri non potest, nam ut probavimus illa productio esset otiosa et non necessaria.

Ratio a priori hujus conclusionis est quam bene assignat Suarez tom. 2. Nam subjectum ex cujus potentia agentia naturalia educunt aliquid indifferens est ad plures non solum specie sed et numero formas intra eandem speciem, quia non est unde magis limitetur de se ad unam numero quam ad aliam. Similiter agens naturale non limitatur ad unum numero effectum: ergo quamvis idem agens sæpius applicetur eidem passo, non limitatur ad eundem numero effectum semper producendum. Ergo aliquid necessarium est per quod determinetur ad hunc numero effectum producendum nunc, postea ad alium. Hoc autem determinans non est Deus, vel extrinsecæ circumstantiæ, sed ut recte Suarez, ipsa natura agentis, quæ sicut ex se determinata est ad tales specie effectus producendos, ita etiam determinata est ad operandum tali modo et ordine ut cum primum operatur per hanc actionem hunc numero effectum produceret, cum iterum operaretur alium, et ita deinceps. Unde apparet verum esse id quod Fonseca illa qu. 14. sect. 5. ad 2., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 15. art. 2. docent quodlibet agens naturale habere individua infinita quæ ab

illo produci possint ex qualibet materia, ita tamen determinata ut ex hac materia non possit hoc agens producere individua, quæ aliud agens producere possit, nec quæ ex alia materia idem agens educere potest, possit etiam ex hac, sed ex diversis materiis diversas formas, easque tali ordine sibi succedentes producere potest, quod innuit Aristoteles cum 2. Phys. text. 26. ait ad aliam formam aliam esse materiam.

Et ex his facile solvitur quod quæri solet, an idem effectus productus fuisset ab alio agente qui ab hoc producitur, si illud aliud fuisset applicatum. Scotus enim 2. dist. 20. qu. 2., Gabriel qu. una, Javellus 2. De gener. in fine asserunt. Rationes esse possunt quas Fonseca qu. 14. sect. 2. refert 3. et 6. loco et in fine sectionis. Rectius tamen auctores secundæ sententiæ negant, nam revera si agentia naturalia non determinant sibi individua et ordinem quo ea produci possint, poterunt individua semel producta etiamsi jam sint corrupta reproduci. Nam tempus et aliæ circumstantiæ extrinsecæ facere non possunt diversitatem numericam, si alia omnia concurrant, et saltem duo luminosa æque potentia eidem medio simul applicata naturaliter producerent tanquam duæ causæ totales simul eundem effectum, quod fieri non posse ostendimus. Verum tamen est, licet Molina citatus contrarium velit, effectum productum ab eodem agente hoc tempore, etiam alio tempore produci potuisse; imo effectus, v. gr. calor qui ab hoc igne post hujus caloris productionem in hac materia produci debet, semper est idem quocunque tempore, etiamsi post centum annos ei applicetur. Quomodo autem ex eo quod anima separata naturaliter appetat corpus non sequatur naturaliter posse ei uniri, ac proinde idem reproduci bene explicant Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. qu. 11. art. 4. ad 5. et Suarez illo tomo 2. sect. 7.

Secunda pars conclusionis est communis Suaresii locis citatis. Nam tom. 3. ait eundem effectum semel productum et adhuc existentem posse iterum produci. Probatur, non solum quia de facto per generationem, resurrectionem et transsubstantiationem idem numero corpus Christi producitur; verum etiam quia nulla in hac re apparet implicatio ut ex solutionibus argumentorum constabit. Confirmat Valentia tom. 4. col. 2285. Nam omnes causæ quæ ad primam productionem rei concurrunt eminenter continentur in Deo, vel certe existunt formaliter: ergo possibile est iterum produci, cum detur potentia productiva. Unde subdit ibi et col. 2298.

doctrinæ fidei de resurrectione repugnare sententiam Durandi. Addit Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 57. sect. 3. probabile esse eandem numero materiam panis quæ in Transsubstantiatione corrupta est reproduci, quia manet eadem numero quantitas quæ ante: ergo cum huic connaturale sit esse in illa materia in qua ante fuit, eadem materia reproducetur vel perpetuo conservabitur illa quantitas in potentia obedientiali subjecti, et præter naturam ipsius.

Dico tertio. Duas causas materiales vel formales totales respectu ejusdem effectus primarii dari implicat, respectu tamen effectus secundarii supernaturaliter dari nihil impedit. Causæ vero finales plures et totales respectu duntaxat libere agentium plures dari naturaliter est possibile. Primum probatur. Nam effectus primarius harum causarum est ut suam entitatem communicando constituant compositum, ac proinde si essent duæ causæ materiales seipsis et sua entitate componerent idem compositum; si autem totales essent, etiamsi altera auferatur, effectus nihilominus idem remaneret. At omnino implicat ut ablata una materia effectus i. e. compositum quod sua entitate constituebat idem remaneat. Eo enim ipso quod aufertur materia compositum amittit unam partem essentialem quam habebat, ac proinde secunda materia non dat esse eidem effectui totali qui ante erat. Effectus autem secundarius est concursus quo materia formam corruptibilem conservat. Certum autem est fieri posse ut a duplici materia totaliter conservetur per duas actiones, licet ut ad 3. secundæ sententiæ dicetur, tunc solum una materia conservaret in genere causæ materialis, altera in genere causæ efficientis. Verum est naturaliter id esse impossibile quia cessat finis actionis unius materiæ eo ipso quod altera formam conservet.

Secundum docent Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 12. art. 3. ad 3. et patet, nam agens liberum potest propter duos fines quorum quilibet sufficiens est, et revera moveret ad operandum etiam altero fine cessante, operari, licet forte propter utrumque majori alacritate et constantia operetur.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondet Bannez ubi supra, manere quidem potentiam in materia ad eam formam, sed eam potentiam postquam semel habuit actum esse obedientialem et non naturalem, in cujus refutatione nolo immorari. Et ideo respondeo breviter, eodem modo quo 1. Phys. disp. 2. qu. 4. in fine, quæ ex dictis melius intelliguntur. — Ad primam confirma-

tionem. Ita subordinata sunt individua ut unum individuum producibile ab hoc agente, debeat produci post aliud determinatum et non ante, non vero sunt ita subordinata ut unum non possit agere sine alio, quæ est propria subordinatio essentialis. Ad 2. confirmationem. Aristoteles ibi loquitur de eodem effectu specie, non numero.

Ad secundum respondeo cum Fonseca illa qu. 14. sect. 5. ad 7. Non esse eandem speciem postea, quæ fuit initio dum esset columna prior, licet sensus non possit eas species distinguere. Suarez tamen tom. 2. loc. cit. ad 2. objectionem putat lumen quod productum est ab uno luminoso, conservari ab altero, et quidem diversa actione, quod mihi non videtur probabile, revera tamen si hoc admittatur vix poterit solvi argumentum. Dices: agens naturale potest conservare integra hora effectum ut sol lumen: ergo posset etiam communicare illi esse in principio et fine horæ, non in medio: ergo reproducere. Respondeo posse quidem conservare tota hora, non vero initio et in fine duntaxat. Tunc enim cessante conservatione initio, deberet res corrumpi, et in fine iterum reproduci, quod propter rationem factam a creatura fieri non potest, ut potest a Deo. Unde apparet non satis efficaciter colligere Suaresium illo tomo 2. ex eo quod Deus tota hora conservat effectum, posse in solis extremis partibus horæ communicare illi esse et non in medio, nisi aliunde supponatur possibilis reproductio rei corruptæ.

Ad tertium Javellus 5. Metaph. qu. 1. ait in illo casu nullum agens producturum effectum, cum non sit ratio major cur unum potius quam aliud producat. Alii ajunt utrumque agens producere individuum diversum ab eo quod produceret quodlibet per se. Alii denique rectius ajunt Deum in eo casu ita temperaturum suum concursum ut ex vi utriusque ignis simul et adæquate sequatur idem effectus, inadæquate ex vi cujuslibet; vel certe Deum tunc cum uno duntaxat igne, cum quo ipse vellet, concursurum generaliter, ac proinde ab eo solo producendum ignem in tali materia, cum alter ignis defectu concursus generalis nihil producit. Duo autem luminosa in partibus medii remotioribus intensius lumen et consequenter ad majorem distantiam producent quam quodlibet per se. Si autem duo luminosa quorum quodlibet intensissimum gradum luminis producere potest in partibus medii vicinis simul applicentur eidem, tum neutrum luminosum per se producet inten-

sionem luminis, sed minori concursu concurret quodlibet quam concurreret si aliud agens non adesset. Impeditur enim ab alio luminoso simul operante, non quidem debilitando ejus virtutem, sed quia dum una causa efficit, etiam alia producit aliquid. Quando autem duo trahunt navim, non tantum conatum adhibet unus, quantum adhiberet si solus traheret, et si tantumdem adhibeat, celerius ab utroque movebitur navis.

Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo. Ad primum optime Suarez illo tom. 2., Valentia tom. 4. col. 2300. ait, posse eundem effectum diversis actionibus produci, quia ait actio est modus ex natura rei distinctus a termino, et ideo variari potest sicut alii modi variantur re eadem permanente. Et exemplum est in generatione, transsubstantiatione etc. Deinde etiam eadem numero actio fieri potest a pluribus agentibus saltem supernaturaliter et diverso tempore.

Ad secundum respondeo. Dupliciter aliqua causa dici potest totalis et adæquata. Primo sufficienter, ita ut illa sola sufficiat ad communicandum totum esse effectui, et actu totum communicet actione sufficiente et independente ab alia causa. Secundo cum negatione cujuslibet alterius actu concurrentis. Si primo modo sint causæ totales, quo solum modo nos concedimus non esse necesse ut ab una sola pendeat effectus, ut necessarium esset si secundo modo esset causa totalis. Ad confirmationem: dependere effectum à causa est accipere esse ab illa, in quo non includitur quod ablata ea cesset effectus, licet recte Suarez n. 21. notet ablata causa auferri actionem per quam a tali causa pendebat.

Ad tertium respondent aliqui. Non defectu virtutis agendi fieri ut non possit idem effectus habere plures causas totales sed solum quia cessat finis agendi; unde cum effectus supernaturaliter fit adæquate a pluribus causis, non fit supra virtutem earum activam, sed solum supernaturaliter ex Dei ordinatione habent finem propter quem utraque adæquate operetur. Ego tamen existimo eo argumento convinci non posse dari plures causas creatas principales et totales respectu ejusdem effectus. Unde licet possit causa creata ut causa principalis producere effectum, et alia actione Deus ut causa principalis per creaturam tanquam instrumentum, vel etiam sine illa potest secundo producere. Et a fortiori possunt duæ causæ instrumentales totales esse ejusdem effectus, ut cum duo sacerdotes simul consecrant vel baptizant. Non tamen possunt dari duæ

causæ creatæ principales. Et probatur. Nam plura agentia creata non possunt connaturaliter aliquem eundem effectum totaliter producere nec simul nec successive: ergo non debetur illis virtus naturalis ad talem effectum, implicat enim dari potentiam naturalem quæ non habeat finem naturalem. Deinde nisi quodlibet agens creatum determinet sibi certa individua quæ a se produci possint et non ab alio, non potest dari ratio cur effectus corruptus ab alio agente non reproducatur, tunc enim daretur finis naturalis actionis, ut scilicet terminus reciperet entitatem. Eodem modo si duæ causæ materiales concursu secundario conservent eandem formam, una quidem tanquam causa principalis materialis conservabit, altera tamen ut instrumentum Dei, ac proinde solum tanquam instrumentum Dei suppleret concursum secundarium materiæ in genere causæ efficientis, sicut Deus se solo illum supplere potest ut mox dicetur. Ratio est. Nam materia non habet potentiam ut concurrat adæquato concursu secundario ad formam quæ ab alia materia sufficienter conservatur: ergo solum ut instrumentum Dei potest concurrere: ergo cum Deus sit causa principalis efficiens, materia solum erit causa instrumentalis efficiens. Fieri enim non potest ut causa principalis producat effectum in genere causæ efficientis et ejus instrumentum in alio genere.

Secundo dividitur causa efficiens in *universalem* et *particularem*. Illa est quæ ad plures effectus causandos pro diversitate eorum cum quibus conjungitur est indifferens, ita ut ex se nullum certum effectum determinatum habeat, sed ratione alicujus causæ cui conjungitur habet ut talem effectum producat potius quam diversum. Contra autem particularis est illa ratione cujus sequitur potius hic effectus quam alius, quia ex se determinatus est ad talem effectum ut calor ad calorem producendum, nec est indifferens ad producendum frigus, cum tamen causa universalis non magis sit ex se determinata ad producendum frigus quam calorem. Et hujusmodi causa universalis est Deus, quatenus cum omnibus creaturis concurrit ad effectum producendum ut supra explicavimus. Plures vero causæ particulares quarum neutra per se producere posset effectum, non possunt dici causæ universales respectu effectus, quia nulla causa producit talem effectum ratione alterius causæ ipsam determinantis, sed omnes simul sunt causa adæquata effectus, quælibet per se inadæquata. Ex quo patet male definiri a quibusdam causam universalem esse illam quæ ad plures effectus producendos con-

currit; hac enim ratione Deus respectu angelorum quos produxit diceretur causa universalis.

Tertio dividitur in *causam primam* quæ est Deus fons omnis esse, et *causam secundam* estque quælibet causa creata. Similiter dividitur in *causam proximam* quæ per virtutem in se existentem actu communicat esse effectui, exercendo in illo actionem, et *remotam* quæ non communicat quidem esse effectui immediate exercendo cira illum actum suæ virtutis, sed quæ communicat esse alicui a qua immediate producitur effectus aliquis. Unde talis causa remota revera non est causa effectus remota physice loquendo, sed tantum moraliter, quia scilicet physice non producit talem effectum.

Quarto dividitur in causam *univocam* et hæc est quæ producit effectum ejusdem speciei cum causa, et *æquivocam* quæ producit effectum diversæ speciei. Et ut diximus qu. 5. causa æquivoca semper debet esse nobilior effectu univoca æque nobilis. Div. Thomas 1. p. qu. 104. art. 1. ait discrimen esse inter causam univocam et æquivocam quod effectus causæ univocæ non conservetur a causa univoca; effectus vero causæ æquivocæ debeat in conservari pendere a sua causa, quod non videtur universaliter verum. Experimur enim calorem productum a lumine persistere in aere absente lumine; similiter cum equus generat mulum est causa æquivoca, tamen non conservatur; similiter species productæ ab actibus sensuum externorum conservantur in sensibus internis cessante actione; et denique habitus producti ab actibus conservantur cessante actu. Verum tamen est causam univocam non conservare suum effectum univocum ut bene Suarez disp. 21. Metaph. sect. 3. n. 5., quia cum sit ejusdem perfectionis cum sua causa, licet ab illa produci debeat tamen postquam productus est, tam sibi est sufficiens quam sua causa ac proinde ab illa conservari non debet. Nec ulla instantia contra hoc dari potest, nisi in eorum sententia qui dicunt unam speciem intentionalem productam in medio producere aliam sibi similem in proxima parte medii eamque conservare, quod falsum esse supra indicavimus.

Quinto dividitur in *causam actu* et *potentia*. Causa in actu dicitur vel quia est causativa actu, i. e. perfecte constituta per omnia necessaria ad id ut sequatur effectus. Et huic causæ actu opponitur causa in potentia cui deest aliquid eorum quæ necessaria sunt ad causandum. Vel dicitur causa actu quia actualiter

causat; et hoc modo causa in potentia dicitur quod licet sit potens non tamen causat actu. Quomodo autem causa in actu simul sit cum effectu in actu disp. præced. qu. 5. diximus.

Sexto dividitur causa *in necessariam* et *liberam*, quæ divisio sumitur ex diverso modo causandi. Causa necessaria est quæ ita determinata est ad aliquid producendum ut positis omnibus necessariis ad operandum non possit non operari; libera vero quæ positis omnibus requisitis antecedentibus ad operationem potest operari vel non operari ut recte Valentia 1. p. col. 977. Verum est quod si causa necessaria ex se dependeat a causa libera in operatione sua, licet habeat in se omnia necessaria ad operandum possit non operari, quomodo intellectus posito assensu præmissarum et apprehensione conclusionis cum evidentia consequentiæ potest non assentiri ut in Logica disp. 1. in lib. Prior qu. 3. circa 4. diximus. Et similiter appetitus sensitivus potes non operari habitis omnibus aliis requisitis si voluntas obstat. Nam ut loco cit. diximus tunc voluntatis imperium etc. dici potest esse unum ex requisitis ad operandum, ac proinde cum voluntas impediens adest non esse omnia necessaria ad operandum, et ita non sequitur operatio quia anima per potentiam liberam quam habet, non vult concurrere cum potentia quæ libera non est ad operandum.

Objicies: Si detur causa aliqua necessaria, quæ non magis sit determinata ad hunc potius quam illum effectum in particulari producendum, ipsa se debet determinare ad hoc potius quam illud: ergo tunc talis causa positis omnibus requisitis potest hoc vel illud producere. Sed datur causa necessaria ex se indeterminata ad hoc potius quam illud, nam v. gr. ignis in centro positus non magis est determinatus ad hanc, quam ad illam partem movendum se, ac proinde vel se determinabit, vel ibi hærebit. Similiter animali famelico si æque bona pabula apponantur utrinque; similiter vitrum æque in omnibus partibus durum si super illud cadat lignum; denique filum ubiquæ æque forte si utrinque æque magna vi trahatur, nullibi rumpitur nisi se determinet ut hic potius quam ibi rumpatur, nisi dicas nunquam rumpi posse tale filum ut quidam sentiunt apud Aristotelem 2. Coeli text. 93. maxime cum constet ex Lemnio lib. 4. De miraculis naturæ cap. 14. corpus æqualiter undique resistens non cedat ut patet de ovo quod si comprimatur qua parte in longum porrigitur frangi nequit ut Conimbricenses citandi notaverunt.

Respondeo tamen, revera agens naturaliter et necessario, non se determinare in tali casu. Si enim se determinaret ad hoc potius quam illud, cùm æque posset se determinare ad aliud, revera libere omitteret illud ad quod se non determinat. Unde in primo casu proposito vel Deus ut auctor naturæ determinabit ignem ut in hanc partem moveatur, vel propter indeterminationem non movebitur. Secundus casus naturaliter impossibilis est; si tamen detur, vere tale animal ad nullam partem movebitur, quia non est major ratio cur in hanc potius quam illam, imo Buridanus ut testatur Medina, ait se expartum esse mori potius fame animal, quam huc potius quam illuc pergere ad pabulum. Et sæpe in nobis experimur nos hærere cum æquales rationes boni utrinque apparent, donec nos libere determinemus. In tertio casu Deus determinabit ubi vitrum frangatur, ut in simili docent Conimbricenses 4. Phys. cap. 9. qu. 1. art. 5. ad 3. Filum autem in ea parte rumpitur in qua fit resistentia impulsuum, i. e. in medio.

Septimo dividitur causa efficiens in causam *essentialiter* et *accidentaliter subordinatam*, de qua late Fonseca 2. Metaph. cap. 2. qu. 1. sect. 2. Essentialiter subordinatæ sunt quælibet duæ causæ ejusdem generis quæ ita sunt affectæ ut altera pendeat ex natùra sua in causando ab altera. Dixi *ejusdem generis* quia licet una causa indigeat altera ut forma sine materia non potest causare, non tamen est subordinata illi, sed solum indiget materia ad hoc ut habeat effectum. Dixi *ex natura sua*, nam licet duo trahentes pondus quod neuter per se posset trahere, pendeant in operando ab invicem, non tamen subordinantur essentialiter, quia vis tractiva utriusque est ejusdem rationis nec ex natura sua pendet vis unius in operando a vi alterius. Dixi *in causando*, nam si solum una causa produxit alteram ut pater filium, non ideo dicuntur essentialiter subordinari. E contra causa secunda Deo, istrumentum causæ principali essentialiter subordinatur. Accidentaliter subordinatæ sunt causæ ejusdem generis quarum una pendet ab alia aliquomodo non tamen in causando ut filius a patre etc.

Circa quam divisionem gravis controversia est, an in causis essentialiter subordinatis dari possit infinitus processus, vel tandem veniendum sit ad primam causam. Nam ut recte Fonseca citatus sect. 3. docet secundum Aristotelem qui putavit mundum hoc ordine quo nunc est fuisse ab æterno, in accidentaliter subordinatis dari infinitum processum, ut hic equus quem præcesserant infiniti equi

quorum unus alterum produxit, accidentaliter subordinetur secundum ipsum infinitis equis. Ego in hac re breviter

Dico primo. In causis essentialiter subordinatis non potest dari processus infinitus, sed veniendum est ad primam causam cui aliæ sint subordinatæ. Ita Aristoteles 7. Phys. a text. 3., 8. Phys. a text. 33. et 5. Metaph. a text. 6., div. Thomas 1. p. qu. 2., Scotus 1. dist. 2. qu. 2. Probatur hoc argumento ad quod rationes Aristotelis revocantur et a Fonseca citato sect. 3. ponitur. Aliqua causa dari debet a qua immediate producatur effectus cum omnis effectus immediate oriatur ab aliqua causa determinata: ergo debet dari aliqua causa ultima inter quam et effectum alia causa non intercedat. Si enim non est ultima, sed habet inferiorem sibi subordinatam, non potest ab illa causa oriri effectus totaliter, cum a causa mediata ut mediata est, effectus non oriatur totaliter, ac proinde descendendo versus effectum dari debet ultima causa quæ non habeat alias subordinatas essentialiter. Quod vero etiam ascendendo ab ultima causa subordinata ad causam cui hæc subordinatur deveniendum sit ad primam cui aliæ essentialiter sint subordinatæ, ipsa vero nulli subordinetur, probatur. Nam nisi hoc dicatur, sequitur nullam superiorum causarum posse operari. Nam nulla esset ex illis causis prima, sed omnes essent mediæ, si enim non essent omnes mediæ, aliqua erit qua non sit alia prior, ac proinde prima. At in causis essentialiter subordinatis media non potest operari nisi operetur superior. Ergo si datur infinitus processus nulla causa operabitur.

Dices: Minor est vera quando datur causa prima inter subordinatas, falsa vero quando non datur. — Contra est. Nam vel omnes et singulæ causæ subordinatæ essentialiter pendent in operando ab aliqua alia causa: et hoc impossibile cum in illa collectione omnium causarum includuntur causæ omnes effectus illius. Vel non pendent ab aliqua alia; et tunc si est aliqua ex illis quæ a nullo pendeat, illa est prima; si nulla est: ergo nulla est quæ non sit media: ergo cum causa media ut media non possit totaliter producere effectum, etiam omnes illæ causæ simul non poterunt producere. Confirmatur. Nam idcirco impossibile est dari infinitas causas instrumentales sine principali, quia actio instrumenti ex natura sua est inadæquata, et supponens causalitatem principalis causæ. Sed similiter omnis causalitas cujuslibet causæ subordinate alteri non est completa respectu effectus. Ergo nisi

in causis subordinatis detur prima quæ alteri non subordinetur, nihil ageret. Denique hoc probant argumenta quibus ostenditur dari Deum, quod sit primum ens independens ab alio.

Dico secundo. Etiam inter causas non subordinatas essentialiter, sed tantum accidentaliter, impossibilis est talis processus infinitus qualem admittit Aristoteles cum æternitate mundi, ut scilicet inter Deum primam causam et hunc effectum intercesserint infiniti equi quorum unus alterum generaverit. Hoc probabimus cum 8. Phys. ostendemus mundum non potuisse esse ab æterno, nec hujusmodi generationes successivas. Ex dictis facile deduci potest, in causis finalibus subordinatis non dari processum infinitum, ut probari solet 1. 2-æ qu. 1. art. 4. Similiter dari primam materiam ostendimus disp. 2. in 1. Phys. qu. 1. in secunda parte conclusionis. Quod vero non detur processus infinitus in causis formalibus probat Aristoteles 2. Metaph. quia si darentur infinitæ formæ, darentur infinita prædicata perfectiora et perfectiora, nam ut 1. Phys. disp. 3. qu. 3. concl. 1. ad 1. diximus, ex qualibet forma desumitur aliquod prædicatum. Ratio est, nam prædicata hæc non sunt aliud quam ipsa natura physica ut principium talium vel talium operationum et passionum etc.: ergo sicut non sunt nisi finitæ proprietates et finita genera operationum, ita nec sunt nisi finita prædicata et finitæ formæ. Et hæc est ratio a priori cur in rebus creatis non possint infinita prædicata distingui per intellectum ut diximus in Logica disp. 2. De univ. qu. 2. dub. 1. ad 3. Et idem argumentum potest causæ materiali applicari, nam et materia est radix alicujus perfectionis et proprietatis: ergo si darentur infinitæ materiæ vel formæ, darentur infinitæ proprietates, infinita prædicata se superantia in perfectione.

Octavo et ultimo dividitur causa efficiens in *causam per se* et *causam per accidens*. Causa per se est ait div. Thomas 1. 2-æ qu. 85. art. 5. quæ ex virtute propria suæ naturæ vel formæ producit effectum, i. e. quæ ita aliquem effectum causat ut ex sua natura ad illum causandum sit determinata. Unde licet saxum descendens realiter et vere concurrat ad occisionem hominis supra quem cadit, non est tamen causa per se quia ex ratione suæ formæ qua descendit non est determinatum ad occidendum hominem, sed ad quiescendum in centro. Et hæc definitio causæ per se convenit omnibus causis. Si tamen illud *producit effectum* ita limitetur, ut solum ad modum producendi proprium efficientis

causæ restringatur, modo supra explicato, tunc soli efficienti convenit. Causa per accidens non uno modo dicitur. Primo enim omnis causa quæ operatur præter intentionem vel propositum si est causa libera, vel naturæ si est causa necessaria, dicitur causa per accidens, quia ad talem effectum non ordinatur causa ex ratione suæ formæ, quod tamen ad causam per se est necessarium. Secundo dicitur causa per accidens quæ prout significatur non est causa rei cujus dicitur causa, quia scilicet licet sit causa non significatur secundum id per quod formaliter constituitur causa potens causare, sed secundum aliquid quod impertinenter se habet respectu effectus, ut medicus dicitur causa salutis etc. quomodo suppositum dicitur causa per accidens earum operationum ad quas non est ex natura sua determinatum, et ita ait Aristoteles hanc propositionem esse per accidens: Polycletus ædificat, quia ad ædificandum per artem determinetur non ex propria ratione naturæ humanæ. Idem est si effectus assignetur non quatenus a causa attingitur, nec prout est effectus ejus, ut si dicas medicus curat philosophum, cum tamen medicus ægrotum curet. Unde istæ non dicuntur causæ per se, quia non per formam qua affectæ significantur, sunt causa effectus. Tertio dicitur causa per accidens quod non influit in effectum, sed est occasio vel conditio etc. vel removens, prohibens etc. quæ non causant effectum, sed hic sequitur ex vi alterius causæ. Verum tamen est occasio dicitur sæpe causa, moraliter scilicet, non physice; unde qui suadet peccatum licet physice non sit causa actionis malæ, moraliter tamen censetur causa ut recte div. Thomas 2. 2-æ qu. 43. art. 1.

Ex his facile deduci potest quid sit *casus* et *fortuna*. Neque enim numen aliquod divinum ut falso putabat antiquitas censeri debet fortuna ut ostendit bene Pererius lib. 9. cap. 5. et Plinius lib. 2. cap. 7. Sunt ergo casus et fortuna causæ quæ effectum causant non intendentes illum, et quia raro effectus præter intentionem accidit, ideo effectus fortuiti dicuntur rari. Differt autem casus a fortuna ex Aristotele hic text. 59. et 60. quod cum causa est rationalis et producit effectum præter intentionem propriam et electionem dicitur fortuna, si vero agens sit necessarium et agat præter intentionem naturæ, appellatur casus respectu effectus secuti præter intentionem. Unde fortuna non est aliud quam causa efficiens per intellectum et voluntatem operans quatenus ejus operationem sequitur effectus quem non intendebat, vel ad quem effe-

ctum talis operatio non est natura sua determinata, propter quod etiam dicitur causa per accidens talium effectuum quia ad illos non est causa vel ejus operatio determinata ex se. Unde Aristoteles 2. Phys. text. 50. 57. et 65. ait effectum per accidens non habere causam determinatam, non quod non habeat aliquam determinatam causam, impossibile enim est ut sit effectus nisi ex vi causæ determinatæ; sed quia non habet causam determinatam ex natura sua et ex propria intentione ad talem effectum, v. gr. fossio terræ ad inveniendum thesaurum etc. determinata non est. Si vero quis intendat aliquem effectum v. gr. in lusu lucrum, in fossione inventionem thesauri, tunc licet effectus non sit fortuitus respectu agentis, quia non est præter intentionem ejus, respectu actionis tamen quam talis effectus consequitur per accidens est, quia talis actio non est natura sua determinata ad talem effectum nec ex se proportionata ad illum; ac proinde si talis effectus sequitur, fortunæ attribuimus. Secus esset si talis actio ex natura sua proportionata esset ad talem effectum consequendum, tunc enim potius casu fit ut quis non assequatur suum finem per talem actionem.

Ex hac definitione sequitur primo: Effectus ad utrumlibet seu liberos non esse fortuitos, quia ut libere aliquid fiat debet vel esse ipsa finis volitio, vel ex voluntate finis elici. At hi actus non sunt præter intentionem agentis: ergo.

Sequitur secundo: Fatum non esse causam per accidens. Fatum enim vel sumi potest pro ipsa divina providentia qua Deus quamlibet creaturam regit et ad suum finem dirigit, vel pro ipsa divina gubernatione exercita in qualibet creatura qua ipsa tendit in finem, quomodo sumpsit Boëthius lib. 5. De consol. cum ait, fatum esse inhærentem rebus mobilibus dispositionem per quam divina providentia suis quæque nectit ordinibus, quam definitionem explicant Conimbricenses 2. Phys. cap. 6. qu. 1. art. 2. Unde ut ipsi bene docent fatum proprie non est causa, sed sola relatio ordinis actionum et effectuum rerum omnium totius universi. Si tamen pro causis ipsis ordinatis sumatur, tunc non alio modo est causa efficiens, quam ipsæ res ordinatæ. Damascenus autem lib. 2. De fide cap. 7., Eusebius 6. Præp., Augustinus 5. De civit. initio et cap. 9. et lib. 2. Contra duas ep. Pelagii cap. 5. et alii, cum fatum damnant, eo modo fatum accipiunt quo gentiles sumpsere, pro inevitabili scilicet necessitate rerum omnium, quomodo

Seneca 2. Natur. cap. 36. fatum ait esse necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpit, quia inquit si sapiens non mutat consilium, quanto magis Deus cui omnia sunt præsentia. Idem lib. 4. De benef. cap. 7. Sed de hoc late div. Thomas 1. p. qu. 116. et Valentia 1. p. col. 1534.

Sequitur tertio: Respectu Dei causæ universalissimæ nullum effectum esse fortuitum vel casualem ut recte Augustinus 3. De Trin. cap. 4. et lib. 83. Quæst. qu. 34. Ratio est quia Deus propter infinitam ejus intelligendi vim eorum omnes effectus prævidit, nec sine voluntate ejus vel absoluta qua vult directe ut fiat effectus, vel permissiva quia scilicet licet non positive intendat effectum, videt tamen nec impedit cum posset, quod sufficit ut effectus permissi a Deo non dicantur evenire præter intentionem Dei. At effectus fortuiti debent esse præter intentionem. Unde recte Aristoteles 1. Mag. Mor. cap. 9. et 10. ait quod si quis omnia prævideret, nihil ipsi casu eventurum, et 2. Mag. Mor. cap. 9. ubi plus est intellectus ibi minus ait esse fortunæ. Addo etiam multos effectus esse fortuitos respectu agentium naturalium, qui respectu angelorum, imo etiam respectu cœli per se sunt intenti ut bene div. Thomas locis citatis a Pererio lib. 9. cap. 3. (licet alii quos citat cap. 4. velint contrarium), quia fieri potest ut cœlum ex propria intentione suæ naturæ conjungat causas inter se ad operandum, quæ ex natura sua non petunt conjungi, et tunc effectus secutus ex conjunctione talium causarum est præter intentionem earum, non tamen cœli intendentis eam conjunctionem. Aliquando vero conjungi possunt agentia naturalia a Deo, angelo etc. ita ut eam conjunctionem nec cœlum petat ex natura sua, et ita effectus tunc secutus est præter intentionem cœli; sed de hoc late Conimbricenses 2. De cœlo cap. 3. qu. 5. ubi multos effectus sublunares respectu cœli casu evenire ajunt.

Ex quibus patet falli Aristotelem qui 2. Mag. Moral. cap. 9. homines fortunatos esse vult ex impetu naturæ, quæ sine ratione moveat ad fugam mali, et persecutionem boni; negat autem bonam fortunam a Deo venire, quia Deus justus est inquit, ac proinde malis non daret fortunam bonam. Et 7. Eudem. cap. 14. idem repetit, sicut 12. Metaph. text. 51. docet Deum de quibusdam non cogitare. Sed revera errat Aristoteles et male de providentia sentit ut etiam notavi disp. 2. in lib. Periherm. qu. 3. ad 1. Rectius Augustinus 5. De civit. cap. 9. bonam fortunam reducit in causam intelligentem quæ cognoscat etiam id quod est per accidens ratione

operantis et ita impellat per propositionem objecti ad effectum per se cui cognoscit connexum effectum per accidens, ut etiam illum consequatur. Et ratio est. Nam eventus a quo fortunatus dicitur homo per accidens conjungitur effectui per se intento, nec postulat talem effectum id quod per se intenditur: ergo nulla causa naturalis inclinat in effectum per se, ratione effectus conjuncti per accidens, cum illa conjunctio non sit ex natura rei. V. gr. exit quis domo ut salutet amicum et statim ruit domos; illud appetibile quod movet ad exeundum domo non movet ex eo quod sit ruitura domus, cum ruinæ domus non conjungatur ex natura rei: ergo sola natura intellectualis movere potest ad hos effectus. Illud non nego ex naturali inclinatione vel constellatione etc. moveri sæpe hominem ad illud appetibile hic et nunc, cui conjungitur effectus per accidens eventus bonus, non tamen movetur a tali appetibili eo quod conjungitur effectui per accidens. Sed de his fusius Pererius loco cit., Mirandula in Apolog. lib. 4. cap. 2. et 3., Ferrariensis 3. Contra gent. cap. 92., Scotus Quodl. 21. etc.

Sequitur quarto: Monstra non esse a casu proprie ut Pererius lib. 9. cap. 10. notat. Quod antequam probemus, sciendum est, monstrum ex Aristotele 4. De gener. animal. cap. 4. est læsio rei præter ejus naturam in iis quæ ut plurimum agunt eodem modo, seu ut 2. Phys. text. 82. ait est peccatum naturæ quæ frustratur suo fine, aliquo principio deficiente. Cum igitur monstrum sit quod deficit a perfecto et naturali sua affectione et statu, defectus autem accidere possit multis modis, multa erunt genera monstrorum. Conimbricenses tamen 2. Phys. cap. 9. qu. 5. art. 2. ad sex generales modos revocant monstri productionem, de quibus etiam Aristoteles 4. De gener. animal. cap. 4. et 8., Plutarchus lib. 5. De placitis cap. 8., Albertus 2. Phys. cap. 3. Nos ad quinque genera breviter revocabimus.

Primo ergo monstrum efficit formatricis seu seminariæ virtutis nimia vis aut infirmitas quæ totum corpus exacte et articulatim elaborare non potest, et ideo corporis partes confusæ et indistinctæ fiunt. Et hæc est causa cur gens sit quæ caput in pectore abditum habeat et oculos in humeris ut testatur Mela lib. 1. cap. 4. Contra vero nimia vis formatrix in causa est ut aliqui dentati nascantur ut refert Plinius lib. 7. cap. 16., alii barbati, imo etiam cani ob defectum caloris naturalis interdum nati sunt teste Plinio lib. 7. cap. 2.

Secundo monstrum efficit materiæ copia vel inopia. Hæc enim causa est cur gens reperiatur cujus inferius labrum totam faciem tegat ut ait Isidorus 11. Etym. cap. 3. et Cadamustus in sua navigatione gentem se reperisse ait quæ labrum habeat unius ulnæ. Mela lib. 3. cap. 3. in quibusdam insulis septemtrionalibus ait populos esse quibus aures totum corpus tegant. Idem Solinus cap. 21. et Plinius lib. 4. cap. 13., lib. 7. cap. 2. et Maximilianus Transsylvanus in sua navigatione ait se reperisse gentem cujus aures in humeris penderent, Pigafetta vero in quadam insula adeo expansis auribus esse homines ait ut in una extensi jaceant, altera se tegant. Causa est ait Majolus Colloquio 2. quia sicut asini ob crassitiem, frigiditatem et siccitatem humoris habent aures majores ceteris animalibus, ita in illis hominibus aures excrescunt eo quod cum sint statura pusilli humor qui proceritati servire debuerat cum sit crassior et frigidior et abundans in auriculos diffundatur.

Tertio monstrum efficit loci in quo fetus formatur ineptitudo, vel quia frangitur secundina qua tegitur fetus et ita confunditur materia ex qua plures fetus formari debuerant, vel quia nimis angusta est ut in ea omnia membra formari non possint.

Quarto nascuntur monstra propter materiæ malam affectionem quæ a virtute formativa concoqui et formari non potest, quam malam affectionem sæpe regionis ac aeris temperies efficit.

Quinto denique monstra efficiuntur propter timorem, desiderium vel vehementem imaginationem matris. Sed cur imaginatio tantam vim habeat in fetus efformatione lib. De anima dicemus. Et quæ de animalibus diximus eadem de plantis fere intelliguntur in quibus etiam dantur monstra licet nobis minus sint manifesta quam in animalibus. Jam ergo constat monstra non esse effectus casuales. Licet enim ut recte Pererius citatus, Conimbricenses 2. Phys. cap. 9. qu. 6. art. 1. causa impedita per se non intendat monstrum, ac proinde sit præter ejus intentionem, tamen si causa impedita simul cum impedimento sumatur non est præter intentionem illius. Ratio est, nam naturam intendere effectum aliud non est quam in ejus effectionem propendere per potentiam naturalem. Sed natura impedita habet potentiam effectivam monstri. Ergo. Cur autem Deus permittat monstra eleganter docent Conimbricenses citati art. 2., quia scilicet ad decorem universi spectant, et ex iis tanquam ex contrariis juxta se positis elucescit naturalis decor rerum.

Disputatio. IV.

DE CAUSA MATERIALI, FORMALI ET FINALI.

QUAESTIO PRIMA.

An materia sit causa formae, et forma vicissim materiae; ubi etiam de causalitate materiae et formae in communi.

Causam materialem definit Aristoteles 2. Phys. text. 28. et 5. Metaph. cap. 2. esse illam ex qua inexistente aliquid fit. Nam nec ex fine nec ex efficiente res fit; imo etiam non dicimus rem fieri ex forma sed per formam. Per illud *inexistente* excluditur terminus a quo. Verum clarius definitur causa materialis si dicamus esse partem rei quæ recipiendo alteram partem costituit totum. Unde patet diversam esse hanc definitionem causæ materialis ab ea qua 1. Phys. definita est materia. Ibi enim dicebatur materiam esse primum subjectum ex quo aliquid fit ita ut non per accidens insit. At vero ad causam materialem non est necessarium ut illa sit primum subjectum, nec ut substantialiter uniatur, nam statua componitur ex ligno tanquam causa materiali quod nec est subjectum primum, nec figuræ unitur substantialiter. Et ideo latius patet causa materialis et ejus definitio, quam materia prima quæ solum est species quædam causæ materialis; revera enim subjectum in compositione accidentali est causa materialis, et Aristoteles ad explicandam definitionem causæ materialis utitur exemplo artificialium. Universaliter ergo sub causa materiali continentur ea omnia quæ recipiendo aliquid, totum componunt, sive substantiale ut materia prima cum forma substantiali, sive accidentale ut subjectum cum accidente; partes item integrantes quæ unitæ totum constituunt per receptionem unionis. Denique dispositiones quæ sunt in materia ad formam recipiendam, licet non habeant propriam causalitatem materialem, huc tamen spectant ut disp. 2. qu. 2. diximus, quia scilicet necessariæ sunt ut materia habeat suam causalitatem. Unde patet de his non dici univoce causam materialem, nam et quantitas et substantia etc. sunt causæ materiales ut ex dictis patet.

Causa formalis definitur quod sit illa quæ dat esse rei, quæ tamen definitio nec Aristotelis est, nec bona, siquidem omni causæ

convenit quod det esse et entitatem rei, ut ex ratione causæ explicata patet. Quælibet enim causa eo tendit per suam causationem ut effectus habeat entitatem actualem extra causas. Rectius ergo definitur forma quod sit illa quæ intrinsece ultimo complet esse rei, seu ut ait Aristoteles est ratio quidditatis, i. e. actus et ultima pars quidditatis, quæ adveniens alteri complet quidditatem, cum materia sit prima pars quidditatis. Et ita hac definitione continetur forma substantialis constituens naturam substantialem, forma accidentalis complens quidditatem compositi accidentalis; unio etiam partium integrantium quæ adveniens partibus totum constituit ut supra disp. 2. qu. 2. circa 3. dicto 1. et similiter diximus in Logica. Ex quibus etiam patet causam formalem non dici univoce de omnibus causis, cum substantiæ et accidenti nil sit univocum.

His positis explicandum est in quo consistat causalitas utriusque causæ. Ut enim præcedenti disp. qu. 1. dicebamus prius intelligitur causa habens vim et aptitudinem tribuendi entitatem effectui, postea vero tribuere actualiter per causationem actualem per quam actu causat cum ante solum fuerit potens causare, et hanc actualem causationem vocamus causalitatem. Unde licet materia et forma habeant potentiam receptivam et informativam, seu entitatem per quam materia apta est componere recipiendo formam, et forma actuando materiam, seu potius per quam sunt aptæ causare, et sunt causativæ, quæ tamen sit actualis causatio per quam incipit influere in effectum, et esse causa actu, cum ante non influeret, superest explicare. Quod antequam explicemus videndum prius est, qui sint effectus causæ materialis et formalis respectu quorum dari debet causalitas, hinc enim constabit: an unica sit causalitas materiæ, sicut est unica efficientis, an pro diversitate effectuum, diversas habeat causalitates. Et præcipua difficultas est, an materia sit causa formæ, saltem corruptibilis, et forma materiæ, an vero solius compositi.

Ratio difficultatis est, nam ut 1. Phys. disp. 2. qu. 3. diximus, materia pendet a forma, ita ut naturaliter sine illa existere non possit. Et similiter ibidem disp. 3. qu. 2. ostendimus omnes formas præter relationem pendere in fieri et conservari a materia, ita ut illa spoliatæ corrumpantur: ergo habent aliquam causalitatem vicissim. Hæc autem causalitas non consistit in eo ut materia seipsam communicando formæ, et forma materiæ media unione, constituant compositum, siquidem etiam animæ rationali per unionem commu-

nicat materia suum esse et constituit totum, nec tamen est causa illius, cum anima rationalis sit independens a materia ac proinde separata ab illa existat: ergo hæc dependentia erit aliquis influxus materiæ in formam corruptibilem per quem communicat esse materia formæ. Ergo cum hæc communicatio esse sit ratio accidentalis nec ad aliud prædicamentum spectare possit, erit actio, ac proinde ratio communis constituens prædicamentum actionis non solam causalitatem efficientis sed et materialis et formalis continebit. Quod vero sustentatio formæ a materia sit ratio accidentalis respectu formæ et similiter actuatio formæ respectu materiæ patet, nam totum esse formæ potest intelligi non intellecta sustentatione materiæ ut patet si Deus conservaret formam perfectiori concursu effectivo independenter a materia. Et idem de materia dicendum: ergo non minus est ratio accidentalis talis sustentatio quam productio ejus ab efficiente. Confirmatur. Nam forma ex eo solum quod communicat suam entitatem materiæ non est causa subjecti, sed totius quod ex subjecto et forma constituitur ut patet in albedine quæ communicat se quantitati, non tamen est causa illius, sed tantum est causa albi; ac proinde omnino impossibile est ut aliquid sit causa alterius nisi vel esse ipsius fiat pars entitatis ejus cui se communicat, vel certe communicet per aliquem influxum esse distinctum a se, quomodo forma si est causa materiæ communicat illi esse distinctum a sua entitate, et ita hujusmodi communicatio non est formaliter per solam exhibitionem suæ entitatis media unione: ergo est actio. Et confirmatur. Nam Deus potest supplere illam dependentiam quam habet forma a materia et contra, conservando formam sine materia, accidens sine subjecto etc.: ergo cum Deus eam non suppleat seipso, semper enim et necessario suppleret si sua entitate præcise suppleret, per aliquam actionem supplet: ergo illa causalitas materiæ respectu formarum et contra, est actio.

Ex alia parte videtur impossibile ut materia et forma per veram actionem a se vicissim pendeant. Primo quia si forma a subjecto pendet per actionem: ergo subjectum erit causa efficiens formæ, et contra, nam causalitas efficientis est actio. Nec dicas causam materialem et formalem petere ut effectus productus sit sibi unitus. Nam etiam immanenter operans id petit et tamen est effectus. Confirmatur. Nam actio est aliqua forma accidentalis pendens a subjecto: ergo dependeret per aliam actionem a materia. Secundo. Nam ex argumento facto sequitur quod eodem modo subsistentia

sustentet naturam per actionem, ac proinde personam Verbi sustentare humanitatem et habere causalitatem respectu illius qua communicet illi existentiam, quam ut sic non haberet Pater et Spiritus Sanctus, siquidem subsistentia Verbi præstat quod humana præstaret. Atqui opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Propter hæc, ut omittamus eos qui 1. Phys. dicebant materiam existere existentia formæ et ita dependere a forma et formam subsistere subsistentia materiæ atque ideo dependere a materia, in hac re

Prima sententia est dicentium, licet verum sit materiam a forma et formam pendere a materia ut locis citatis ostendimus, non idcirco tamen esse materiam causam formæ vel contra, sed solum materia est conditio sine qua non formæ, ita ut materia non habeat aliquem concursum per quem sit causa formæ, sed sit conditio sine qua non debeatur a Deo concursus productivus formæ, vel conservativus materiæ. Ita Henricus Quodl. 1. qu. 10., Scotus 2. dist. 12. qu. 2. ad finem, Gregorius ibi qu. 1. art. 2. ad 1. Aureoli, et qu. 2. art. 3., Bonaventura 2. dist. 7. art. 4. et 2. De anima com. 24. ad 3. qui omnes negant materiam esse causam formæ vel contra. Et hæc sententia probabiliter sic explicari et probari potest. Ut quemadmodum dantur quædam entia quæ sunt modi aliorum ut unio, figura etc. quæ produci non possunt a causa efficiente nisi actu modificent subjecta, quia tota essentia eorum ordinatur ut habeat hunc actum modificandi, ita intelligendum est formam ex natura sua ordinari ut actuet subjectum, nec deberi illi concursum productivum vel conservativum nisi actuet subjectum, siquidem quælibet res solum postulat concursum effectivum ad eum finem consequendum ad quem ex natura sua ordinatur. Et ita quamvis materia nullo alio modo concurrat ad formam quam recipiendo illam, adhuc tamen si talis forma non petit produci ab efficiente nisi in subjecto, dici potest forma produci dependenter a subjecto; sicut contra si forma ex natura sua petit concursum dantem illi esse etiamsi non recipiatur a materia actu, qualem concursum petit anima rationalis, dicitur independens a materia. Ratio autem a priori cur aliqua forma ex natura sua et non ex sola Dei voluntate ut quidam volunt apud Fonsecam 5. Metaph. cap. 2. qu. 12. sect. 3. postulet produci in materia et conservari est, quia non potest habere ullam operationem sine materia, ac proinde otiosa esset si extra materiam produceretur ut 1. Phys. illa disp. 3. qu. 2. diximus; sicut contra si habeat operationem a materia indepen-

dentem ut habet anima rationalis intellectionem, non postulat concursum talem. Similiter accidentia materialia quia natura sua ordinata sunt ut compleant subjectum tanquam aliquid illi superadditum, ideo fit ut non debeatur eis concursus conservativus extra subjectum, ac proinde spoliatum subjecto corrumpatur. Eodem modo materiam dependere a forma non est aliud quam materiæ non deberi concursum productivum et conservativum efficientis nisi actuatæ forma. Unde sustentare formam non est aliud quam recipere formam cui non debetur concursus effectivus nisi dependenter a tali receptione.

Hæc sententia probatur. Nam in omnium sententia admitti debet talis dependentia ab alio tanquam a conditione sine reali causalitate: ergo cum talis modus sufficiat, et si realem causalitatem admittamus rationes difficultatis sint insolubiles, debet admitti. Antecedens probatur. Nam a conjunctione capitis cum collo pendet informatio animæ, ita ut de lege ordinaria Deus non conservet unionem animæ cum capite, nisi caput sit collo unitum. Similiter natura a subsistentia pendet, nam ut in ratione difficultatis ostendimus dici non potest quod pendeat ab illa per actionem. Denique substantia etiam pendet ab accidentibus ut ostendimus illa disp. 2. qu. 3. dicto 1.; at certum est vel ipso Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 3. sect 3. fatente, non dependere substantiam ab accidentibus tanquam a causis, sed tantum ut a conditionibus. Ergo.

Secunda sententia est dicentium materiam a forma, et formam corruptibilem a materia dependere non tantum ut a conditione, sed tanquam a causa quæ communicet esse distinctum a suo proprio esse; ita Capreolus 1. dist. 23. qu. 1. art. 1. ad argumenta contra primam concl., Soncinas 5. Metaph. qu. 5., Javellus qu. 2., Fonseca cap. 2. qu. 3., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 8. art. 1., Pererius lib. 8. cap. 2. Favet Plotinus Enneade 3. lib. 6. cap. 14., Scaliger Exercit. 307. n. 26., Niphus 2. Phys. text. 30. ubi materiam ait esse causam formæ, et contra; Aristoteles ceterique communiter subjectum formæ vocant causam materialem illius. Probatur. Id omne est causa alicujus et non tantum conditio a quo pendet aliquid in esse ut ab exercente actum suæ potentiæ circa illud. Sed a materia pendet forma corruptibilis ut ab exercente actum suæ potentiæ circa illam. Ergo ut a causa. Major probatur. Tum quia ut patet ex dictis supra disp. 2. qu. 1. non per aliud distinguitur causa a conditione, nisi quia causa est a qua effectus pendet ut ab exer-

cente actum suæ potentiæ circa illum. Tum quia existere virtute alterius est ab illo causari; sed omne quod pendet ab alio ut exercente actum suæ potentiæ circa illud existit ejus virtute: ergo causatur ab illo, cum tamen a conditione sine qua non, nemo dicit causari effectum. Minor probatur. Nam materia non solum potest mediante unione componere totum, quod etiam habet respectu animæ rationalis, sed etiam sustentare illam quod non habet respectu animæ rationalis. Ergo per actum hujus potentiæ sustentativæ sustentat.

Dico primo. Materia est causa formæ corruptibilis tam substantialis quam accidentalis, et causalitas materiæ respectu formæ est aliquid absolutum, diversum ex natura rei a materia, et sæpe etiam a forma cujus est causa, estque vera actio, quæ tamen ex natura rei petit effectum per ipsam productum esse unitum causæ materiali. — Et primo quod materia sit causa formæ corruptibilis probatur. Tum quia communis est omnium sensus subjectum esse causam materialem talium formarum, cum tamen formæ incorruptibilis non sit causa. Revera enim si causa esset, non posset existere sine materia, cum impossibile sit rem existere actualiter sine causa quæ necessaria est ad illius esse. Tum quia ratio secundæ sententiæ id probat, si pro minoris probatione addatur formas curruptibiles educi ex potentia materiæ, quod non est solum produci unitam materiæ, sed etiam produci dependenter ab actuali influxu potentiæ ad ejus existentiam. Si enim hoc non est, revera non video cur anima rationalis non educatur a potentia materiæ ut 1. Phys. disp. 3. qu. 2. dicto 2. ostendimus. Revera enim nemo sanæ mentis dicit, effectum educi de potentia conditionis sine qua non. Secundo, quod non sit aliqua relatio causalitas materiæ patet, nam causalitas est per quam res constiuitur actualiter causans. At per relationem quæ posito effectu consurgit, non constituitur materia actu causans, sed potius causalitas est ratio cur consurgat talis relatio. Ergo. Tertio quod hæc causalitas ex natura rei differat a materia patet. Nam quorum unum realiter existit altero non existente absque ulla desitione extrinseci, ea realiter distinguuntur. Sed materia potest existere ita ut forma cujus ante erat causa conservetur a solo Deo independenter a materia quod fieri posse 1. Phys. disp. 2. qu. 3. dicto 2. ostendi, et quomodo fiat mox dicemus; tunc autem non habebit materia actualiter conservationem quam ante habebat. Similiter potest materia esse sine ulla forma de potentia absoluta: ergo sine causalitate quam habet respectu formæ. Quarto quod

etiam a forma sæpe distinguatur probatur optime a Suaresio illa sectione 9. n. 3. Nam saltem virtute divina manere potest forma corruptibilis existens sine causalitate materiæ, sicut naturaliter manet materia sine causalitate formæ quam nunc habet, alia succedente. Dixi *sæpe*, nam sunt aliqui modi qui seipsis et sua entitate dependent, ut est ipsa actio quæ est actualis dependentia seipsa ut loco cit. n. 5. ostendit Suarez. Unde n. 7. ait nec divina virtute esse posse quin sit causalitas subjecti. Ultimo quod hæc causalitas sit vera actio optime probat ratio difficultatis et patet ex iis quæ disp. 2. qu. 1. attulimus, ubi etiam diximus eandem esse actionem causæ materialis respectu formæ corruptibilis cum actione causæ efficientis producentis vel conservantis formam, quod nunc ulterius confirmatur. Nam hæc actio causæ materialis est aliquod ens actuale ac proinde dependet a Deo in genere causæ efficientis: ergo vel producitur a Deo media aliqua actione, vel certe illa ipsa actio causæ materialis est simul actio efficientis, quod volumus. Si primum: ergo cum actio per quam producitur talis actio pendeat a causa materiali et esset actus illius, vel per aliam actionem pendebit, et sic dabitur infinitus processus in actionibus, vel seipsa esset actus causæ materialis, et sic conceditur eandem actionem esse a causa materiali et efficienti. Confirmatur. Nam subjectum vere est causa actionis qua producitur ab efficiente forma in subjecto, ac proinde actio causæ efficientis simul est etiam causæ materialis et eadem actione utraque causa concurret. Quomodo autem cum his stet quod communiter dici solet, materiam non esse activam, et quomodo actio quæ est causalitas efficientis distinguatur ab actione quæ est causalitas materiæ illa disp. 3. qu. 1. diximus.

Dices: si eadem est actio utriusque: ergo eadem causalitas, ac proinde causa efficiens et materialis non distinguuntur. Respondeo argumentum convincit reipsa eandem esse causalitatem utriusque sicut mox dicemus etiam de causalitate materiæ et formæ respectu compositi, nec id est absurdum; distinguuntur tamen rationibus formalibus. Sicut enim ut mox dicemus in potentia operante immanenter diversa formalitas est qua productiva et qua receptiva est, nihilominus tamen est eadem potentia utramque formalitatem includens, est enim productiva in se recipiendo actionem et ejus effectum: ita in actione per quam a materia et efficiente causatur forma concipi possunt duæ rationes formales quarum una productio est respectu efficientis, et ex hac formalitate ut sic non postulat effe-

ctum productum sibi esse unitum, altera sustentatio respectu materiæ, et ex hac ratione formali habet ut postulet effectum esse unitum causæ sustentanti vel actuanti. Ex his autem formalibus rationibus constat una actio quæ utramque formalitatem includit, diversa ab ea actione per quam producitur aliquid independenter a materia.

Dico secundo. Licet communiter forma dicatur esse causa materiæ, tamen in rigore loquendo existimo nullam formam substantialem esse causam materiæ primæ, sed duntaxat conditionem sine qua non, ut in primæ sententiæ explicatione dixi. Probatur. Tum quia nulla est ratio quæ ad veram causalitatem in forma respectu materiæ admittendam cogat, nam solum cogimur fateri materiam pendere aliquo modo a forma. Tum quia si forma est causa materiæ, per eandem actionem per quam a Deo conservatur etiam a forma conservabitur materia, et similiter ad primam productionem materiæ per eandem actionem concurrisset forma. At illa actio est creativa rem, ea enim materia prima creata est a Deo, licet producta sit dependenter a forma, quia ut 1. Phys disp. 3. qu. 2. in fine ostendimus talis dependentia non tollit rationem creationis. At omnino falsum est a formis creatam esse materiam eadem actione qua creata est a Deo. Ergo. Interdum tamen ab auctoribus vocatur forma causa materiæ, ut cum causa materialis et formalis dicuntur sibi mutuo causæ esse in diverso genere etc., quia scilicet aliquo modo pendet materia a forma ut 1. Phys. disp. 2. qu. 3. ostendimus. Et hunc loquendi modum aliquoties usurpavimus ut loqueremur cum pluribus antiquis et rem ex professo examinavimus. Ex his

Ad rationes difficultatis secundo loco positas respondeo. Ad primam. Jam supra disp. 2. qu. 1. explicavimus quomodo differat causalitas efficientis et materialis causæ. Eadem enim actio ut est ab efficiente habet ut non postulet effectum esse unitum causæ; ut vero est a causa materiali, postulat effectum esse unitum causæ materiali. Ad id vero quod de potentiis immanenter operantibus objicitur, respondeo. Has potentias habere duas causalitates ratione distinctas; unam effectivam, alteram materialem. Et licet effective non dent esse effectui, nisi in se maneat effectus, hoc tamen non est ex vi efficientiæ quam habent, sed ex vi alterius causalitatis quam ut causae materiales simul exercent. Hi igitur actus ideo sunt immanentes quia agens ex natura sua petit aliquos actus quibus perficiatur formaliter, quamvis quod formaliter sint immanentes

habeant ex influxu materiali quem in genere causæ materialis habet agens. Licet ergo aliquod efficiens petat necessario adjunctam habere sibi causalitatem materialem respectu effectus producti, adhuc tamen distinguuntur hæ causalitates quia ex causalitate materiæ provenit etiam in his quod effectus maneat in suo efficienti. Ad confirmationem patet ex dictis.

Ad secundam. An natura creata pendeat a subsistentia creata, dubium est. Scotus enim 3. dist. 1. qu. 1. negat. Et in hac sententia dicendum esset non pendere humanitatem Christi a subsistentia Verbi. Si vero quod verius est, concedamus naturam pendere a subsistentia creata in existentia, ita ut sine illa non possit existere, dici posset non pendere ab illa ut a causa sed ut a conditione sine qua non debeatur concursus conservativus naturæ, sed de hoc latius theologi in 3. parte.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondeo. Licet concedamus non omnem dependentiam esse causati a causa ut Scotus loco cit. optime docet, tamen quod materia sit vera causa formæ corruptibilis, et non sola conditio jam ostendimus. Ab accidentibus vero solum pendere substantiam ut a conditionibus recte dicit prima sententia.

Dico tertio. Causalitatem causæ materialis et formalis respectu compositi eandem esse realiter, licet rationibus formalibus per intellectum distinguantur, estque nihil aliud quam unio, ut recte Suarez 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 2. §. Alterum dubium, per quam formaliter materia recipit formam eique communicando suam entitatem componit. Hoc antequam probemus suppono ex dictis, materiam esse causam compositi eo quod seipsam exhibendo formæ cum illa causet et constituat compositum, a quo realiter distinguitur ut inclusum ab includente ut latius 1. Phys. disp. 4. qu. 3. ad 2. primæ sententiæ explicavimus.

Probatur conclusio. Nam causalitas causæ non est aliud quam ratio per quam formaliter ejus potentia ad causandum reducitur ad actum et quæ denominat causam actu causantem. Sed per unionem formaliter materia dat se formæ, et forma eam informat componuntque compositum, et per unionem intelliguntur actualiter causare compositum, cum ante solum essent potentes causare, etiamsi sibi fuissent intime præsentes ut 1. Phys. diximus. Ergo hæc unio est causalitas illorum respectu compositi. Unio autem materiæ cum forma unica est ut ibi ostendimus et eadem, nec

necessarium est ut causæ realiter distinctæ habeant causalitates realiter distinctas; imo potius sicut effectus utriusque est idem realiter, ita et causalitas potest esse eadem realiter. Tamen formaliter loquendo semper distingui debent hæ causalitates. Revera enim causæ essentialiter distinctæ habent modum causandi diversum essentialiter, licet re ipsa sit eadem causalitas. Et ita eadem unio ut intelligitur modificare materiam, constituit illam in esse dantis se formæ et illam recipientis et hæc receptio et communicatio sui est causalitas materiæ; quatenus vero modificat formam, constituit illam in esse dantis se materiæ et informantis illam in quo consistit causalitas formæ. Et ideo ab hac unione materia non dicitur informare et causare informando, nec forma causare recipiendo. Ex dictis

Sequitur 1. Male a Fonseca dictum esse 5. Metaph. cap. 2. qu. 1. non aliam esse causalitatem materiæ respectu formæ quam quæ sit respectu compositi, ac proinde eo ipso quod materia habet formam informantem esse causam formæ. Revera enim materia non est causa animæ rationalis informantis, licet sit causa informationis seu unionis animæ cum materia. Ratio est, nam si est causa: ergo necessaria est ejus causalitas ad existentiam animæ rationalis; impossibile enim est ut aliqua res existat nisi omnes ejus causæ necessariæ causent, ac proinde quia eo ipso quod separatur a materia jam non est ipsius causa materia, deberet corrumpi connaturaliter, et solum præter naturam illius conservatur a Deo, sicut formæ brutorum conservarentur si Deus vellet. Ergo licet materia sit causa compositi, potest tamen non esse causa formæ, ac proinde diversa est causalitas respectu formæ et compositi. — Rectius ergo dicitur diversam esse causalitatem materiæ respectu formæ et compositi ut Conimbricenses cit. docent et Pererius lib. 8. cap. 2. Nec tamen propter hanc duplicem causalitatem habet materia duplicem rationem causæ materialis, nam totum hoc, scilicet recipere et sustentare formam quando ipsa sine sustentatione materiæ non potest existere, ordinatur ad causandum compositum illud constituendo. Imo hoc est complementum ejus modi quo materia causat totum; nam licet sine sustentatione causare possit compositum ut patet in homine, quando tamen componit cum forma corruptibili, necessario ut causet compositum materia includit sustentationem formæ, et ita hoc quod est sustentare formam est quid requisitum ad totum conservan-

dum. Materia vero respectu formæ non dicitur causa intrinseca eo modo quo dicitur causa intrinseca compositi, quia scilicet includitur in essentia compositi tanquam pars, siquidem materia non est pars formæ, sed compars. Solum ergo dici potest materia causa intrinseca formæ in quantum materia non habet causalitatem respectu formæ, nisi sit illi unita intrinsece.

Sequitur 2. Qua ratione possit Deus supplere causalitatem materiæ quam habet respectu formæ, licet ut recte Fonseca illa qu. 3. sect. 2. in fine et Suarez tom. 3. qu. 77. art. 1. docent non possit Deus supplere per se causalitatem materiæ quam habet respectu compositi. Ratio est, quia supplere causalitatem alicujus est dare id quod talis causa dabat. Materia autem et forma dant suum esse composito causando illud media unione, et in hoc consistit earum causalitas respectu compositi ut disp. 2. qu. 1. diximus. Ergo impossibile est ut ipsorum causalitas habeatur sine entitate ipsarum, maxime cum Deus non possit dare suum esse formæ illam recipiendo tanquam informantem, nec possit esse pars alicujus compositi essentialis, cum hæc imperfectionem dicant. Potest nihilominus Deus supplere causalitatem materiæ respectu formæ per quam conservat formam et quæ causalitas ut ait Suarez citatus consistit in extrinseco influxu, seu ut nos diximus actione.

Sed Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 12. existimat Deum suplere hanc causalitatem materiæ respectu formarum, non in genere causæ efficientis, sed in proprio genere causæ materialis. Fundamentum præcipuum est sect. 3. Nam causalitas unius generis nec formaliter nec virtualiter continetur in causalitate alterius generis: ergo per causalitatem causæ alterius generis non potest suppleri causalitas materiæ. At certum est Deum posse supplere causalitatem quam habet materia respectu formæ, sustentando formam sine materia. Ergo. Addit sect. 2. Ex eo quod Deus suppleat has causalitates in proprio genere non sequi Deum recipere formas vel informare, nam causalitas materiæ est etiam sustinere formas, et formæ continere materiam in suo esse.

Existimo tamen in solo genere causæ efficientis posse Deum supplere has causalitates materiæ respectu formæ, et formæ respectu materiæ. Nam materiam sustinere formam in suo esse, non est solum communicare illi suam entitatem per unionem ut etiam Fonseca habet, quia hoc modo et animam rationalem sustineret, et ita seipsa non sustentat formam licet Fonseca sect. 2.

in fine contrarium dicat: ergo sustentat per aliquem influxum in formam, quem actionem esse ostendimus. Hæc autem actio causæ materialis et formalis non potest distingui ab actione quæ est propria efficientis, nisi quia actio materiæ petit terminum productum sibi unitum esse ut cum eo componat. Ergo si Deus in proprio genere suppleret causalitatem materiæ, per actionem hujusmodi deberet formam sustinere. At impossibile est ut Deo tanquam subjecto uniatur forma: ergo etiam impossibile est ut Deus actionem quæ necessario petat formam productam sibi uniri operetur: ergo sola actione quæ propria est causæ efficientis. Potest autem Deus optime supplere in genere causæ efficientis causalitatem hanc materiæ, quia Deum hoc modo supplere non est aliud quam dare esse formæ actione independente a materia et unione cum illa, ac proinde perfectiori actione quam esset illa qua communicaret esse formæ dependenter a materia ut optime explicat Suarez Tom. 3. disp. 50. sect. 4. §. Secundo potest, ubi ait majorem influxum primæ causæ requiri ad hoc ut forma conservetur sine subjecto, quia causa efficiens debet supplere sua efficacia defectum concursus materiæ. Sicut ergo potest Deus primo creare formam corruptibilem independenter a materia et eam conservare, ita postquam semel separatur accidens a subjecto poterit illud conservare simili actione effectiva illi per quam primo creatum erat, quomodo conservat quantitatem Eucharistiæ, et posset etiam alia accidentia ut 1. Phys. disp. 2. qu. 3. dicto 2. ostendimus.

Ad fundamentum Fonsecæ respondeo. Causalitas quidem unius generis non continet causalitatem alterius generis, id tamen necessarium non est ad id quod agimus, sed sufficit ut effectus unius causæ secundum totum suum esse virtualiter et eminenter contineatur in Deo ut illum effectum possit Deus alia actione producere. Quod autem urget Fonseca, causas omnes et earum causalitates essentialiter subordinari Deo, ac proinde cum causæ essentialiter subordinatæ ad idem genus causæ spectent, posse Deum in genere causæ materialis esse causam, — revera nihil urget. Tum quia si Deus habet causalitatem materialem: ergo erit causa materialis, cum non nisi a causalitate dicatur aliqua esse causa; tum quia etiam Fonseca fatente materia est causa compositi quantumvis non sit causa sustentans formam ut patet in homine. Hanc autem causalitatem Deus non habet, cum essentialiter involvat imperfectionem, nec possit Deus eo modo dare esse composito quo

dat materia et forma ut optime Suarez n. 30. Ergo mirum videri non debet si negemus causam materialem essentialiter subordinari Deo causanti in eodem genere, seu quod idem est, Deum dare esse effectui causæ materialis in eodem genere in quo causa materialis.

Sequitur ultimo ex dictis quid sit formam informare, et materiam recipere seu informari. Informatio enim non est aliud quam unio formæ cum materia. Probatur, nam informatio nec est accidens aliquod, siquidem essentialiter includitur in composito substantiali in quo tamen nullum accidens includitur. Nec ipsa forma seipsa, tum quia dari potest forma sine informatione ut patet in anima separata; tum quia argumenta quæ probant unionem non esse ipsa extrema unita, probant etiam ipsam non esse informationem, siquidem per generationem et resurrectionem hominis quæ sunt veræ actiones solum fit ut anima quæ non informabat informet. Nec est aliqua dependentia formæ a materia, cum anima rationalis informet materiam ab illa tamen non dependeat. Ergo est ipsa unio. Eodem modo receptio materiæ est ipsa unio, et non dependentia formæ a materia, siquidem animam rationalem recipit materia quæ tamen non pendet a materia. Nec est dependentia materiæ a forma; posset enim Deus conservare materiam independenter a forma, et nihilominus si forma uniretur materiæ revera reciperet formam materia. Confirmatur. Nam informare materiam et communicare seu exhibere se illi sunt idem; sed forma non communicat se materiæ, nec tollit privationem sui a materia nisi per unionem: ergo per illam informat. Major patet. Nam quamvis forma sit intime præsens materiæ nisi illi uniatur nunquam communicat se materiæ nec illam informat. Et eodem modo receptio materiæ est id quo mediante materia recipit formam, sed sola unione mediante recipit materia formam, est enim unio vinculum quo mediante materia continet in se formam et nexus quo colligantur illa duo: ergo hæc unio est receptio, a qua dicitur materia recipiens. Unde unica est unio quæ ut est modus afficiens formam et terminatur in materiam, dicitur informatio, i. e. modus a quo denominatur forma informare; ut vero procedit a materia et terminatur in formam dicitur receptio, i. e. modus a quo subjectum dicitur recipiens in se esse ipsius formæ, sicut eadem via dicitur ascensus et descensus prout a radice vel vertice montis eam incipis, et eadem entitas dicitur actio et passio etc.

Et ad has causas, scilicet materialem et formalem reducuntur omnes res quæ aliquo modo sunt intrinsece requisitæ ad compositionem alterius, et omnes compositiones intrinsecæ imitantur compositionem materiæ et formæ et ad illam reducuntur, qualis est compositio ex genere et differentia, ex natura et subsistentia, in quibus compositionibus pars quæ perficit aliam dicitur forma, quæ perficitur dicitur materia ut disp. De materia qu. 4. initio diximus. In partibus autem quæ componunt aliquando una se habet ut potentia, alia ut actus quia una supponit et perficit aliam, aliquando vero istæ partes non hoc modo comparantur inter se, sed omnes simul comparantur sicut perfectibiles ad perficiens, quomodo partes integrales comparantur ad formam compositi. Vide disp. De causis qu. 2. An vero accidens spirituale possit esse in subjecto corporeo quod 1. Phys. in hunc locum rejeceramus in libr. De anima explicabitur.

QUAESTIO SECUNDA.

An finis sit causa realis, ubi de ejus causalitate et effectibus.

Tria in præsenti quæstione explicabimus. Primo, an finis sit revera causa et quorum effectuum. Secundo, quia in omni causa requiritur aliquid per quod constituatur in actu primo potens causare effectum, explicandum est per quid formaliter constituatur finis in esse potentis causare, an scilicet per bonitatem realem, an vero per bonitatem cognitam, ita ut ipsa cognitio per quam existit objective finis in cognoscente sit ratio constituens finem in esse potentis causare finaliter, an potius solum sit conditio sine qua non. Tertio denique in quo consistat causalitas seu actualis causatio finis.

Circa primum. Videtur causa finalis non esse vera et realis causa, primo quia finis causat cum non est realiter: ergo non causat realiter, siquidem argumentatio a negatione superioris ad negationem inferioris valet, ac proinde cum esse causam realem sit inferius respectu ejus quod est esse ens reale ut disp. 2. qu. 3. dicto 3. dicebamus: ergo cum sæpe finis non solum non existat realiter, sed sit quid omnino impossibile apprehensum tamen ut possibile, non poterit esse causa realis. Secundo. Inter causam realem et effectum realem est relatio realis. Sed inter finem v. gr.

qui est impossibilis, ac proinde non ens, et inter operationem quæ fit propter illum, ac proinde quæ est effectus illius non potest dari realis relatio, cum hujus extrema debeant esse realia. Confirmatur. Nam ipsemet Aristoteles 1. De gener. text. 55. ait finem solum metaphorice et improprie causare. Tertio. Quia nullus potest esse effectus causæ finalis; si quis enim esset, maxime esset agens propter finem, siquidem finis non causat nisi movendo, solum vero agentem movet. At certum est finem potius esse effectum agentis. Confirmatur. Nam causa in actu et effectus in actu sunt simul ut supra dictum est. At finis et ejus effectus non sunt simul, nam adepto fine cessat omnis actio propter finem. Confirmatur 2. Nam finis est ultimum quid, omnis vero causa debet esse principium ex Aristotele 3. Metaph. text. 3.: ergo. Pro solutione

Suppono finem ex Aristotele 5. Metaph. text. 22. esse terminum seu ultimum uniuscujusque rei, quomodo dicitur finis agrorum, finis vitæ mors etc., ex qua significatione ortum habuit ut id cujus gratia agens operatur, causa finalis dicatur, quia scilicet cum agens est adeptum finem suum finit et terminat opus desistendo ab illo. Unde in genere causam finalem definit Aristoteles 2. Phys. text. 29. et 31. et 5. Metaph. text. 22., 1. Ethic. cap. 7., 2. De anima text. 37. esse id cujus gratia aliquid fit, ut sanitas est finis ambulationis etc. Finis porro varie dividitur ut videre est apud Fonsecam 5. Metaph. cap. 2. qu. 10. sect. 1., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 20. art. 2., Suaresium disp. 23. sect. 2. n. 8. Nam ut in Logica agentes de fine Logicæ diximus ex Aristotele 2. De anima text. 35. et 37. finis alius est *quo*, i. e. quo tendit operans seu *cujus gratia* operatur. Alius *qui* seu *cui* estque is cui applicatur finis *quo,* ut ibi explicavimus. V. gr. sanitatis finis *qui* est ægrotus, unde 2. Phys. text. 24. de hoc fine *qui* loquens Aristoteles ait nos esse fines omnium rerum et 2. De anima text. 37. animam esse finem *cui* operationum. Præterea alius est finis *naturalis,* alius *supernaturalis;* alius *objectivus,* alius *formalis,* quomodo theologi dicunt ultimum finem seu beatitudinem objectivam nostram esse Deum, formalem vero ipsam visionem in nobis existentem. Et præterea alium finem præexistere actioni agentis, et tunc solum agit causa ut conjungat illum sibi, quomodo Deus est finis noster; alium non præexistere sed per ipsam actionem operantis produci, ut per deambulationem sanitatem. Alius finis dicitur *operis* in quem ex natura sua tendit opus, alius *operantis* quem ille sibi præfigit,

quomodo qui dat eleemosynam potest habere finem extrinsecum satisfactionem pro peccatis, vanam jactantiam etc., cum tamen illud opus ex natura sua tantum sit sublevatio egentis. His positis

Dico breviter. Finis non causat physice et realiter communicando entitatem effectui, exercendo in illo actum ut recte Zumel 1. p. qu. 5. art. 4. in qu. sua 2. Notabili ult., est tamen vera et realis causa eo quod licet sit ens omnino impossibile, debeat tamen apprehendi ut possibile ad hoc ut causet, et semper habeat effectum realem. Primum est Aristotelis 1. De gener. text. 55. ubi finem ait metaphorice causam, ubi non vult Aristoteles finem esse causam efficientem metaphorice, nam ratio efficientis nullo modo fini convenit, sed vult fini solum metaphorice convenire causare in suo proprio genere si cum causis physice et realiter communicantibus esse effectui conferatur. Et ratio est evidens, quia quod non est, imo est omnino impossibile, fieri non potest ut communicet esse alteri. At. sæpe finis est hujusmodi ex 2. Phys. 31. Respondent Conimbricenses, causare media apprehensione. Contra est, nam apprehensio non causat in genere causæ finalis, nec illi tribuitur effectus causæ finalis: ergo quamvis apprehensio sit realis, finis non est. Secundum, quod scilicet sit causa docet Aristoteles 2. Phys. 31. 69., 11. Metaph. text. 36., 8. Metaph. text. 12. etc. Ratione probatur, tum quia per causam finalem apte respondemus ad quæstionem qua quæritur propter quid alicujus, seu cujus gratia, quod idem est. At causa est id per quod respondetur apte ad hanc quæstionem ex 2. Phys. text. 29. Tum quia finis habet potentiam per quam apta est movere agens, nempe bonitatem, et propriam causalitatem ut ostendimus. Ergo est vera causa. Tertium patet. Nam licet finis interdum sit ens omnino impossibile, ac proinde nec ens reale, ut patet si quis putet arte medica se fieri posse immortalem et multa ad id media adhibeat; vel putet se posse paradisum terrestrem ingredi etc., licet inquam hoc ita sit, tamen ut finis appetatur vel media eligantur ad eum consequendum debet apprehendi ut possibile, ut ostenditur 1. 2-æ qu. 13. art. 3., ac proinde ut aptum habere esse reale, et ita est causa realis quatenus habet existentiam objectivam realem, qui modus causandi metaphoricus est, si cum modo causandi aliarum causarum conferatur.

Dixi: *debere apprehendi ut possibile.* Nam ad hoc ut moveat finis non est necesse ut judicetur possibilis; imo etiamsi judicetur

omnino impossibilis, tamen simplici complacentia adhuc potest desiderari res si apprehenditur ut possibilis per simplicem apprehensionem sine judicio, quomodo damnati desiderant Deum non esse, quem pœnitet desiderat se non peccasse etc. Hujusmodi enim desideria sequuntur simplices apprehensiones, quibus sine judicio concipitur id quod desideratur possibile; revera enim si concipitur sit impossibile et non ens, ac proinde nec bonum, non appeteretur ut latius illa qu. 13. explicatur, licet Conimbricenses citati qu. 23. art. 1. contrarium doceant. Dices: optantur pecuniæ propter valorem, honorem etc. quæ sunt entia rationis. Respondeo: non esse entia rationis, licet Conimbricenses citati contrarium velint, sed extrinsecas denominationes; præterea pecuniam appetit avarus non propter valorem, sed propter utilitatem ex ea secuturam. — Ex quibus patet, effectus causæ finalis non habere realem dependentiam a fine, sicut finis non causat realiter communicando entitatem. Solum ergo eatenus dicitur effectus finis realiter ab eo causari, quia talis effectus realiter fit ab efficiente gratia finis, ita ut non fieret ab illo nisi propter finem. Sed in hoc nulla est realis communicatio entitatis a fine, sed solum communicatio efficientis tribuitur fini, quatenus eam causalitatem non haberet nisi moveretur a fine metaphorice.

Ad argumenta. Ad primum respondet Suarez disp. 23. sect. 5. n. 14. Si finis realiter et vere communicando entitatem effectui causaret, deberet etiam realiter et vere existere ut debent aliæ causæ. Quia tamen solum causat metaphorice eo quod appetitum moveat ad physice causandum, idcirco sufficit si existat objective in cognoscente.

Ad secundum Soncinas 5. Metaph. qu. 3., Javellus qu. 6. dicunt esse relationem realem inter finem et effectum. Verum id universaliter falsum est ut recte Conimbricenses qu. 25. art. 3. ad 5. et Suarez disp. 23. sect. 1. n. 13., tum quia Deus qui est finis noster non habet ullam relationem realam ad nos; tum quia cum finis non est realis sed impossibilis non potest dari relatio realis ad illum, siquidem realis relatio extrema realia exigit. Respondeo ergo. Non esse necesse ut causa et effectus habeant relationem realem, nam Deus v. gr. est causa efficiens, tamen nullam habet realem relationem ad effectum. Ad confirmationem: finis metaphorice causat si cum aliis causis conferatur.

Ad tertium. Effectus causæ finalis late recenset Fonseca cita-

tus sect. 2., Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 22. Respondeo breviter: effectum causæ finalis esse id omne quod ipsius gratia fit. Sicut enim causa finalis est cujus gratia fit aliquid, ita effectus causæ finalis est id omne quod fit ejus gratia ut recte Aristoteles 2. Phys. text. 29. Unde media quæ fiunt ad finis consecutionem sunt effectus finis, vel certe si media ante extiterant independenter a fine, saltem assumptio illorum ad finem. Similiter operationes quas eligit qui agit propter finem ut per illas acquirat finem. Tandem etiam ipse actus quo appetit finem, est ejus effectus quod div. Thomas 1. 2-æ qu. 1. art. 1. ad 2. docet, item Fonseca cit., Conimbricenses etc. Ratio est. Nam actio qua efficiens operatur propter finem est effectus finis; sed amor quo efficiens diligit finem propter ejus bonitatem, est operatio ejus per quam operatur propter finem, amando scilicet illum propter bonitatem ejus: ergo est effectus illius, cum qua ratione coincidit illa quam Conimbricenses citati afferunt. Ex quo patet actionem aliquam non idcirco duntaxat esse propter finem quia ejus objectum circa quod versatur ordinetur in finem, quomodo electio quæ est mediorum dicitur esse propter finem, sed etiam quia ipsa actio versetur circa finem, quomodo intentio finis est propter finem ut loco cit. docet div. Thomas. Ad Confirmationem 1. Finis est actu cum causat eo modo quo necesse est illum esse, scilicet objective ad minimum ut explicavimus. Ad 2. Confirmationem. Finis est principium quatenus existens in intentione movet agens ut 12. Metaph. text. 37. docet Aristoteles, licet quatenus est ultimum in executione non sit principium. Unde Aristoteles 5. Metaph. text. 1. finem numerat inter principia, quia scilicet ab eo pendet effectus, estque primum quod movet agens ad operandum, et ideo dicitur causa causarum.

Circa secundum. Dico primo: Bonitas propter se appetibilis constituit finem in esse potentis causare finaliter, sicut potentia activa causam efficientem. Ita div. Thomas 1. 2-æ qu. 1. art. 1. ubi finem et bonum (non quidem imperfectum quale est bonum utile, sed bonum quod propter se appetibile est) ait esse idem, et 1. p. qu. 5. art. 4. concludit bonum habere rationem finis. Idem 3. Contra gent. cap. 2. et 3. Dixi: *propter se appetibilis,* nam media ut utilia sunt non habent rationem finis quia non propter se appetuntur ut optime Suarez disp. 10. sect. 2. n. 23. Addit Ferrariensis 1. Contra gent. cap. 38. circa 4. argum. bonitatem non constituere causam finalem in actu primo quatenus bonitas

est formaliter, sed quatenus appetibilis. Nam bonitas latius patet quam appetibile; igni siquidem bonus est calor, intellectui habitus scientiæ etc., et tamen non est appetibile respectu illius, licet verum sit omne appetibile esse bonum, quia sine bonitate res non potest esse objectum appetitus qui circa bonum duntaxat versatur. Et revera non mihi displicet doctrina Ferrariensis quam etiam tradit Zumel 1. p. qu. 5. art. 47. concl. 1. et 2. Ratio est, nam omnes fateri coguntur respectu eorum quæ habent appetitum, ipsam bonitatem ut appetibilis est esse rationem constituentem finem in esse potentis causare, siquidem quantumvis res sit bona, si tamen ab agente non concipiatur ut appetibilis propter difficultatem etc. non potest movere. Sed finis proprie solum est respectu eorum quæ agunt per appetitum et cognoscendo, cetera vero solum dicuntur agere propter finem quia ab operante per appetitum diriguntur in talem finem. Ergo ratio boni non quomodocunque, sed solum ut est appetibilis habet rationem finis. Et ita bonitas sine appetibilitate non est sufficiens ad movendum. Jam ergo cum agentia per voluntatem et appetitum elicitum, quæ sola proprie agere dicuntur propter finem, nunquam ferantur in finem nisi cognitum ut ostenditur 1. 2-æ qu. 9., ac proinde nisi objectum existat objective in cognoscente, difficultas est, an hæc cognitio seu existentia bonitatis objectiva in intellectu non solum sit conditio, sed etiam sit ratio formalis constituens ipsam bonitatem in esse potentis actu causare, de qua re late Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 23., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 11.

Prima sententia est: Finem esse causam secundum esse reale futurum re ipsa vel saltem existimatum; ejus vero cognitionem solum esse conditionem sicut ad omnem actum voluntatis cognitio necessaria est. Ita Conimbricenses et magis placet Fonsecæ, Pererius lib. 8. cap. 4., Toletus 2. Phys. qu. 14., Sotus qu. 3., Zumel 1. p. qu. 5. art. 4 concl. 2., Valentia 1. 2-æ qu. 1. art. 1. col. 6., Cajetanus 1. p. qu. 5. art. 4. et 1. 2-æ qu. 1. art 1., Scotus 2. dist. 25. qu. 1. ad 1., Gabriel et alii citati a Conimbricensibus. Probatur primo. Finis est causa secundum illud esse secundum quod appetitur; sed non appetitur finis in esse intentionali, sed in esse reali futuro, nec agens operatur ut assequatur finem in esse intentionali seu objectivo, sed ut finem v. gr. sanitatem in suo esse reali acquirat, cum jam habeat secundum esse intentionale quando finem concipit. Confirmatur. Media quæ agens assumit

solum conducunt ad assequendum finem secundum esse reale quod habet aut putatur habere extra animam. Ergo secundum illud esse est causa, et nisi quis illud esse finis assequatur, dicitur frustrari fine. Et denique quia omnia quæ de fine dicuntur ait Fonseca, ut quod sit optimum, quod propter illum agens agat, illo adepto requiescat etc. conveniunt fini secundum esse reale, sola enim reali sanitate acquisita quiescit. Secundo. Finis solum movet ut est bonum appetibile; sed per cognitionem non fit appetibilis. Confirmatur. Nam Deus est finis omnium non secundum esse intentionale, sed reale.

Secunda sententia est Soncinatis 5. Metaph. qu. 3., Medinæ 1. 2-æ qu. 1. art. 1. circa 1. rationem div. Thomæ, et ipsius div. Thomæ 1. 2-æ qu. 31. art. 3. ad 1., Cajetani ibi qu. 30. art. 3. dicentium finem constitui in esse finis per esse intentionale seu objectivum quod habet in anima. Sed revera si intelligantur hi auctores non pugnant inter se.

Sciendum ergo est, nemini dubium esse agens propter finem non agere propter esse intentionale finis, ut scilicet consequatur esse intentionale ipsius quod argumenta primæ sententiæ probant, sed ut assequatur realiter finem quem apprehendit ut possibilem habere realem existentiam, ut recte notavit Medina citatus. Et ita bonitas quæ amatur ab agente realis est, aut realiter futura est vel vere, vel solum apparenter ut ait Aristoteles 2. Phys. text. 81., 5. Metaph. text. 3., quia scilicet operans apprehendit illum tanquam possibilem licet revera sit impossibilis talis finis. Ex quo constat, finem qui amatur ut assequendus esse realem futurum vel qui apprehenditur futurus, quamvis etiam, si apprehenditur objectum impossibile, possit causare actum complacentiæ licet non efficacis desiderii ut 1. 2-æ qu. 10. ostenditur et experimur quotidie. Mens igitur auctorum secundæ sententiæ est: in causa finali sicut et in aliis causis debere distingui præter essentiam causæ etiam existentiam illius; et sicut in aliis causis existentia non est ratio formalis constituens essentiam causæ in esse talis causæ, sed ipsa natura et talis potentia causæ ad causandum v. gr. potentia receptiva, informativa etc.: ita nec existentia objectiva finis constituat essentiam finis qua formaliter est potens causare, nam ut diximus hanc constituit bonitas per se appetibilis. Nihilominus quia existentia causæ efficientis est aliquid formaliter spectans ad constitutionem causæ efficientis potentis actu causare et non sola conditio, cum

sine actualitate non sit actu causativa, sine quacunque autem conditione causativa sit, licet non causans actu. Ideo potest esse controversia, an existentia objectiva finis seu esse intentionale ipsius sit ratio formalis per quam finis redditur actu causativa, sicut per suas existentias reales aliæ causæ redduntur causativæ, ac proinde sit complementum causæ finalis, an solum sit conditio. Et

Dico breviter: Existentiam objectivam finis non esse conditionem causæ finalis, sed esse necessarium complementum rationis formalis causæ finalis actualiter causativæ, non secus ac existentia realis aliarum causarum pertinet ad complendam rationem illarum in esse causativi actu. Et hoc vult div. Thomas 1. p. qu. 82. art. 4. cum bonum intellectum ait esse finem.

Probatur. Quando finis est impossibilis ac proinde non potest habere existentiam realem, et tamen apparet alicui possibilis et propter talem finem operatur, tunc existentia objectiva non est tantum conditio realem existentiam finis applicans, sed est complementum rationis formalis causæ finalis potentis actu causare: ergo etiam quando finis vel reipsa existit, vel possibilis est habere realem existentiam. Antecedens probatur. Tum quia tale bonum non movet agens per veram et realem bonitatem, sed per apparentem. At formaliter fit apparens per existentiam objectivam in intellectu. Ergo in esse potentis movere constituitur per existentiam objectivam; ac proinde ita necessaria est existentia objectiva ad constitutionem talis finis, ut non possit intelligi finis actu causativus nisi intelligatur cognitus, siquidem sine cognitione non est apparenter bonus, ac proinde hæc existentia objectiva non erit solum conditio, sed complementum causæ in esse potentis causare, nam ut dixi sine conditione res est actu causativa, licet non actu causans. Tum quia si quæritur cur res impossibilis possit causare finaliter, apte respondetur quia concipitur ut possibilis: ergo ipsum intelligi seu habere esse objectivum non est conditio, sed constituens causam in esse potentis causare, siquidem sine conditione potest res intelligi causativa. Ideo enim ignis est causativus, quia habet vim productivam, non vero quia est approximatus, et materia non ideo est causativa formæ substantialis quia habet dispositiones accidentales, sine quibus tamen formam recipere non potest, sed quia est potens etc. Consequentia primi argumenti probatur. Nam perinde causat finis sive sit res possibilis sive impossibilis et solum apprehensa ut possibilis, et eodem modo per accidens est ad rationem finis ut

existat vel non existat realiter cum causat, semper enim eodem modo causat ut recte probat Zumel 1. p. qu. 5. art. 4. concl. 2. notab. 3. Sed quando realiter non existit, vel etiam non potest existere, existentia objectiva est ratio constituens finem in esse causativi. Ergo. Minor probatur. Nam ut res sit actu causativa, debet esse actu, quod etsi neget Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 10. sect. 3. iisdem tamen argumentis probatur quibus de causa efficienti ostendimus supra. At cum res non existit realiter, non est actu nisi per existentiam objectivam. Ergo per illam constituitur actu causativa.

Ex his solvuntur argumenta primæ sententiæ. Solum enim probant illud quod amatur esse bonum reale conceptum et realem illius bonitatem expeti, non vero quod existentia objectiva non sit ratio formalis spectans ad constitutionem causæ finalis actualiter causativæ. Unde agens agit propter bonum cognitum, i. e. quod per cognitionem redditur actu causativum, licet ergo finis sit ipsum bonum quod amatur, et hoc non sit esse cognitum objecti, sed ipsum objectum, tamen esse cognitum necessarium est ut illud bonum sit actu causativum, sicut licet potentia productiva efficientis est per quam causa constituitur causativa, existentia tamen illius potentiæ est necessaria ut sit causa actu causativa. Negandæ ergo sunt illæ propositiones: finis solum est causa secundum illud esse quod agens consequitur cum finem adeptus dicitur, quo caret cum frustratur, et secundum esse quod expetitur etc. Ratio est, nam in illo esse quod assequitur agens et, quod expetit etc. non includitur esse intentionale. At vero in esse causæ finalis includitur esse intentionale. — Ad confirmationem: Nego consequentiam. Nam media non assumuntur ad consequendum finem formaliter ut causa est, quia ut causa est, prior est mediis, et ita finis ut consecutus, habet rationem effectus. Imo hoc argumentum est pro nobis, nam finis ut causa et ut effectus mediorum aliquam diversam formalem rationem includit. Sed ut effectus includit totum esse reale. Ergo ut causa aliquid addit huic esse reali; non nisi esse objectivum: ergo. — Ad secundum. Finis per bonitatem fit appetibilis, ut tamen hoc appetibile actu possit movere voluntatem, debet existere objective sine qua existentia non est actualiter potens movere, et ideo per bonitatem cognitam constituitur objectum proxime appetibile, i. e. potens movere, sicut per potentiam actualem efficiens constituitur actualiter potens causare. — Ad confirmationem. Deus

est finis quem consequi debemus secundum esse reale, non tamen est finis motivus voluntatis solum secundum esse reale, sed secundum esse reale cognitum.

Circa tertium. Fuse agunt de causalitate finis Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 21., Fonseca 5. Metaph. cap. 2. qu. 10. sect. 3. et 4., Pererius, Soto, Toletus, Zumel citati circa secundum. Ut rem breviter expediamus,

Dico primo. Causalitas propria finis non est dare appetibilitatem mediis. Est contra Pererium et Zumel qui respectu mediorum ajunt finem habere istam causalitatem. Et ut omittam hanc causalitatem non esse necessariam ad rationem finis, siquidem simplex complacentia et ipsa volitio finis sunt effectus causæ finalis, et tamen illa causalitas quam finis habet respectu hujus actus non dat ullam appetibilitatem mediis, quæ nulla sunt. Probatur. Nam sicut per bonitatem constituitur finis appetibilis intrinsece, ita per eandem finis bonitatem constituuntur media appetibilia extrinsece. Ergo illa bonitas formaliter, licet extrinsece, dat appetibilitatem mediis, ac proinde non est causa finalis appetibilitatis mediorum, sed formalis extrinseca, sicut visio est causa formalis extrinseca a qua paries dicitur visus. Antecedens probatur. Nam licet medium habeat proportionem ad finem consequendum et sit utile ad illum ex se, si tamen in fine qui per illud debet acquiri non cognoscitur honestas vel delectabilitas quam agens appetat, non erit agenti utile nec appetibile tale medium, ut navigatio in Indiam utilis est ad opes augendas, et appetibilis ei qui divitias et voluptatem ex ea secutam amat, si tamen quis opes et voluptates aspernetur propter Deum, non est utilis nec appetibilis navigatio respectu agentis, quamvis ex se eandem habeat proportionem ad finem consequendum quem habeat ante. Ergo media non sunt appetibilia nec utilia respectu agentis ex eo quod habeant talem proportionem cum fine, sed quia participant extrinsece bonitatem finis. Et ita si quis alterius benevolentiam expetat tanquam sibi utilem, obsequia quibus demeretur ejus voluntatem utilia sunt agenti et appetibilia, eadem vero obsequia desinunt esse utilia et appetibilia, si benevolentia alterius non appetatur amplius tanquam utilis et jucunda.

Dico secundo. Causalitas finis est movere causam realiter communicantem esse effectui ut ipsius gratia operetur, seu ut sit id cujus gratia aliquid fit. Ita Fonseca, Conimbricenses et ab his citati div. Thomas, Zumel 1. p. qu. 5. art. 4. concl. 2., Scotus 1.

dist. 1. qu. 4., Occam 2. qu. 3. art. 2., Soncinas 5. Metaph. qu. 2. estque Aristotelis 1. De gener. text. 55. ubi finem ait efficientem i. e. causantem esse per translationem. Probatur. Nam licet finis per bonitatem apprehensam sit potens causare, non tamen intelligitur esse actu causans, nisi aliquid fiat a causa physice communicante entitatem effectui, scilicet ab efficiente, materiali vel formali illius gratia, et tunc primum finis intelligitur actu causare: ergo signum est causalitatem finis per quam constituitur actu causans esse ut ejus gratia aliquid fiat, seu ut moveat causam realiter communicantem esse effectui ad operandum. Confirmatur. Nam effectus causæ finalis non est alius quam effectus aliarum causarum quatenus ii fiunt dependenter a causa finali. Sed non alio modo fiunt dependenter ab illa, nisi quia non fierent si talis finis non esset. Ergo. Et hæc causalitas dicitur metaphorica; non enim movet causam v. gr. efficientem physice ad operandum, sicut cum ego applico ignem stuppæ per motum, sed solum per apprehensam bonitatem. Unde hæc motio physice aliud non est quam ipsa operatio efficientis, v. gr. quatenus talis operatio non produceretur vere et physice a causa efficiente, nisi bonitas finis ad quem ordinatur cognita esset ab efficiente proximo, vel ab auctore naturæ ordinante causam efficientem proximam. Ex quo constat recté docere div. Thomam 1. p. qu. 19. art. 5. volitionem qua Deus vult finem non esse causam volitionis mediorum, quia etsi cum diversis actibus volumus finem et ea quæ sunt ad finem, intentio seu volitio finis sit causa volitionis mediorum; quando tamen eodem actu volumus finem et media, sicut Deus unico simplici actu vult omnia, nulla est causalitas realis. Constat præterea, bonitatem ipsam Dei non esse causam finalem volitionis qua Deo placet sua bonitas, vel ullius alterius volitionis immanentis in Deo, eo quod nihil intrinsecum Deo potest esse causatum et dependens ne quidem ab ipso Deo, cum esse a se, ut dicit negationem dependentiæ ab aliquo tanquam a causa, essentialiter includitur tanquam transcendens in omnibus quæ intrinseca sunt Deo. Ratio ex dictis clara est. Nam id solum dicitur esse propter finem quod a causa realiter et physice communicante esse, scilicet efficiente, materiali vel formali accipit esse propter finem: ergo res quæ non habet causam physice et realiter communicantem sibi esse, non habet causam finalem. Ut enim supra diximus, non sunt alii effectus causæ finalis quam ii qui sunt effectus aliarum causarum. Et

propterea supra disp. 2. qu. 3. id quod habet causam finalem habere etiam efficientem, cum non aliud sit habere finalem causam, quam illud esse causatum a causa physice producente finem.

Dices: Causalitatem finis et id per quod constituitur causa finalis in esse causativi non reperiri in omnibus causis finalibus, nam ea quæ cognitione carent agunt propter finem, et tamen non alliciuntur a bono cognito. Similiter operatio intellectus qua bonum apprehenditur præcedit motionem boni apprehensi, et tamen etiam illa operatio est propter finem. Respondent bene Conimbricenses art. 3., hujusmodi actiones esse propter finem in quem a prima causa cognoscente diriguntur, quæ hujusmodi operationes vult propter finem a se cognitum, amatum, ac proinde hujusmodi agentium actiones præcedit cognitio boni amati in Deo, a quo ad talem finem ordinantur.

QUAESTIO TERTIA.

An omne agens agat propter finem.

Certum est Deum in omnibus operationibus ad extra propter finem operari, ac proinde licet operationes ejus immanentes non habeant causam finalem, transeuntes tamen habere ut optime div. Thomas 1. p. qu. 44. art. 4. ubi ostendit Deum esse causam finalem omnium operum ejus juxta illud Proverb. 16: Universa propter semet ipsum operatus est Dominus, et Apocal. 1. Ego sum α et ω principium et finis etc. Et idem div. Thomas 1. p. qu. 19. art. 5. ostendit Deum velle omnia propter suam bonitatem. Unde male Soncinas 5. Metaph. qu. 2. ad 3. vult bonitatem Dei esse causam finalem volitionis, cum revera nulla res Deo intrinseca habeat causam. — Similiter certum est cum homo ex cognitione finis operatur, semper propter finem operari. Id enim quod hoc modo appetit, vel appetit propter aliud tanquam finem, et tunc clarum est operari propter finem; vel appetit aliquid propter se, et tunc etiam propter bonitatem finis appetit, nam ut dixi intentio finis est propter finem. Verum est, in operationibus antecedentibus cognitionem, ut in primis cognitionibus et a voluntate independentibus, eodem modo operari hominem propter finem quo res inanimatas; in operationibus vero appetitus sensitivi eo modo quo bruta. Jam ergo

Dico primo. Omne agens agit propter finem. Ita Aristoteles 2. Phys. text. 49., 1. De partib. animal. cap. 1., estque div. Thomæ 1. 2-æ qu. 1. art. 2. et ibi Medinæ, Valentiæ etc. et rhetorice probant Conimbricenses 2. Phys. cap. 9. qu. 1. Probatur. Nam quæ apta sunt agi propter finem, et utilia ad finem, si eodem modo fiant semper quo fierent si operans cognosceret finem et in eum dirigeret actionem, censeri debent fieri propter finem; revera enim si fortuito et non propter finem fierent, non semper eodem modo fierent, sed prout sors ferret. At ea quæ fiunt ab agentibus naturalibus, ita fiunt proportionate suis finibus, ac si ab iis intenderetur talis finis, ut patet in operationibus avium nidos extruentium, brutorum suos fetus educantium, dispositiones membrorum quæ a potentia generativa producuntur in fetibus, cœlorum conversio quæ diversas anni tempestates efficit necessarias ad frigoris et caloris temperamentum etc. Ratio a priori est ex div. Thoma citato et 1. p. qu. 2. art. 3. quia sicut appetitus elicitus a cognitione per quam operatur agens cognoscens inclinat ad finem, ita appetitus naturalis et innatus inclusus in ipsa rei entitate inclinatur in suum bonum: ergo agentia naturalia licet careant cognitione et appetitu elicito, per appetitum tamen innatum inclinata sunt ad finem, sicut sagitta per vim impressam inclinatur ad motum. Sicut ergo inquit div. Thomas, si sagitta sæpius immissa eundem scopum attingeret ab aliquo dirigeretur per impetum in eo productum, ita res naturales diriguntur a Deo ad suos fines.

Dico secundo. Non eodem modo res omnes agunt propter finem, ut bene Conimbricenses qu. 2. et sequentibus. Quod ut explicemus sciendum est: res agentes propter finem in triplici gradu esse.

Primus et supremus gradus est eorum quæ cognoscunt non solum finem sub ratione boni, sed etiam proportionem mediorum ad illum, ac proinde dirigunt media in finem, et ita non solum agunt propter finem intentum cum ipsum finem appetunt, sed etiam cum media ad talem finem utilia producunt. His enim duobus modis aliquid esse proprie propter finem qu. 2. circa primum ad 3. diximus; et hic modus agendi solis naturis rationalibus convenit, ac proinde hoc modo agere propter finem est solius hominis ex div. Thoma 1. 2-æ qu. 1. art. 2. et commentatores ibi.

Secundus gradus est brutorum, quæ licet non cognoscant bonum honestum, cognoscunt tamen bonum delectabile et illud

appetunt. Verum etiam utile ut utile est non cognoscunt ut docet div. Thomas 1. 2-æ qu. 1. art. 1., et 2. 2-æ qu. 47. art 5., Conimbricenses qu. 4. art. 3. in fine, sed tantum materialiter cognoscunt id quod utile est, et ita non exercent actiones aliquas quatenus sunt utiles, sed solum materialiter. Probatur. Cognitio utilis, ut utile est, includit collationem ipsius cum bono alio respectu cujus est utile. At sæpe hujusmodi bonum absens est nec unquam ante cognitum a brutis. Ergo non possunt cognoscere proportionem ejus quod utile est cum eo respectu cujus est utile. Minor probatur. Nam formica v. gr. nata initio veris eodem modo congregat triticum ac si experta esset utilitatem et necessitatem quam habet illius hieme, cum tamen certum sit non cognoscere tempus futurum, nec necessitatem quam habebit tritici. Similiter hirundo nidificat non cognoscens utilitatem, eo quod nesciat futuram esse prolem. Ergo licet bruta adhibeant ea quæ utilia sunt, non tamen cognoscunt utilitatem. Confirmatur. Si cognoscerent rationem utilis etiam cognoscerent rationem nocivi, cum eadem potentia sit circa contraria; at non cognoscunt. Si enim cognoscerent, retardari possent ab appetitione illius quamvis cognoscerent esse delectabile; quod si ita est, revera libere ageret brutum determinando se potius ad delectabile, quam ad utile vel contra, quod ne admittatur dicendum est, quod si cognoscat sub ratione delectabilis, etiam si sit inutile, appetet. Et hæc est causa cur div. Thomas dicat bruta non agere propter finem, quamvis negandum non sit, bruta cum amant objectum delectabile sibi ab imaginatione propositum proprie et vere agere propter finem. Ratio est, nam objectum propositum ab imaginatione bruti per bonitatem delectabilem conceptam, movet appetitum illius ad prosecutionem, non effective: ergo motu metaphorico ut finis. Confirmatur. Nam homo in intentione finis vere et proprie agit propter finem, ut cum placet illi aliquid delectabile, licet nihil cogitet de mediis utilibus: ergo similiter cum brutum appetit bonum delectabile proprie operatur propter finem, licet quia non cognoscit bonitatem utilem, cum exercet ea quæ utilia sunt ad finem non tam proprie agat propter finem ac homo.

Ex quo apparet quod brutum quidquid appetit propter bonitatem delectabilem intrinsecam appetat, et non propter bonitatem extrinsecam finis, ac proinde cum appetitus eorum non moveatur nisi a bono delectabili, quidquid tandem appetunt concipiunt ut

bonum delectabile, et ita hirundo in nidificando, formica in tritico comportando apprehendit rationem boni delectabilis a qua movetur, sicut etiam inter homines quidam in ædificando, alii in aliis rebus habent voluptatem. Unde ut præclare Fracastorius lib. 2. De intellectione ait, avis v. gr. maturis jam ovis appetit illa deponere, cujus appetitus duo sunt fines; alter avi cognitus, ut scilicet pondere se levet; alter Deo soli notus ut scilicet generetur fœtus. Et quia avis amat ova tanquam partes sui et non sicut excrementa, ideo reponit ea in loco tuto, v. gr. in arboribus, dumetis etc.; incubat ovis, cujus finis avi cognitus est ut adsit, foveat, custodiat rem amatam, licet finis avi ignotus Deo autem notus sit ut proles excludatur. Et ita magna Dei sapientia elucet, qui universum ordinaturus nisum naturis dedit, quæ nescientes fines, omnia tamen faciunt per quæ fines consequuntur quos solus Deus cognoscit.

Tertius et ultimus gradus est inanimatorum, quæ nullum bonum cognoscunt. Et ista agentia certum est condita esse a Deo ad certos et determinatos fines ad quos consequendos per media convenientissima, sapientissime sunt ordinata, at proinde cum operantur semper tendunt per determinata et convenientia media ad finem intentum ab auctore naturæ. Ratio est, nam opera naturæ si ab intelligente fierent, non alia ratione fierent quam fiunt, ut in speciali ostendit Galenus De usu partium in membris animalium; at si fierent ab intelligente fierent propter finem intentum ab illo; ergo jam etiam fiunt propter finem ab auctore naturæ intentum. Ut autem explicetur quomodo hujusmodi agentia propter finem operentur sciendum est ex Gabriele 2. dist. 1. qu. 5. art 1. finem sumi posse vel pro eo quod est terminus alicujus et ultimum, quomodo finis actionis dicitur terminus per illam productus; vel pro eo quod habet causalitatem finis. Certum est ergo, res naturales habere potentias innatas per quas operantur, et finem potentiarum esse operationem, quomodo in Logica dixi, finem habitualis Logicæ esse actum. Similiter ipsum actum habere ultimum et terminum, scilicet objectum, quod finis dici potest actus, ac proinde agentia naturalia ad hujusmodi fines ex natura sua et non ex sola voluntate Dei ordinantur. Idcirco enim Deus dat tales potentias v. gr. gravitatem terræ quia ejus natura exigit ut in imo loco quiescat.

Verum hoc non sufficit ut talis operatio sit causa finalis potentiarum, nam causa est a qua res habet suum esse et quæ

communicat esse effectui, ac proinde omnis causa debet esse principium effectus. Sed finis non est principium alicujus, nec communicat illi esse nisi quatenus movet agens ad operandum ita ut si talis motio non sit, ratio causæ finalis tollatur. Ergo finis debet movere ut habeat rationem causæ. At movere non potest nisi finis sit cognitus, et habeat existentiam objectivam in eo quem movet, siquidem nulla causa realiter causat sine existentia aliqua. Ergo solum potest esse causa finalis quatenus cognoscitur ab operante, ac proinde cum agentia naturalia non cognoscant finem, non movebuntur a fine, nec erit potentia eorum propter causam finalem, ex eo præcise quod terminatur actio ad talem actum. Solum ergo hujusmodi agentia dicuntur operari propter finem, cum producunt effectus ad quos producendos ab auctore naturæ potentiam et vim acceperunt, quia saltem mediate agentia naturalia moventur a fine ad operandum, a quo immediate movetur Deus in actione transeunte per quam produxit creaturam, et per quam concurrit cum eo ad operandum. Et ita operationes agentium naturalium dicuntur effectus mediati causæ finalis intentæ a Deo, quia finis non immediate movet hæc agentia, ac proinde cum ejus causalitas sit motio, non immediate est causa talis effectus, sed mediate quatenus actio productiva illarum habuit finem a Deo intentum, scilicet bonitatis et potentiæ divinæ manifestationem. Ex quo patet, has operationes agentium naturalium non futuras propter causam finalem, nec effectus causæ finalis, nisi esset agens per cognitionem a quo ordinarentur in finem, cum finis movere non possit sine existentia objectiva in cognoscente. Ex his etiam constat non solum omnes effectus causæ efficientis esse propter finem, sed etiam causæ materialis et formalis. Nam etiam materia et forma causant propter finem saltem mediate, quatenus productæ sunt et conservantur a Deo ordinante causationem ipsarum in finem.

Objicies: Dantur in homine actiones otiosæ quæ nullum habent finem. Similiter dantur effectus casuales respectu agentium naturalium et tamen hi effectus non sunt præter intentionem Dei concurrentis ad talem effectum cum causis. Ergo si intentio Dei sufficit ad hoc ut causæ secundæ dicantur intendere saltem mediate finem, tales effectus erunt intenti a causa secunda, et consequenter non erunt fortuiti. Respondeo cum Medina citato. Actiones otiosas esse propter finem, verum non propter finem honestum sed delectabilem; quia tamen natura rationalis cum libere operatur et ex

plena advertentia debet habere finem honestum præfixum ut late ostenditur 1. 2-æ qu. 18. art. 9., idcirco est otiosus actus liber qui non est propter finem honestum. Quod ad effectus autem fortuitos attinet et casuales certum est in primis multos esse effectus qui sunt præter intentionem hominis agentis ex cognitione; et similiter inanimata habent effectus casuales, quia licet effectus illorum sit intentus a Deo alia ratione, non tamen quatenus cum tali causa operatur, et quatenus talem causam primo condidit. Unde licet quilibet effectus casualis respectu causæ secundæ intentus sit a Deo ut causa particulari gubernatore universi, non tamen est intentus ab eo ut ejus concursus determinatus est a causis particularibus habentibus tales naturas ordinatas ab illo ad talem finem proportionatum naturis illarum rerum. Nam Deus vult quidem cum tali natura ad talem effectum sibi proportionatum concurrere, quod si tamen occurrat impedimentum (id quod Deus ut futurum sit ordinat et disponit) vult cum causa impedita talem effectum a se intentum producere.

IN TERTIUM, QUARTUM ET RELIQUOS LIBROS PHYSICORUM ARISTOTELIS.

DE QUANTITATE, TEMPORE, LOCO ET MOTU.

Duas in partes dividi hos octo Physicorum libros initio diximus, in quarum prima de principiis et causis corporum et transmutationum naturalium agitur; in secunda vero de affectionibus et proprietatibus quæ corpori naturali in genere conveniunt. Prima igitur parte duobus libris expeditis, alteram nunc partem aggreditur Aristoteles. Et quoniam motus proxime cum natura et corpore naturali conjunctus est, atque ideo natura per motum definita est: idcirco Aristoteles initio statim libri tertii incipit naturam motus explicare, et ubi ad textum 24. definitionem motus et subjectum explicasset, incipit a text. 24. de infinito agere, quod ait videtur magnitudini, tempori, motui etc. quæ a physico considerantur adnexum esse, siquidem quodlibet horum aut finitum est aut infinitum, et 1. Phys. text. 15. infinitum in quantitate esse ait ipsius adnexam affectionem. Libro deinde quarto incipit tractare de loco ab initio usque ad text. 49. Et quia locum aliqui antiquorum existimabant esse vacuum, idcirco ab illo text. 49.ad 86. agit de vacuo, et denique ad finem libri agit de tempore. Tum deinde iterum ad motus affectiones considerandas revertitur libro quinto, et usque ad finem octavi libri in ejus consideratione versatur.

Nos vero ea omnia quæ his libris continentur quinque disputationibus complectemur, in quarum prima de quantitate quam Aristoteles vix attigit disseremus. Hujus tamen natura prius videtur explicanda, cum et proxime materiam sequatur, et ad omnem actionem et mutationem naturalem sit necessaria, et denique ejus cognitio motus et temporis contemplationi sit necessaria. In secunda

agemus de tempore et duratione rerum omnium. In tertia de loco et vacuo. In quarta de motu et mutatione in communi. In quinta denique de motu locali quæ una est ex speciebus motus; de aliis enim speciebus, alteratione scilicet et augmentatione libro De generatione agemus.

Disputatio I.

DE QUANTITATE.

Non solum metaphysici et logici est quantitatem ut est summum genus et prædicamentum considerare ejusque species indagare, et mathematici quasdam ejus affectiones quæ quantitati conveniunt sine ullo ordine ad subjectum speculari; verum etiam physicus, quatenus quantitas est affectio quædam corporis naturalis, multa de illa debet explicare. Nos omissis iis quæ cum augmentationis naturam explicabimus de ea dicenda erunt, quædam hoc loco de quantitate disputabimus. Sit igitur

QUAESTIO PRIMA.

An quantitas distinguatur realiter a re quanta ut materia.

Certum est dari aliquid per quod res habet hanc molem corpoream quam videmus, ratione cujus ita occupant locum ut una pars rei sit in uno loco, alia in alio etc., una pars non sit unita immediate omnibus partibus ut in Logica diximus, ubi etiam explicavimus in quo consistat essentia et propria quantitatis ratio. Difficultas tamen est, an ex natura rei distinguatur a re quanta, ita ut sicut res est alba per albedinem a se distinctam, ita sit quanta etc., quæ quæstio de sola continua quantitate et permanente intelligitur, nam ut in prædicamentis ostendimus quantitas discreta seu numerus a re numerata non distinguitur realiter. An vero tempus distinguatur inferius explicabitur.

Prima sententia est Occami 4. dist. 4., Gabrielis 4. dist. 10. qu. una et dist. 12. qu. 1. et text. 43. Super canonem, Major 2. dist. 12. qu. 2., Adami in 4. qu. 5., Aureoli etc. citati a Fonseca et Suarez,

qui volunt quantitatem a re quanta non distingui ex natura rei, sed eandem rem si consideretur ut est ens per se subsistens vel alteri inhærens, dici substantiam vel accidens; si vero quatenus habet partes, dici quantitatem, et quia quælibet res corporea habet seipsa partes et non per aliquid additum, ideo seipsa est quanta, et ita singula accidentia suam habent quantitatem seipsis, ut color, sapor etc. in pomo. Fundamentum est quod in Logica diximus, quia extensio quæ est quantitati essentialis omnibus fatentibus aliud esse non potest quam partium multitudo, siquidem extensionem in ordine ad locum non esse essentiam quantitatis, ibi ostendimus. Quid autem sit extensio in ordine ad se intelligi non potest. At quælibet res materialis habet partes ex se et non ab aliquo accidente realiter distincto a se ut in Logica ostendimus et 1. Phys. disp. 4. qu. 1. dicto 1.: ergo. Confirmatur. Nam si tale accidens distinctum auferat Deus a substantia, adhuc illa manebit in eodem loco in quo ante: ergo erit quanta sine tali accidente. Confirmatur 2. Quælibet substantia etc. est divisibilis ex se sine alio accedente: ergo quanta. Confirmatur 3. Nam res corporea distinguitur a re spirituali præciso quocunque accidente distincto ex natura rei. Sed non alio modo distinguitur quam quod res corporea sit extensa, spiritualis minime. Ergo.

Secunda sententia esse potest Suaresii citati in Logica qu. 1. De quantitate in quinta sententia, qui etsi cum Nominalibus non sentiat, putat tamen præter quantitatem ex natura rei distinctam a substantia, quamlibet rem seipsa esse extensam. Sed revera ut ibi diximus non probabiliter sentit. Tum quia Aristoteles et auctores ibi citati contrarium docent; tum quia talis extensio substantiæ v. gr., non differt a quantitate. Nullus enim effectus formalis assignari poterit quantitati destitutæ extensione in ordine ad locum, quem non habeat substantia per extensionem sibi identificatam. Nam quod ait, quantitatem esse radicem impenetrabilitatis, extensionis ad locum etc. verba sunt; eodem enim modo dicam illam extensionem propriam substantiæ v. gr. esse radicem illorum. Ideo quantitas potest esse radix harum proprietatum quia est extensa in ordine ad se et petit connaturaliter ita existere ut non sit tota in indivisibili. Ergo si substantia seipsa est extensa, eodem modo erit radix. Et confirmatur. Nam si substantia ut distincta a quantitate habet extensionem, revera omnes definitiones quantitatis continuæ assignatæ ab Aristotele convenient substantiæ, nam continuum

dicitur id quod est divisibile in ea quæ insunt etc. Sed in re clara non immoror. Argumenta vero pro Suaresio soluta sunt illa qu. 1.[1]

Dico primo. Datur accidens quoddam realiter distinctum a re quanta per quod formaliter habet res extensionem, ac proinde quantitas continua realiter differt a suo subjecto. Ita Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 2. sect. 2., Toletus 1. Phys. qu. 7., Pererius lib. 10. cap. 1. et sequ., Sotus in Logica cap. De quantit. qu. 2. et 4. dist. 12. qu. 1., Suarez disp. 40. Metaph. sect. 2. n. 8., Soncinas 5. Metaph. qu. 19., Durandus 4. dist. 4. et 12. qu. 1., div. Thomas 3. p. qu. 77. art. 2. et citati a Fonseca. Idem sentit Aristoteles 1. Phys. text. 13. ubi substantiam, quantitatem et qualitatem dicit non esse idem et text. 15. substantia et quantitas duo sunt ait, et 3. Metaph. text. 17. late disputat ostendens lineam, superficiem etc. non esse substantiam, et docet posse lineam et superficiem sine corpore esse, non vero corpus sine his. Idem docet Augustinus De Trin. cap. 10. ubi ait, aliud esse magnitudinem, aliud magnum, quod verum non est si quodlibet magnum seipsa est magnitudo.

Probatur ratione. Primo, si quælibet res seipsa est quanta, et sua quantitas: ergo cum in eodem loco sint multæ res quantæ, ut in eadem aqua frigus, perspicuitas, lumen, humiditas, forma et materia etc. sequitur naturaliter posse dari penetrationem dimensionum. At id omnino impossibile est, nam recte docet Aristoteles 4. Phys. 56. duo corpora impossibile est simul esse, et idcirco si admoveatur unum corpus alterum cedet ut text. 76. ait. Id autem non oritur ex substantia vel ex aliis accidentibus, sed ex sola quantitate, ita ut illa sit radix impenetrabilitatis, quod præclare probat Aristoteles 4. Phys. a text. 76. ubi ait quod si cubus separetur ab omnibus aliis rebus, adhuc occupabit tantundem loci quantum ante, et æque expellet aliud corpus e suo loco. Et ratio est clara. Nam hujusmodi impenetrabilitas non potest oriri ex ipsa substantia. Hoc enim modo materia et forma corporea non possent esse in eodem loco, si enim in eodem essent se penetrarent; et præterea quia licet species Eucharistiæ post transsubstantiationem sint sine subjecto, tamen in locum illarum non potest intrare aliud corpus extensum. Ergo sine substantia est hæc impenetra-

[1] Suarez disp. 40. sect. 4. n. 12. et 13. se explicavit. Ait enim se per hanc extensionem aliud non intelligere quam partium multitudinem et distinctionem. Et hoc verissimum est.

bilitas. Nec ex aliis accidentibus; nam plura accidentia simul sunt in eadem parte subjecti, ac proinde in eodem loco: ergo hæc repugnantia oritur ex sola quantitate, quæ non sit identificata ex natura rei cum re quanta.

Respondent Nominales: In primis solam quantitatem materiarum esse impenetrabilem, non vero quantitatem aliorum accidentium, vel etiam formæ substantialis. Alii volunt quamlibet quantitatem esse radicem impenetrabilitatis non respectu cujuscunque, sed solum respectu alterius solo numero distincti, et ita possunt duo entia specie distincta penetrari ut albedo et sapor etc., non tamen duæ albedines. Alii denique ajunt solas quantitates quæ per motum localem sibi approximantur esse impenetrabiles, non vero quantitates quæ sunt in eodem subjecto.

Hæ tamen responsiones frivolæ sunt. Prima quidem, nam in speciebus sacramentalibus est impenetrabilitas, ut sensu patet, et tamen nulla est materia. Præterea quia videmus si globus injiciatur in vas aqua plenum, tantum aquæ excludere quanta est quantitas globi, sive habeat plus materiæ, ut cum materia est densa, sive minus ut cum est rara. Ergo signum est totam istam repugnantiam oriri non ex materia, sed ex quantitate. Et ideo dixit Aristoteles supra quod si omnia auferantur a cubo, adhuc erit impenetrabilis. Secunda responsio etiam refellitur. Nam quantitas plurium accidentium non distinguitur specie; omnino enim superfluum est ponere tot quantitates specie distinctas quot sunt res specie distinctæ: ergo si sunt simul se penetrant. Præterea plures gradus qualitatis sunt in eodem subjecto, et eorum graduum quantitates sunt ejusdem essentiæ sicut et gradus caloris: ergo saltem ibi est penetratio. Denique saltem species sacramentales penetrare possent coelos, si illis admoverentur, cum non sint in cœlo accidentia solo numero diversa ab accidentibus specierum, sed etiam specie. Tertia denique responsio refellitur. Nam ideo unum corpus per motum localem alteri non potest fieri intime præsens, quia habet vim per quam resistit unum corpus ne aliud sit in eodem loco: ergo cum hanc eandem vim habeat licet non per motum localem fiat præsens illi, resistet ne producatur in eodem loco alia quantitas. Unde Aristoteles 2. De anima text. 69. lumen ait non esse corpus, quia cum ipsum sit in corpore, essent simul duo corpora quod impossibile est. Eodem argumento 1. De anima text. 71. probat animam non esse corpus. At secundum illam responsionem

nihil absurdi esset si duo corpora se penetrarent dummodo non per motum localem sibi appropinguent.

Ex quo etiam refellitur eorum sententia, qui volunt solas quantitates earum rerum quarum una non potest alteram informare, habere impenetrabilitatem. Nam anima potest informare et tamen si esset corpus penetraret aliud; et præterea species sacramentales possunt materiam informare, non tamen possunt penetrare quantitatem materiæ. Ex quo argumento constat dari accidens distinctum a subjecto per quod res fiat impenetrabilis; quia tamen ut infra ostendemus hoc accidens est sola extensio in ordine ad locum, quæ revera habet rationem et essentiam quantitatis, idcirco hoc argumento non convincitur dari extensionem aliquam distinctam ab extensione in ordine ad locum, quæ distinguitur a re extensa. Sed in præsenti sufficit nobis, aliquam quantitatem realiter distingui a re quanta, infra enim ostendemus non solum quod extensio in ordine ad locum sit vera quantitas, verum etiam quod præter illam dari debeat extensio in ordine ad se, quæ sit subjectum accidentium etc.

Probatur secundo conclusio. In hostia consecrata manet quantitas quamvis non maneat substantia: ergo quantitas a substantia realiter distinguitur, nam quorum unum realiter existit altero per desitionem propriæ entitatis corrupto, distinguuntur realiter. Et eodem argumento constat quantitatem non solum ut modum a re, sed ut rem a re distingui, siquidem ut supra diximus modus non potest existere sine actuali modificatione. Certum autem est, substantiam non esse modum quantitatis: ergo quantitas esset modus etc. Respondent Nominales: non manere quantitatem panis, sed qualitatem aliorum accidentium quæ sunt idem re cum illis. — Contra est, non solum quia hæc responsio admittit penetrationem plurium quantitatum ut ostendimus, verum etiam quia accidentia specierum debent habere subjectum cui connaturaliter insint. Hoc autem non est nisi quantitas panis, siquidem corpori Christi non inhærere accidentia, de fide est. Major probatur eodem modo quo 1. Phys. disp. 2. qu. 5. dicto 4. Nisi enim inhæreant alicui subjecto e cujus potentia agens naturale producat novum accidens, non possent ulla accidentia produci ab agente naturali in speciebus nec præcedentia corrumpi aut intendi, revera enim crearentur et annihilarentur. Et præterea quia est physica unio inter accidentia specierum, ratione cujus uno moto moventur omnia et non separantur in motu; nulla autem alia esse potest unio, nisi quia cetera acci-

dentia insunt quantitati tanquam uni subjecto. Hæc autem quantitas subjectans accidentia non est extensio in ordine ad locum ut infra ostendam: ergo præter extensionem in ordine ad locum, datur quantitas distincta realiter in re quanta.

Respondent Nominales: sicut destructis speciebus Deus creat materiam ex cujus potentia educitur forma vermis, sanguinis etc., ita ex Dei institutione præsente contrario annihilat Deus accidens specierum, non conservando illud, et novum accidens creat simile illi quod produceret agens naturale si adesset subjectum. Contra hoc non est argumentum evidens, cum possibile sit hoc fieri, nec habeamus revelationem quod non ita fiat. Verumtamen omnino improbabiliter multiplicantur tot miracula sine ulla necessitate, maxime cum tota hæc responsio gratis dicatur, sine revelatione enim de Dei voluntate divinare, fingere est, et ideo recte div. Thomas 3. p. qu. 77. art. 2. dixit quantitatem panis esse subjectum aliorum accidentium.

Iisdem rationibus ostenditur quantitatem non solum a substantia sed et a qualitatibus distingui, nam corruptis nunc his, nunc illis accidentibus eadem quantitas remanet. Et similiter posset qualitas sine quantitate conservari, cum non sit illi essentialis unio cum quantitate, nec magis dependeat ipsa a quantitate quam quantitas a substantia. — Ad fundamentum Nominalium patet ex Logica, ubi ostendimus habere quidem quamlibet rem materialem partes ex se, non tamen extensionem; in quo autem consistat extensio in ordine ad se, ibi diximus. Ad confirmationem in solutione primæ objectionis dictum et late Fonseca cit. sect. 3. ad 4. Ad secundam confirmationem: divisibilitas secundum partes quarum una est extra aliam, solum quantitati per se et ejus ratione convenit aliis. At vero si per divisibilitatem intelligatur quælibet partium separabilitas, hæc convenit etiam substantiæ et accidentibus spiritualibus. Ad tertiam confirmationem. Res corporea non ideo distinguitur a spirituali quod corporea habeat partes, vel extensionem, spiritualis non, nam in primis res spiritualis habet partes ut habitus etc. et aliquando res corporea nullas habet ut patet in puncto, et quamvis habeat partem, extensionem tamen partium nullam habet, nisi quantitatis per quam formaliter extenditur. Ens ergo spirituale si sit permanens (nam de successivo ut duratione etc. infra dicetur) differt a corporeo, quia spirituali ex natura rei repugnat esse partim in una loci parte, partim in alia, sed ubi-

cunque est aliquid ejus, totum est. Et præterea illimitato modo est in loco, ita ut coexistere possit loco divisibili et indivisibili. Ens vero corporeum naturaliter est tale ut ei non repugnet esse partim in una loci parte et partim in alia, vel si id repugnet ut repugnat puncto, non potest coexistere spatio divisibili. Et in hoc consistit discrimen rei spiritualis a corporea in communi. Substantia vero corporea a spirituali differt quod illa habeat partes et postulet quantitatem per quam extendatur, quod spirituali non convenit.

Dico secundo. Quantitas etsi sit proprietas corporis naturalis, immediate tamen ex sola materia resultat et illi soli inhæret, atque ita ratione materiæ convenit composito, sicut esse rationale convenit homini solum ratione animæ. Probatur. Nam quod sit passio corporis naturalis omnes consentiunt; quod immediate soli materiæ inhæreat 1. Phys. disp. 2. qu. 5. dicto 2. ostendimus ubi etiam ad 4. probationem tertii argumenti respondentes explicavimus quo modo per hanc quantitatem forma substantialis et reliqua accidentia extendantur. An vero materia producat quantitatem tanquam propriam passionem 1. Phys. disp. 3. qu. 3. in fine diximus.

QUAESTIO SECUNDA.

An sint partes actu et realiter inter se distinctae in quantitate continua.

Ostendimus locis citatis substantiam corpoream ex se habere partes substantiales, et præterea quantitatis essentiam in eo sitam ut habeat partes extra partes, et ratione illius una pars substantiæ fiat extra aliam; nunc videndum est, an hæ partes sint actu vel tantum potentia.

Prima sententia est dicentium nullas dari partes actu in continuo, sed tantum potentia, ac proinde nec distinctas inter se realiter, sed tantum possibiles per designationem vel per divisionem fieri actu. Ita Pererius lib. 10. cap. 9. ad 3., Ferrariensis 3. Phys. qu. 8., Javellus qu. 10.; favet div. Thomas 4. dist. 10. qu. 1. art. 3.

Probatur primo auctoritate Aristotelis. Is enim 8. Phys. text 68. continuo ait insunt quidem infinita dimidia, sed non actu verum potentia; idem 3. De anima text. 23., 5. Metaph. text. 31.

Aristotelem sequuntur peripatetici, ut Averroës 8. Metaph. text. 68. respondens ad argumentum Zenonis et alii interpretes.

Secundo probatur ratione. Nam si sunt actu partes in continuo et realiter inter se distinctæ, vel erunt finitæ, vel infinitæ. Non finitæ, nam ut qu. 4. ostenditur quantitatis quælibet pars est semper divisibilis et quanta, ac proinde quælibet ex illis partibus finitis habet alias partes, vel certe tandem admitti deberent partes quæ non componerentur amplius ex aliis partibus sed essent simplices, incompositæ et indivisibiles, quod ne admittatur concedendum est quantitatem constare partibus pluribus quocunque finito, ac proinde infinitis. At impossibile est ut constet partibus infinitis actu. Ut enim omittam argumenta quibus infra probatur infinitum esse impossibile, si sunt infinitæ partes actu in continuo, sequitur primo. Quamlibet quantitatem esse infinitæ magnitudinis et occupare infinitum spatium, nam divisibile additum divisibili facit majus: ergo si infinita divisibilia addantur aliis divisibilibus facient infinitam molem. At si sunt partes infinitæ in continuo quarum quaelibet habet determinatam quantitatem, ita fit. Et præterea cum una harum partium occupet aliquem locum diversum ab eo quem altera pars occupat, habebit aliquam determinatam distantiam ab alia, et occupabunt locum infinitum. Dices: Non esse partes æquales infinitas, sed tantum partes proportionales, et ideo non efficerere infinitam molem, nec infinitum locum occupare. Contra est, nam si sunt infinitæ partes proportionales erunt etiam infinitæ æquales, nam in quolibet continuo sunt duæ medietates æquales actu, in qualibet medietate aliæ duæ iterum æquales: ergo sunt plures partes æquales, quolibet numero finito partium æqualium: ergo infinitæ. Confirmatur. Nam si continuum esset divisum in omnes partes, essent infinitæ partes æquales in quas divisum esset: ergo cum omnes illæ sint de facto, erunt infinitæ æquales. Confirmatur 2. Nam hæ partes proportionales infinitæ si non sunt æquales: ergo erunt inæquales, quod fieri non potest, nam ex partibus inæqualibus quæ major est aliquo excessu determinato superat minorem. Sequitur secundo. In grano sinapis totidem esse partes proportionales quot in coelo, et partem esse æqualem toti in numero partium siquidem in qualibet parte sunt infinitæ partes, infinito autem nihil est majus. — Sequitur tertio argumentum Zenonis quod adfert Aristoteles 6. Phys. text. 19. convincere nullum dari motum. Nam infinitæ partes spatii finito

tempore transiri non possunt. At si partes sint actu infinitæ et concedamus per asserem moveri lignum, infinitas partes asseris finito tempore transiret lignum. Et confirmatur. Nam si infinitæ partes spatii diversæ essent non posset finito tempore transire mobile per illud, singulas partes spatii tangendo. Ergo licet illæ partes medii sint unitæ non transibit, cum non minorem extensionem habeant unitæ quam non unitæ.

Tertio probatur. Nam partes continui non sunt determinatæ in se: ergo non distinctæ ab aliis, cum ex determinatione in se oriatur distinctio ab aliis. Similiter non habent ullam figuram, neque enim est major ratio cur quælibet pars hanc potius quam illam figuram habeat: ergo cum quantitas sine figura existere non possit, non dantur tales partes.

Quarto probatur. Si continuum componitur ex partibus: ergo essentialiter ex illis componitur, ac proinde partes essentialiter sunt partes: ergo nulla earum poterit esse per se totum et unum hoc aliquid. Prima consequentia probatur. Quia si quantitas non componitur ex partibus quarum quælibet sit essentialiter pars, ex pluribus entibus actu componitur, et ita erit unum per accidens.

Quinto. Pars debet esse magis una in se quam cum alia parte; sed nulla pars continui ante divisionem vel designationem est magis una in se quam cum alia parte, nam quælibet pars continui ideo est una in se quia est continua. Sed per continuationem quælibet item pars est una cum alia: ergo non est magis una in se quam cum alia parte.

Secunda sententia est: In continuo dari actu partes easque inter se ex natura rei seu realiter distinctas. Ita sentit Alexander quem refert Simplicius 1. Phys. in text. 16. ubi partes continui et a se invicem et a toto ait esse diversas; si enim inquit continuum idem est cum partibus eæ quoque idem erunt inter se quod absurdum est. Et addit quod si partes dissimilares, licet sint inter se continuæ, non tamen dicuntur esse idem cum aliis partibus ut manus cum pede, ita quoque partes similares, licet continuæ sint, non erunt idem. Idem Gregorius 2. dist. 2. qu. 1. art. 1. concl. 2. ubi duo probat, quod scilicet cujuslibet magnitudinis partes sint actu plures et quod sint infinitæ. Fonseca etiam 5. Metaph. cap. 6. qu. 7. sect. ult. partes heterogeneas continui ait realiter distingui, et cap. 1. qu. 3. sect. 3. partes ejusdem continui realiter distinctas ait. Estque Aristotelis 1. Phys. text. 17. ubi continuum

ait multa esse ratione partium quas scilicet habet, 6. Phys. text. 85. in sphæra cum movetur ait partes sphæræ semper mutari cum altera in alterius locum succedat, et text. 34. partes motus diversas ait esse in partibus diversis mobilis; et 5. Metaphy. text. 18. quantitatem ait esse quod est divissibile in partes quæ insunt: ergo partes censet esse in continuo, et text. 31. continuum ex pluribus inexistentibus fieri ait.

Dico primo. Dantur in continuo partes distinctæ realiter. Probatur primo. Quæ semel sunt idem realiter impossibile est ut unquam distinguantur realiter. Sed quælibet duæ partes quantitatis possunt esse distinctæ realiter. Ergo etiam cum unum continuum componunt non sunt idem realiter. Major patet. Nam idem non corruptum semper manet idem: ergo eadem entitas realis non potest non semper esse eadem entitas realis. Sed quæ possunt esse distincta realiter, possunt esse diversæ entitates realiter: ergo quæ possunt esse diversa realiter, non possunt esse eadem realiter. Minor probatur. Nam facta divisione continui una pars realiter differt ab alia: ergo sicut potest dividi continuum, ita possunt ejus partes realiter distingui inter se.

Secundo probatur. Quæ semel distinguuntur realiter, si permaneant quamvis uniantur, manent distincta realiter; sed duæ guttæ aquæ discontinuæ et consequenter earum quantitates sunt realiter distinctæ: ergo licet uniantur, realiter distinguuntur. Minor est notissima. Major probatur. Nam quælibet res seipsa et sua entitate distinguitur ab alia realiter et non per aliquid superadditum, ut disp. 2. De univers. qu. 2. dub. 2. in fine diximus; quæcunque enim addita entitati non faciunt eam realiter distingui ab alio. Unde licet idem homo diversa accidentia habeat realiter est idem, quamvis accidentaliter differat a seipso, eo quod accidentia quæ in se habet distincta sunt realiter ab invicem per suas entitates intrinsecas: ergo quamdiu retineant eandem entitatem quam ante habebant, distinguuntur realiter post unionem non minus quam ante ut patet in anima rationali et materia et in partibus formæ v. gr. ignis quæ ex eodem ligno continuo producitur, et tamen certum est eas partes formæ realiter distingui cum una producat aliam. Ergo quamdiu manet eadem realitas et entitas per quam distinguebatur, licet uniantur, manebit distinctio. Sicut ergo ut recte dicebat Alexander partes heterogeneæ etiam unitæ remanent distinctæ realiter, quia retinent suam entitatem, ita homogeneæ. Et idcirco

majorem hujus syllogismi puto esse principium primum. Et hoc argumento non solum probatur partes continui quæ semel fuerunt separatæ, distingui realiter, sed eas etiam quæ nunquam fuerunt separatæ; nam etiam illæ eædem, si fuissent divisæ et postea iterum conjunctæ, realiter distinguerentur: ergo cum eandem habeant entitatem etiamsi nunquam fuerint divisæ, quam haberent si fuissent divisæ, æque distinguuntur.

Confirmatur 1. Nam ea distinguuntur realiter quæ ita se habent ut uno eorum realiter corrupto, alterum realiter existat, ut late probavimus in Logica et habet Aristoteles 7. Top. loc. 3. Sed partes continui ita se habent. Ergo. Confirmatur 2. Nam omnia signa ex quibus colligitur aliqua realiter distingui, in partibus reperiuntur. In primis enim quæ possunt contraria suscipere in gradibus intensis ea dicimus distincta esse; contraria enim in summo excludunt sese mutuo ab eodem subjecto. Sed in duabus partibus continui possunt duæ qualitates esse in summo. Similiter quæ diversum locum occupant distinguuntur; idem enim non potest a se distare et esse in pluribus locis realiter; una autem pars continui occupat locum diversum ab alia parte. Deinde quando unum potest moveri altero quiescente, vel unum movetur motu contrario illi quo movetur alterum, realiter distinguuntur. At id fit in continuo; moto enim brachio vel calefacto, quiescit vel frigescit pes etc. Denique quæ distinctas habent figuras, distincta sunt; et item quorum unum est in subjecto alterum non, distinguuntur. At si vino consecrato admisceatur non consecratum, vel si sacerdos habeat duntaxat intentionem consecrandi mediam partem hostiæ, id accidet. Ergo. Nec adversarii possunt majora signa realis distinctionis adferre.

Respondent aliqui: Partes continui distingui realiter per designationem, quæ non solum digito vel intellectu fit, sed etiam a diversis accidentibus, si tamen omnis accidentium diversitas tollatur non distinguuntur. Contra est, nam sicut unitas cujuslibet rei est sua propria entitas, ita etiam distinctio ab alio quam habet per suam unitatem: ergo impossibile est unitatem aut distinctionem rei variari invariata entitate. Quod autem quælibet res sua entitate sit una ostendimus late in Logica loco cit. et disp. De quantitate qu. 4. circa 1. dicto 2.

Dico secundo. Hæ partes quas realiter inter se distinctas esse diximus, non sunt potentia, sed actu in continuo. Probatur primo. Continuum non est aliquod simplex ens, omni compositione partium

carens: ergo est aliquid actu compositum ex partibus: ergo habet partes actu. Antecedens patet, tum quia si quodlibet continuum est aliquod simplex, nulla erit compositio ex partibus integrantibus; revera enim ubi est simplicitas, non est compositio, hæc enim opponuntur. Tum quia ratio quantitatis est habere partes: ergo in essentia illius includitur compositio ex partibus, ac proinde non est aliquid simplex omnino sed totum quoddam partibus constans. Consequentia probatur. Quia si est aliquod compositum actu: ergo ejus partes sunt actu; totum enim actu non potest constare ex partibus tantum possibilibus et non actu existentibus. Ratio a priori est, quia compositio essentialiter est distinctorum unio, et in hoc differt a simplicitate: ergo compositum quod a compositione dicitur erit unum constans pluribus distinctis, ac proinde si compositum est actu et reale et non solum per intellectum, habebit partes actu et realiter componentes, vel si illas non habet, non est actu compositum, nec divisibile in ea quæ insunt, contra Aristotelem. Confirmatur, nam entitas partium semel diversarum si uniantur non corrumpuntur sed manent actu, nam ut supra ostendi per solam unionem non possunt corrumpi, sed non manet quælibet illarum entitatum actu quantitas totalis: ergo partialis, et consequenter quælibet illarum est actu pars. Minor patet, nam v. gr. quantitas capitis in homine est vera quantitas, et non tota quantitas hominis: ergo erit pars quantitatis hominis. Nec supponit hoc argumentum dari partes actu in quantitate ut dicunt adversarii, nam certum est ante ullam designationem dari entitatem quantitatis in capite, et eam non esse totam quantitatem hominis.

Secundo probatur. Omne quod est potentia tale, aliquando erit, vel saltem non implicat quominus aliquando sit actu tale, nam possibili posito in actu nihil debet sequi absurdi ait Aristoteles 7. Phys. text. 9.; sed partes continui nunquam possunt esse actu partes, si non sint partes actu cum sunt in toto continuo: ergo cum aliquando sint actu partes, erunt et tunc cum in continuo existunt. Minor probatur. Nam certum est, non esse tunc actu partes cum sunt divisæ, ut optime ait Toletus 6. Phys. qu. 1. concl. 3. licet male contrarium doceat Zimara Theorem. 20., tum quia post divisionem nulla est pars actu, sed quælibet est hoc aliquid, et unum totum per se, nam ut Aristoteles illo 5. Metaph. citato ait quantitatem divisibilem esse in ea quorum unumquodque est hoc aliquid et

totum; tum quia si post divisionem primum est pars: ergo continuum quod dividitur non erat aliquid compositum ex partibus, siquidem compositum nil aliud est quam partes unitæ, ac proinde si nullas habebat partes actu ante divisionem, non fuit compositum actu ante divisionem; tum denique quia per divisionem partium totum corrumpitur; at impossibile est ut aliquid sit actu pars ejus quod non est actu, essent enim partes reales non entis. Nec est ratio cur quælibet sit pars totius corrupti quam cujusvis alterius; sicut enim illa pars composuit id quod corruptum est, ita poterat quodlibet aliud totum componere. Nec per designationem fiunt partes actu, ita ut tunc solum sint partes cum designantur et non alias. Tum quia secundum hanc responsionem tollitur ratio continui, quæ in eo consistit ut sit totum integrum compositum ex partibus ejusdem rationis etc.: ergo si ante designationem non sunt partes, nec est continuum. Tum quia illæ entitates quas ostendimus in quantitate esse realiter distinctas, ante omnem designationem sunt unitæ: ergo sunt actu pars, nam pars actu est quod unitum alteri causat totum, nec alio modo fit aliquid pars actualis quam per unionem. Dicere autem quod ante designationem non sunt unitæ seu continuatæ illae partes, falsissimum est, non solum quia per designationem, maxime si hæc fiat per intellectum, produci non potest realis unio, cum intellectio non immutet realem rerum existentiam, verum etiam quia cum agens unit aliquid cum alio, producit aliquid, ac proinde unio est terminus actionis continuatione ut infra dicetur. Tum denique quia illa designatio est sola extrinseca denominatio, per quam nihil reale producitur. Et sane si designatio nostri intellectus sufficit ad hoc ut sint partes actu, etiam designatio intellectus divini sufficit, ac proinde cum Deus semper et necessario cognoscat omnes partes, erunt actu partes, et tunc æque coguntur adversarii solvere sua argumenta ac nos.

Respondent Soncinas et alii: Partes continui non esse actu partes cum sunt in toto, quia existunt existentia continui. Alii respondent non idcirco dici continuum constare partibus potentia, quasi illæ partes possint esse actu partes continui, sed quia constant partibus in potentia, non quidem continui, sed numeri discreti, i. e. quæ possunt esse actu partes numeri, licet nunquam possint esse partes continui. Sed revera haec absurdissima sunt. In primis enim secundum Soncinatem etiam materia existit existentia totius et tamen est pars actu; deinde per designationem non accipiunt

aliam existentiam, tamen fiunt actu partes; denique alibi ostendimus existentiam re ipsa idem esse cum entitate rei, ac proinde si entitates sunt distinctæ realiter, etiam existentias esse distinctas, et quemadmodum totum non est aliud quam partes unitæ, ita nec existentiam totius esse distinctam ab existentia omnium partium unitarum. Secunda vero responsio, præterquam quod sit aperte contra Aristotelem illo 5. Metaph., aperte falsa est. Nam ut dixi de ratione compositi est non esse aliquid omnino simplex, sed partibus constare; continuum autem est compositum. Præterea entitates quantitatis quas in quolibet continuo realiter distinctas esse ostendimus, unitæ sunt inter se ante divisionem: ergo actu partes componentes totum. Et hæc argumenta sicut probant duas partes v. gr. continui esse distinctas, ita similiter ostendunt omnes partes esse actu partes realiter distinctas.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondeo cum Soncinate 10. Metaph. qu. 14. notabili 2., Suarez 3. p. tom. 3. disp. 52. sect. 3. initio, Occamo 2. qu. 8. ad 4. arg., Gregorio 1. dist. 44. qu. 4. art. 7. concl. 1. quando Aristoteles et alii auctores ipsius modum loquendi secuti dicunt in continuo esse partes potentia non actu, non ita id intelligunt ut non habeat actu partes sed per solam designationem vel divisionem fieri actu partes, verum solum volunt, nullam partem dum est pars, esse actu hoc aliquid, sed tantum potentia, hoc est non esse unum totum indivisum in se et separatum a quolibet alio (sic enim sumimus in præsenti hoc aliquid, et non ut in cap. De substantia) quod ipsemet Aristoteles explicans 5. Metaph. text. 18. ait continuum divisibile esse in ea quæ insunt quorum quodlibet aptum est esse, aliquod scilicet totum integrum, ut ipse explicat. Licet ergo secundum Aristotelem partes in continuo sint actu realiter distinctæ, non sunt tamen actu hoc aliquid. Præterea vult Aristoteles non esse in continuo partes actu efficientes numerum prædicabilem qui ex solis divisis continuis fit, licet revera efficiant numerum transcendentaliter, qui non ex sola divisione continui resultat, quomodo caput et cor dicimus esse duo membra præcipua animalis etc. Eodem modo intelligitur Aristoteles 3. Metaph. text. 17. cum ait dimidium lineæ esse in linea, sicut Mercurium in ligno; solum enim vult dimidium lineæ esse actu partem, licet solum in potentia sit aliquod totum. Illo vero 7. Metaph. nomine entis actu, intelligit ens completum quod non possit esse pars alicujus totius ut per se patet.

Ad secundum argumentum, quia multa exigit cognoscenda quæ sequenti quæstione explicantur, respondebimus qu. 3. post. 2. concl.

Ad tertium respondeo. Quælibet pars proportionalis continui est in se determinata in entitate, et realiter distincta a qualibet alia parte, licet hæ partes signari non possint. Quod vero ad figuras attinet, existimo probabilissimum esse, omnes species figurarum possibiles actu reperiri in quolibet corpore; imo in qualibet superficie dari omnes species figurarum quæ ex lineis confici possunt, et in quolibet corpore omnes species figurarum possibiles confici ex superficiebus, siquidem omnes lineæ quæ in qualibet superficie duci possunt, actu reperiantur, ac proinde constituant fuguras. Id quod etiam adversarii concedere debent, nam per solam designationem, vel occultationem partium aliquarum nihil de novo producitur, et tamen si in corpore quadrato occultentur omnes partes a quibus ad centrum ducta linea longior futura erat, circularis figura remanebit, hæc cum per solam occultationem producta non sit, ante præerat. Similiter per designationem quælibet figura reperietur in continuo, et tamen per designationem nihil producitur. Verum tamen est, figuras non semper effici a superficiebus vel lineis terminativis, sed etiam a continuativis, de quo plura infra.

Ad quartum. Concedo continuum essentialiter esse compositum ex partibus, non tamen est de essentia continui ut ex his vel illis partibus determinate componatur, sed ex his vel illis indeterminate, quarum partium quælibet includit essentiam quantitatis in communi, quod etiam accidit in omnibus totis homogeneis. Ex his tamen non sequitur quamlibet partem essentialiter esse partem, nulla enim pars determinata continui essentialiter est pars, sed solum essentiale est illi ut possit esse pars, et ita quando non componit est aliquod totum, et natura completa continens totam essentiam quantitatis non minus quam totum quod componebat; quando vero actu incipit componere, desinit esse tota quantitas et incipit esse pars unius totius, quod idem est in omnibus partibus integrantibus. Licet ergo partes essentiales, i. e. quæ constituunt unam essentiam diversæ rationis a qualibet parte, essentialiter sint partes et entia incompleta ut 1. Phys. disp. 1. qu. 1. in 2. suppositione diximus, id tamen non convenit partibus integrantibus etiam substantialibus quales dari ostendimus 1. Phys. disp. 4. qu. 1. dicto 1. Quæ autem intelligantur entia in actu ex quibus unum fieri non potest, ad 1. diximus.

Ad quintum. Dupliciter aliquid dicitur continuum. Primo quia est continuatum alteri quomodo brachium dicimus esse continuum humeris, abscissum vero non esse continuum, et hoc modo quælibet pars quantitatis dicitur continua alteri denominative et non essentialiter. Secundo dicitur continuum aliquid, non quia est continuatum alteri, sed quia in se includit continuationem et partes continuatas, quomodo homo dicitur continuum quid, licet sit totum quoddam divisum a qualibet alia re, nec proinde continuum primo modo. Jam ergo nego minorem illius argumenti. Ad probationem. Si sensus sit: ideo quamlibet partem quantitatis esse unam quia est continua primo modo, i. e. alteri continuata: nego assumptum, non enim aliqua pars est una in se quia continuata alteri, sed quia est in se continua secundo modo. Cum vero additur quamlibet partem esse unam cum alia per continuationem, seu quia est continuata cum illa, concedo id quidem, verum inde non sequitur non esse magis unam in se illam partem, quia ut diximus pars est una in se non quia continuatur cum alia parte, sed quia in se est continuata.

QUAESTIO TERTIA.

An continuum componatur ex indivisibilibus, an ex semper divisibilibus, ac proinde infinitis partibus actu.

Quæstionis sensus est: an partes illæ quas actu diximus esse in continuo sint ejusmodi, ut omnis magnitudinis et divisionis expertes sint, an vero nulla sit pars continui quæ non habeat aliam partem ex qua componatur, ut v. gr. an linea componatur ex punctis quibusdam indivisibilibus, superficies ex lineis quæ indivisibiles sunt secundum latitudinem, corpus ex superficiebus quæ secundum profunditatem sunt indivisibiles, tempus ex instantibus sibi succedentibus. Illud tamen antequam rem explicemus hic memoria retinendum quod Aristoteles libello de lineis non multo ante medium ait, imbecillis animi esse argumentis quibus non adeo clare possit satis fieri, se a veritate abduci permittere, ut in majores difficultates immergatur. Revera enim, si usquam alibi, in quantitate multa occurrunt quæ vix credibilia viderentur nisi evidenter demonstrarentur, maxime cum argumenta contra veritatem

allata probabiliora sæpe videantur veris rationibus ut Aristoteles ait 8. Top. loco 70.

Prima ergo sententia non solum veterum quos refert Aristoteles 6. Phys. initio, ibique Simplicius et alii, sed etiam juniorum quorundam teste Toleto 6. Phys. qu. 1. in argum. 10. qui volunt lineam componi ex punctis, superficiem ex lineis etc., et Gregorius 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. ad 1. ait multos suo tempore idem sensisse, quæ sententia

Probatur primo. Corpus perfecte sphæricum planum non tangit nisi in puncto, ut sequenti quæstione ostendemus; si ergo moveatur per planum, cum transeat totam longitudinem plani, nec tamen unquam tangat nisi puncta, longitudo plani solum erit ex punctis juxta se positis. Confirmatur. Aristoteles 6. Phys. text. 89. ex eo probat indivisibile non posse moveri quia prius debet transire spatium sibi æquale, quam majus, et ita indivisibile prius deberet transire indivisibile quam divisibile, ac proinde spatium per quod moveretur componeretur ex indivisibilibus. At eadem argumentatione colligitur plani longitudinem per quam movetur sphæra esse ex punctis. Ergo. Confirmatur 2. Si ponatur virga partim in aqua, partim in aëre, superficies extima aquæ tangit in indivisibili aliquam lineam in virga, et superficies aëris tangit aliam immediate sequentem: ergo in superficie baculi sunt duæ lineæ immediatæ, et eadem ratione possunt esse infinitæ, atque ita ex illis componetur quantitas virgæ.

Secundo. Deus potest hoc instanti creare unum angelum, et immediate post alium non in tempore quia non creat partem post partem sed totum simul: ergo in instanti, et eodem modo post illud instans immediate potest creare alium, et sic in infinitum: ergo tota duratio qua hujusmodi sibi succedentes creationes fierent, constant instantibus.

Tertio sic argumentantur quidam apud Gregorium: Vel inter primum punctum lineæ et quodlibet aliud intercedit aliquid, vel nihil; si secundum: ergo linea non est nisi multa puncta. Si primum: ergo id quod intendit erit linea: ergo habebit partes continuatas, ac proinde puncta continuantia.

Quarto. Potest divina virtute quodlibet continuum in omnes partes suas dividi. At quælibet harum partium divisarum esset indivisibilis; si enim divisibilis esset, non esset divisum in omnes partes: ergo cum ex iis fuerit compositum continuum, ex indivisi-

bilibus constabat. Major probatur. Tum quia continuum est divisibile in infinitum, nec ulla pars continui est quæ non sit divisibilis: ergo nulla est pars in continuo quæ a quacunque alia non sit separabilis per divisionem; si autem divisibile est: ergo cum possibili posito in esse nihil sequatur absurdi, poterit dividi in omnes partes. Tum quia una illarum partium non est de essentia alterius, et quælibet est extra aliam: ergo poterit Deus cessando conservare uniones illarum dividere continuum in omnes partes, ita ut eæ solum maneant contiguæ. Et confirmatur. Nam dividat Deus in hoc instanti continuum in omnes partes in quas potest dividere, tunc nulla ex partibus remanentibus est divisibilis amplius, quia non est potentia a qua dividatur: ergo indivisibilis. His non obstantibus

Dico primo. Continuum non componi ex indivisibilibus, sed ex divisibilibus, atque ita linea non ex punctis, sed ex lineis minoribus et minoribus componitur. Ita Aristoteles 6. Phys. initio et omnes ejus interpretes ibi; Conimbricenses 6. Phys. cap. 2. qu. 2., Pererius lib. 10. cap. 12., Toletus 6. Phys. qu. 1., Sotus qu. 1., et omnium optime Gregorius 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. concl. 1. a quo fere omnia argumenta sumpsere juniores; ibidem Scotus qu. 9., Durandus qu. 4. etc.

Probant aliqui hanc conclusionem primo. Quia indivisibilia quæ componerent quantitatem deberent esse indistantia et se mutuo tangere; tangerent se non secundum aliquam partem, sed secundum se totum, siquidem non habent partes, ac proinde unum punctum totum esset intime præsens alteri et occuparet eundem locum penitus cum alio, non minus quam si duo corpora se penetrarent: ergo omnia simul puncta licet sint infinita non plus spatii occupabunt quam unum punctum, ac proinde nullam haberent extensionem ad locum. Hoc argumentum demonstrare ait Suarez disp. 40. sect. 5. n. 35. Deinde sequeretur ajunt diametrum quadrati esse æquale lateri seu costæ, cujus oppositum demonstrat Euclides lib. 10. propos. ultima. Sequela patet. Nam a quolibet puncto lateris quadrati si ducantur lineæ ad aliud latus, omnes illæ transibunt per omnia puncta diametri, nec ullum punctum diametri remanebit per quam non sit ducta linea, siquidem lineæ illæ totam aream seu spatium quadrati replent, ubi tamen est diameter. Eodem modo sequeretur circulum viciniorem centro et remotiorem ab illo esse æquales, quia si a quolibet puncto circuli

exterioris ducatur linea ad centrum, transibunt singulæ lineæ per singula puncta circuli minoris, nec fieri potest ut duæ lineæ æquales ductæ a circulo exteriori ad centrum, in ullo puncto conveniant præterquam in centro.

Addunt varias adhuc alias rationes, supponentes auctores primæ sententiæ velle lineam componi ex punctis finitis, quæ tamen argumenta nihil probant si dicatur non posse componi nisi ex punctis infinitis, sicut nos cogimur dicere non posse componi continuum nisi ex partibus proportionalibus infinitis, ita ut impossibile sit ex finitis partibus proportionalibus v. gr. ex decem tantum et non pluribus componi continuum. Prima etiam illa argumenta plausibiliter solvi possunt. Sicut enim qui admittunt indivisibilia continuativa in quantitate, fateri debent punctum sequi immediate post partem divisibilem, et illi esse deinceps, nec tamen sequitur esse intime præsens parti divisibili ut concedit Suarez illa disp. 40. sect. 5. n. 67., siquidem ipsum continuativum est indivisibile quod non potest esse in spatio divisibili, ita dicere quis posset puncta componentia continuum non esse sibi intime præsentia, sed esse deinceps, ita tamen ut seipsis uniantur vicissim, sicut nos dicemus de punctis continuativis inferius. Ad secundum etiam responderi posset eo modo quo quæstione 4. dicemus, nempe plures partes, et plura indivisibilia respondere paucioribus ob solam diversam positionem et situm diversum ut ibi latius dicetur. Ex quibus soluta manent omnia argumenta Conimbricensium.

Probatur ergo conclusio primo. Si linea componitur ex punctis, vel ex finitis vel ex infinitis. Si ex finitis, tunc optime procedunt argumenta allata a Conimbricensibus, scilicet ex eo sequi non quamlibet rectam lineam posse dividi in duas partes æquales, nam linea trium punctorum non potest ita dividi nisi aliquod punctum etiam dividatur, ac proinde punctum sit divisibile. Item non posset super qualibet data recta construi triangulum æquilaterum, siquidem super lineam trium punctorum non posset construi. Vel enim latera supra basim posita distarent inter se, et cum non possent minus distare quam spatio quod occuparet punctum, distarent tantumdem quantum anguli in basi inter quos solum punctum intercipitur, et ita essent illa latera parallela nec unquam concurrerent ad angulum efficiendum; vel illa latera non distarent et sic non erunt latera sed in illis finietur triangulus. Eodem modo ostenditur supra lineam duorum punctorum non posse constitui trian-

gulum, et plurimas alias demonstrationes habet Gregorius quibus efficaciter ostenditur hæc pars. — Si ex infinitis tantum, contra est: quia omnis pars quantitatis debet esse talis ut si addatur alteri parti, faciat majus, sed nullum indivisibile est tale ut additum alteri faciat majus: ergo nullum indivisibile est pars quantitatis. Major probatur. Nam qualibet parte quantitatis addita alteri parti, fit totum ex duabus illis partibus; sed omne totum est majus sua parte: ergo qualibet parte quantitatis addita alteri parti fiet major quantitas. Minor probatur. Nam si indivisibile additum alteri indivisibili facit majus: ergo cum duorum punctorum quodlibet sit pars lineæ, sola duo puncta facient aliquam magnitudinem, ac proinde ex finitis punctis fiet magnitudo, quod evidenter est falsum. Deinde si infinita indivisibilia sunt partes quantitatis: ergo etiam finita quæ in infinitis continentur. Præterea si a linea Deus auferat tot puncta quot sunt arenulæ vel pauciora v. gr. centum, tunc quæro, linea a qua sunt oblata puncta eritne æque magna ac prius, an minor. Si æque magna: ergo indivisibilia ablata non erant pars lineæ, si enim fuissent pars, ex illis et alia parte totum fuisset conflatum, quod vero majus est sua parte. Si minor: ergo centum puncta efficiebant aliquam magnitudinem, qua ablata minor remanet linea: ergo etiam finita puncta faciunt magnitudinem.

Secundo argumentor cum Gregorio: Si continuum componitur ex indivisibilibus, sequitur duos motus locales in aliquo plano factos semper esse æque veloces, nec posse unum motum esse velociorem altero, quod est contra sensum et experientiam, quæ non debent propter argumenta apparentia negligi ut recte Aristoteles 8. Phys. text. 22. Sequela probatur. Nam quodlibet mobile non potest quolibet instanti nisi unum punctum plani transire: ergo cum illa duo mobilia æquali tempore moveantur æque multa puncta plani transibunt, nec poterit unum plura puncta transire. Antecedens probatur. Nam si mobile unum dicatur uno instanti transire duo puncta, alterum vero unicum, manifeste sequitur instans esse divisibile et habere partes, et similiter punctum, siquidem cum mobile velox unum punctum transivit, mobile tardius transisset solam medietatem puncti, et medietas superanda restaret, vel certe adhuc immotum esset, ac proinde non cœpissent duo illa simul moveri. Et idem de instantibus etc. Ex quo efficaciter sequitur id quod Zeno volebat 6. Phys. text. 78., nimirum aliquod mobile velocissimum nunquam posse consequi mobile tardissimum si

mobile tardum vel minimum præcesserit et continue moveatur. Nam v. gr. dum velox transit unum punctum, etiam tardum debet unum transire, nec potest velox transire duo puncta eo instanti quo tardum transit unicum, ut ostendimus. Tempus vero habere partes divisibiles disp. sequenti qu. 2. dicto 1. ex hoc loco probatis deducemus.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondet optime Scotus, sphæram non tangere planum nisi in puncto, simul videlicet et adæquate. At vero successive et in tempore tangit lineam, sicut exiguum corpus divisibile in instanti non tangit nisi quantitatem sibi adæquatam, in tempore tamen quo movetur tangit multo majorem se. Unde licet in instanti quo quiescit sphæra tangat planum in puncto, immediate tamen post, si moveatur, lineam etc. Immediate enim post instans, sequitur tempus constans partibus infinitis. — Ad primam confirmationem. Ostendemus infra posse moveri indivisibile, nec necesse est ut in motu prius transeat spatium æquale sibi quam majus; imo impossibile est ut ullum corpus dum movetur prius occupet spatium æquale sibi quam majus, siquidem cum movetur nunquam occupat spatium æquale sibi nisi in instanti, in tempore autem quo fit motus semper occupat se ipso majus spatium. Unde illa Aristotelis argumentatio est ad hominem, contra antiquos qui illam majorem concedebant. Ad secundam confirmationem respondent Conimbricenses citati art. 3. ad 5., Toletus ad 9. et in simili Clarius in cap. 1. Sphæræ fol. 64., illas duas superficies existentes in duobus corporibus, scilicet in aqua et aere tangere eandem lineam in virga. Ratio est quia duæ illæ superficies duorum corporum contiguorum (siquidem ex 5. Phys. text. 21. contigua sunt quorum extrema simul sunt) sunt simul, cum se tangant secundum se tota, ac proinde sint sibi intime præsentia, et consequenter non occupent majus spatium quam quælibet per se occuparet, atque ita respondere potest illis unica linea continuativa virgæ.

Ad secundum respondet Pererius lib. 10. cap. 14. ad 4. Deum posse quidem unum angelum immediate post alium creare respectu temporis discreti, in quo duo instantia possunt esse immediate, non vero respectu temporis continui. Sed revera non solvit argumentum. Quæro enim, an instantia illa temporis discreti respondeant instantibus temporis nostri, an partibus temporis. Si instantibus: ergo sicut datur in tempore discreto instans post aliud instans,

ita et in tempore nostro dabitur, cum enim primo instanti temporis discreti respondeat instans in nostro tempore, secundo instanti quod coexistit nostro tempori aliquid respondere debet. Si autem illis instantibus temporis partes respondent, non solvit argumentum quomodo angeli in tempore creentur. — Respondeo ergo: posse immediate post instans produci angelum, eum tamen non producturum Deum in instanti, sed in tempore, nec tamen ita commensurative ad partes temporis, ut una parte temporis producatur una pars angeli, altera alia, id enim impossibile est cum angelus sit indivisibilis, sed produceret Deus totum angelum simul, ita ut ejus actio productiva coexisteret tempori. Unde licet produceretur in tempore i. e. coexistenter tempori, non tamen successive sed simul, et ita in instanti quo primus angelus producitur verum sit dicere nunc est angelus sequens, immediate post erit totus simul, ita ut nulla pars vel instans temporis sequentis divisive possit assignari in quo jam non sit productus, licet non sit productus ante omnes partes illius temporis collective sumptas ut disp. De tempore qu. 4. dicto 3. ostendemus. Sicut ergo conservari potest angelus actione conservativa in tempore, non ita tamen ut una pars illius actionis sit in una parte temporis, altera in alia, sed ita ut tota actio sit in instanti et in qualibet parte temporis sequentis, ita similiter produci potest indivisibiliter in tempore, quia duratio indivisibilis actionis creativæ angeli potest correspondere partibus temporis, sicut et duratio actionis visivæ etc.

Ad tertium respondet Soto citatus ad 3. Conimbricensium illo art. 3. ad 1. Inter punctum terminativum et alia omnia collective sumpta nihil esse interpositum, licet inter illud et quodlibet aliud divisim sumptum intercedat linea, quod etiam Gregorius fatetur ad 2. et 4. contra primam conclusionem, sed non consequenter, nam in prima probatione tertiæ conclusionis hoc argumento ostendit inter puncta intercedere quantitatem carentem punctis. Sed mihi evidens est quod si inter punctum terminativum lineæ, et omnia alia puncta nihil sit interjectum quod non sit punctum, omnia puncta esse immediata, si enim non sunt immediata, aliquid inter illa intercipitur. Respondeo ergo: Hoc argumento convinci ut dixi in Logica qu. 2. De quantitate dicto 2. dari in continuo partes proportionales indeterminatas, quæ post quodlibet punctum sequantur et inter unum punctum et omnia alia collective sumpta intercedant, ac proinde cujus partes non contineantur punctis, ut infra latius.

Et ita Deus cognoscit inter quodlibet punctum, et omnia alia intercipi lineam. Nec hujus argumenti vim evadunt qui negant esse indivisibilia actu in continuo nisi per assignationem, siquidem contra eos sic formo argumentum. Inter hoc punctum assignatum, et omnia alia assignabilia nihil est interceptum, si enim sit, nulla in eo quod intercipitur assignari possunt puncta: ergo nec ullæ partes.

Ad quartum. Dupliciter intelligitur continuum dividi in omnes suas partes. Primo ita ut maneant omnes partes actu divisæ, secundo ita ut non maneant sed corrumpantur. Et quidem certum est hoc secundo modo continuum dividi posse in omnes suas partes, si Deus cessaret a conservatione continuativorum partium. Sed consequenter tunc Deus cessare deberet a conservatione partium unitarum quæ existere non possunt sine unionibus, cum illas essentialiter includant eo ipso quod partes continui non sint indivisibilia. Primo autem modo fieri non potest ut continuum dividatur in omnes partes ut recte Conimbricenses citati ad 7. (quod et Gregorius 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. ad 5. concedit, licet 1. dist. 36. qu. 1. ad 7. contrarium probabile putet) quod omnes fateri debent qui continuum dicunt non componi ex indivisibilibus. Si enim dividitur in omnes partes: ergo nulla partium divisarum esset amplius divisibilis; si enim aliqua esset divisibilis revera non esset divisum continuum in omnes partes. Ex quo sequitur unionem et continuationem cum alia aliqua parte essentialem esse cuilibet parti quantitatis, et consequenter sine illa esse non posse. An vero licet non in omnes, in infinitas tamen partes dividi possit quælibet quantitas dicto 3. explicabitur. Jam ergo ad probationem majoris respondeo: Omnes partes esse divisibiles primo modo, nec si dividitur quantitas in illas omnes quidquam absurdi sequitur. Secundo tamen modo non sunt omnes partes divisibiles, non quod una pars determinata sit de essentia alterius partis, sed quia de essentia cujuslibet partis continui est, ut sit continua alicui parti. Ad confirmationem. Si Deus dividat in omnes partes in quas potest, tunc cessabit a conservatione omnium unionum, ac proinde etiam partium. Si autem velit argumentum ut Deus dividat in tot partes simul existentes in quot possibile est dividi, respondeo: impossibile esse ut continuum dividatur in tot partes simul existentes ut in plures existentes dividi non possit ut recte Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 2. art. 3. ad 7., Pererius lib. 10. cap. 11. ad 1.

Ratio est, quia continuum quo ad divisionem est infinitum in potentia, atque ideo de ratione hujusmodi potentiæ est ut per partes reducatur ad actum, nunquam tamen tota potentia exhauriatur. Unde ad hoc ut talis potentia reducatur ad actum, necessarium est ut ita reducatur ad actum ut nihilominus aliquid potentiæ semper remaneat ut dicto tertio ex Aristotele ostendam. Hæc igitur potentia ad divisionem in infinitum, non ita reducenda est ad actum ut infinitæ partes separentur, sed ut successive plures et plures separentur, et sicut Deus facere non potest ut omnes partes rei successivæ sint simul, ita non potest facere ut omnes divisiones successive possibiles, sint simul actu. Et quoniam continuum divisibile est in infinitum, nec Deus quidem videt aliquem certum numerum partium in quas solas separatim existentes continuum dividi possit, sed videt semper in plures et plures posse dividi, quod ex qu. 6. clarius intelligetur. — Dices 1. Top. cap. 14. ait Aristoteles ita se habere punctum ad lineam, ut unitas ad numerum; sed unitates numerum componunt. Respondeo, in hoc est paritas ut punctum sit initium lineæ ut unitas numeri.

Dico secundo. Partes ex quibus actu inexistentibus componi diximus quantitatem, licet si de partibus æqualibus uni certæ, determinatæ, nec communicantibus inter se loquamur, sint finitæ: partes tamen æquales uni determinatæ sed communicantes, et partes proportionales indeterminatæ, sunt actu et non tantum potentia seu syncategorematice infinitæ. Ita auctores secundæ sententiæ, Occam 2. qu. 8. ad 4., Gregorius 2. dist. 2. qu. 2. art. 1., Mayronis 4. dist. 13. qu. 4., Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 1. art. 1. et 3. concl. 2. et lib. 7. cap. 2. qu. 1. art. 3. ad 2. Et citat Gregorius Augustinum tom. 3. lib. 11. De Trinit. cap. 10., 12. De civit. cap. 18. — Sed priusquam probemus, supposita notione infiniti de qua qu. 6. infinitum actu est quod habet partes infinitas actu existentes; infinitum potentia seu syncategorematice est, quod in potentia infinitas habet partes, ita ut qualibet parte data, alia adhuc dari possit, nec unquam ad ultimam nec actu infinitam veniatur. Et ideo dicitur hoc infinitum in potentia, quia nunquam absolvi potest ut latius qu. 6. Partes autem quantitatis aliæ sunt determinatæ quæ scilicet certam et determinatam habent extensionem ut bicubitam etc., aliæ indeterminatæ quæ minores sunt qualibet parte determinata, et ita minores et minores in infinitum. Determinatæ autem aliæ sunt communicantes, in quarum scilicet una includitur aliqua

pars inclusa etiam in alia parte et ita communicant seu conveniunt in aliqua parte ex qua componuntur, ac proinde non distinguuntur adæquate secundum totam entitatem, ut si in ligno duos palmos designes et postea accipias dimidium cujusque palmi et efficias tertium palmum, rursus si ultimam quartam partem sumas ex primo palmo et tres quartas ex secundo, conficias alium palmum, et sic in infinitum designando per partes proportionales illos palmos. Aliæ non communicantes, quæ ita se habent ut una earum nihil alterius partis in sua constitutione claudat, ac proinde se totis distinguantur quomodo lignum bipalmum habet duas partes, singulas singulorum palmorum, ita ut nihil eorum quæ unus palmus continet ab altera communicetur et contineatur. Rursus partes aliæ sunt æquales quarum scilicet una est tanta quanta altera; aliæ proportionales quarum una minor est altera vel etiam toto in quo claudebatur in certa et determinata proportione, v. gr. tanquam dimidium, vel quarta aut octava pars etc.

Jam ergo quod partes æquales uni determinatæ et non communicantes sint finitæ in quolibet continuo finito patet, quia quantitas habens hujusmodi partes infinitas esset infinita; at non omnis quantitas est infinita. Quod vero partes proportionales in qualibet minima parte quantitatis continuæ sint actu infinitæ probatur argumentis Gregorii. Nam cujuslibet magnitudinis quælibet pars habet partes: ergo cujuslibet magnitudinis partes sunt plures quotcunque finitis: ergo infinitæ. Antecedens patet. Nam si non cujuslibet magnitudinis quælibet pars habet partes: ergo aliqua pars esset indivisibilis, nullas habens partes, ac proinde continuum componeretur ex indivisibilibus tanquam partibus. Consequentia probatur. Nam si non sunt plures quotcunque finitis: ergo dabitur numerus partium continui maximus et finitus, et tunc nulla illarum partium constituentium hunc numerum haberet partes. Si enim quælibet illarum partium constituentium numerum finitum habet partes: ergo cum partes cujuslibet partis sint partes etiam totius magnitudinis, plures erunt partes quam illæ finitæ quæ ponebantur esse. Secunda consequentia probatur. Quia omnis multitudo actu existens partium realiter distinctarum est finita vel infinita actu et categorice ut constabit ex definitione infiniti categorici explicanda qu. 6.: ergo cum multitudo partium continui sit actu, et non finita, erit infinita actu. Confirmatur, nam multitudo rerum actu existentium quarum nulla est ultima, est actu infinita; sed in multitudine par-

tium continui actu existentium nulla est ultima, cum quælibet pars ejus componatur ex aliis partibus. — Dices: esse infinitas potentia. Contra: Nam infinita potentia sunt quorum quæcunque actu existunt finita sunt, quæ restant interminata; sed omnes partes proportionales continui sunt actu a parte rei et non finitæ: ergo infinitæ. Deinde tunc aliqua dicuntur infinita syncategorematice cum non sunt tot quin plures sint. Sed partes continui distinctæ actu existentes sunt tot ut non sint plures; revera enim non sunt plures quam reipsa sint.

Et ex hac parte sic probata sequitur etiam partes æquales communicantes esse infinitas, ut recte Conimbricenses illo art. 1. cit. vel ante illos Gregorius ad 10 contra 2. concl. Nam v. gr. in ligno bipalmari si per partes proportionales unius palmi procedendo accipiamus semper ex altero palmo quod deest parti proportionali unius palmi, ad constituendum integrum palmum, in infinitum plures et plures accipi possunt, et licet nullus accipiat, actu sunt ibi plures partes. Et similiter quod dixi de quantitate, intelligendum est de forma corporea et materia, ea scilicet constare infinitis partibus actu. Ratio est, nam ita partes quantitatis partibus materiæ conseruntur, et partes formæ partibus materiæ ut nulla sit pars quantitatis cui non respondeat pars materiæ, et consequenter formæ, ac proinde cum materia et forma etiam separata quantitate retineant suas partes, tunc etiam habebunt infinitas. Ex his patet, suppositis iis quæ præcedenti quæstione, et in prima conclusione hujus quæstionis demonstravimus, evidenter demonstrari dari actu infinitas partes in continuo, et quod ex hoc recte sequi ait Mayronis 1. dist. 43. qu. 10. art. 1. esse infinitas relationes partium propinquitatis et distantiæ.

Jam superest ut solvamus secundum argumentum allatum quæstione secunda pro prima sententia. Ad illud ergo respondeo: Partes continui esse actu infinitas modo dicto. Ad ea quæ afferebantur. Ad primum: Hoc argumentum solvi debet ab omnibus qui negant continuum componi ex indissolubilibus. Nam licet partes sint potentia duntaxat, adhuc divisibile additum divisibili facit majus; neque enim illi possunt alio modo explicare quomodo una quantitas sit major altera. Respondeo ergo cum Gregorio 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. ad 9. contra 2. concl., Pererio cit. ad 3.: non effici molem infinitam nisi ex partibus infinitis æqualibus uni determinatæ; ex partibus vero minoribus et minoribus in infinitum non efficitur moles infinita. Licet ergo divisibile additum divisibili faciat majus,

ac proinde quælibet pars proportionalis cum unitur alteri faciat ut totum sit majus quam fuerat antequam uniretur, non tamen facit ut in infinitam molem excrescat, quod tunc demum fieret, cum infinita divisibilia determinatæ magnitudinis adderentur alteri quantitati determinatæ. Similiter licet una pars proportionalis sit extra aliam, quia tamen partes sunt minores et minores in infinitum, nulla pars proportionalis habet determinatam distantiam, sed indeterminatam respectu alterius partis proportionalis. Et sic partes determinatæ quantitatis respondent partibus determinatis loci, indeterminatæ indeterminalis, atque locum determinatum finitum occupant omnes partes sicut sunt solum finitæ partes determinatæ.

Ad replicam ibi allatam. Imprimis debent adversarii quoque respondere, nam etiam secundum illos si daretur corpus infinitum, non alia de causa esset infinitum, nisi quia haberet partes æquales in potentia infinitas: ergo. Respondeo ergo: convincit argumentum id quod recte concedunt Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 1. art. 1. in quolibet continuo esse infinitas partes æquales actu, non tamen æquales uni certæ et determinatæ, sed infinitas æquales proportionales, et hujusmodi partes æquales infinitæ non faciunt molem infinitam, quod confirmo. Nam continuum divisibile est in duas medietates, et quælibet illarum medietatum in duas alias, et sic jam erunt quatuor partes æquales, et in infinitum deinceps quælibet partium divisarum in duas partes æquales dividi potest, et tales partes mediæ sunt actu omnes in quas fieri potest divisio: ergo cum hujusmodi partes æquales in continuo sint plures quibuslibet finitis partibus erunt actu infinitæ. Ad confirmationem respondeo: esse infinitas partes æquales sed proportionales in continuo. Verum est quod si continuum dividi posset in infinitas partes æquales separatim existentes, sequeretur in quolibet continuo esse infinitas partes æquales uni determinatæ ut mox dicemus. Ex eo vero quod sint infinitæ partes proportionales æquales, non sequitur quod sint æquales uni determinatæ et non communicanti, sed tantum quod sint infinitæ partes æquales indeterminatæ, vel certe communicantes inter se.

Ad secundum adversarii quoque tenentur respondere ad hoc argumentum. Nam etiam secundum illos quælibet pars assignabilis grani sinapis habet partes proportionales possibiles infinitas syncategorematice ut ipsi fatentur: ergo numerus partium possibilium totius grani et alicujus partis assignabilis est æqualis. Unde Gre-

gorius illa dist. 2. qu. 2. art. 1. ad 12. contra 2. concl. concedit non plures partes proportionales esse in cœlo quam in grano sinapis licet partes proportionales cœli sint majores. Respondeo tamen cum div. Thoma 3. p. qu. 10. art. 3. ad tertium: unum infinitum posse esse majus alio ut latius qu. 6. dicetur. Unde licet in qualibet parte proportionali cujuslibet quantitatis sint infinities infinitæ partes, tamen infinitus numerus partium medii palmi v. gr. minor est, quam infinitus numerus partium unius palmi; hic enim numerus partium duplo major est quam sit numerus partium dimidiati palmi.

Ad tertium optime respondet Aristoteles 6. Phys. text. 19., 8. Phys. text. 68. ad argumentum Zenonis: infinitas partes spatii æquales uni determinatæ finito tempore non posse pertransiri a mobili, bene tamen posse infinitas proportionales minores et minores in infinitum. Sicut enim ait Aristoteles spatium constat infinitis partibus minoribus et minoribus, ita et tempus. Addit Aristoteles has partes esse in potentia; si enim essent actu, i. e. inter se divisæ et totum integrum constituerent revera non possent finito tempore transiri ut in confirmatione dicitur. Et ratio est, quia si divisæ essent, non possent esse minores et minores, sed essent æquales uni determinatæ et signatæ, et sic facerent infinitam molem. Si tamen ponamus per impossibile partes ita divisas esse minores et minores in infinitum eo modo quo in continuo, et inter se esse contiguas, finitum spatium occuparent, et finito tempore transiret mobile per illud. Et hoc argumentum eodem modo tenentur solvere adversarii, siquidem mobile per suum contactum omnes partes superficiei per quam transit assignat. Nec transfert Aristoteles difficultatem a motu ad tempus ut quidam volunt, sed docet posse infinitas partes proportionales finito tempore pertrasiri et ut recte Gregorius 2. dist. 44. qu. 4. art. 2. ad 11. cum dicitur infinitum non posse transiri solum sermo est de infinito quod habet partes æquales uni determinatæ infinitas.

Dico tertio. Continuum quodlibet ratione divisionis est infinitum in potentia, et non actu. Intelligi autem debet hæc conclusio juxta ea quæ dicto 1. ad 4. diximus, ut scilicet in eas solas partes quæ actu separatæ existant intelligatur continuum esse in infinitum divisibile in potentia. Præterea non ita intelligitur conclusio quasi nos possemus dividere in infinitum, nos enim tandem venire possumus ad partes tam minimas ut amplius dividere non possimus ut patet in

atomis etc.; sed solum sensus est quantitati secundum se non repugnare ut semper in plures et plures partes actu et separatim existentes dividatur. Dixi *secundum se,* nam interdum ratione formæ substantialis fieri non potest ut dividatur ut patet non solum in materia cœli, sed etiam in rebus naturalibus quæ habent terminum parvitatis intrinsecum. Jam ergo nostra conclusio duas habet partes, quod scilicet semper dividi possit quantitas in plures et plures partes, ita ut ad ultimam divisionem perveniri non possit, et quod nunquam potest fieri divisio in infinitas partes actu, ita scilicet ut divisiones ac proinde etiam partes divisæ sint infinitæ; quod tamen intelligi debet de quantitate finita, nam si infinita dari posset, ea in infinitas partes posset dividi.

Prima pars est Pererii lib. 10. cap. 11. ad 4. et probatur. Nam facta quacunque divisione etiam a Deo, adhuc remanent partes divisæ quantæ et divisibiles, nec unquam perveniri potest ad partes indivisibiles, siquidem quantitas ex illis non componitur: ergo respectu divisionis continuum est infinitum in potentia. Ex quo sequitur impossibile esse ut continuum dividatur in omnes partes modo prædicto, ac proinde non dari potentiam in quantitate ad hoc ut in omnes partes ita dividatur, sed solum ut in plures et plures in infinitum, et ideo hoc secundum potest Deus facere non primum, ut præclare docet Aristoteles 3. Phys. text. 57. et 9. Metaph. text. 10. hoc exemplo rem declarat, sicut inquit ad contradictoria est in potentia subjectum, ea quod successive possit esse album et non album, et nihilominus simul non potest utrumque fieri, sed semper remanet potentia: ita potentia quantitatis ad divisionem talis est ut semper quacunque divisione data adhuc sit in potentia ad divisionem.

Secunda pars probatur. Nam si datur infinita divisio, etiam infinitæ partes divisæ, quarum nulla est quæ non sit certæ et determinatæ magnitudinis, ac proinde nulla est indeterminata. Et ratio est, nam pars indeterminata quæ sequitur v. gr. post punctum, illa est quæ non est tanta quin sit minor; sed de nulla partium infinitarum divisarum id dici potest, cum quælibet tanta sit ut non sit minor quam ipsa. Ex quo sequitur in quolibet continuo esse infinitas partes certæ et determinatæ magnitudinis, ac consequenter esse infinitam quamlibet quantitatem, et habere infinitas partes æquales alicui certæ et determinatæ. Confirmatur. Nam si continuum posset dividi in infinitas partes, posset etiam

in omnes. Ideo enim esset divisibile in infinitas quia quælibet partium infinitarum est divisibilis; sed similiter omnes partes continui collective sumptæ sunt divisibiles: ergo in eas omnes fieri potest divisio, quod tamen falsum est, cum in partes proportionales indeterminatas quæ solæ sunt infinitæ non possint, eo quod hæ essentialiter petant unionem cum aliis partibus. Fallitur ergo Gregorius citatus præcedenti qu. dicto 1. ad 4. cum vult continuum posse dividi in omnes suas partes.

QUAESTIO QUARTA.

An in continuo sint aliqua indivisibilia, puncta scilicet, lineae et superficies.

Ostendimus quantitatem non componi ex indivisibilibus, sed ex semper divisibilibus. Superest videndum, an saltem aliqua indivisibilia in continuo reperiantur, puncta scilicet quæ omni ex parte sunt indivisibilia, lineæ quæ secundum longitudinem dividuæ sint, licet secundum latitudinem et profunditatem sint indivisibiles, et superficies quæ cum longæ et latæ sint, secundum profunditatem sunt indivisibiles ut in Logica qu. 2. De quant. diximus. Et quia hujusmodi indivisibilia esse possunt vel in media quantitate tanquam continuationes partium quantitatis, vel in fine tanquam termini, idcirco quæstio est, an dentur indivisibilia continuativa et terminantia, quid sint, et quomodo inter se distinguantur.

Prima sententia est dicentium nulla esse in continuo indivisibilia, atque ideo in quantitate re ipsa nil esse aliud præter partes extensas triplici dimensione, seu corpus, licet in illa distinguantur per intellectum diversæ rationes specificæ quantitatis continuæ permanentis. Et ita lineam ajunt nihil aliud esse quam ipsum corpus consideratum solum secundum unam dimensionem; superficiem vero esse corpus consideratum ut extensum in longum et latum, sine profunditate; puncta demum esse figmenta intellectus. Ita Gregorius 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. concl. 3. et præsertim ad 1. argum. cont. 3. concl., Gabriel qu. 2. quod recentiores quidam sic explitant, ut velint corpus prout in unam partem, a facie hominis aut post tergum porrigitur in directum, linea dicatur; quatenus versus latera etiam, dicatur latum; profundum vero quatenus a sumo deorsum vel contra porrigitur.

Probatur primo argumento quo utitur Gregorius 1. dist. 28. qu. 2. concl. 3. (argumenta enim quibus utitur in illo 2. Sentent. supponunt lineam sine punctis, puncta sine lineis posse conservari et ideo ex dictis solvuntur). Si quæ sunt indivisibilia illa erunt accidentia, ac proinde in aliquo subjecto. Illud ergo subjectum in quo est punctum vel erit aliquid indivisibile, et si ita est, illud indivisibile rursus erit in alio indivisibili et sic in infinitum; vel in aliquo divisibili. Et tunc vel in toto illo divisibili subjectabitur, atque ita totum erit in toto, et totum in qualibet parte; vel in aliqua ejus parte, et tunc sive illa pars sit determinata sive indeterminata, erit tamen divisibilis, et ita idem sequitur. Confirmatur. Nam licet in nullo subjecto sit, adhuc tamen cum indivisibilia sint immediata divisibilibus, tangerent divisibilia, et non in aliquo indivisibili, nisi dicas post indivisibile sequi immediate in quovis continuo aliud indivisibile: ergo in aliquo divisibili: ergo erit in loco divisibili.

Secundo: Si dantur hujusmodi indivisibilia v. gr. puncta inter partes lineæ, sequitur dari infinita puncta, sicut sunt infinitæ partes. At id fieri non potest, nam omnia puncta extremis punctis clauduntur, cum tamen infinitum extremis claudi nequeat. Similiter, si sunt infinita puncta in qualibet linea: ergo in circulo majori et minori descriptis ex eodem centro æque multa erunt puncta cum infinito nihil sit majus. Et similiter in parte lineæ totidem puncta erunt quot in tota, vel certe si dicantur esse plura puncta in majori circulo, non poterit a quolibet puncto majoris circuli duci recta linea ad centrum, nam illa linea transiret etiam per minorem circulum et illum in puncto secaret, ac proinde cuilibet puncto majoris circuli responderet in minori punctum, et sic æque multa puncta erunt in utroque, quod argumentum in re simili est Gregorii 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. in 5. prob. concl. 1-æ. Similiter in diametro quadrati totidem puncta erunt, quot in latere; nullum enim est punctum diametri a quo non possit duci linea recta ad costam: ergo nullum est punctum diametri cui non respondeat punctum in costa, et tamen diameter major est quam costa.

Tertio. Si in continuo est linea distincta a corpore, vel est una continua, vel non. Hoc secundum dici non potest, cum inter hujusmodi lineas solum punctum interjaceat, ac proinde extrema earum sint idem, quod est esse continuum. Si primum: ergo erit infinita linea, nam v. gr. in columna datur una linea gyrativa copulans infinitas partes proportionales superficiei ambientis colum-

nam. Cum enim illa linea infinities gyret columnam et quilibet gyrus sit æqualis alteri, habebit infinitas partes æquales illa linea. Similiter in magnitudine quadrata unius palmi, dantur infinitæ lineæ palmares, siquidem inter lineas terminativas angulos illius quadrati sunt infinitæ partes proportionales superficiei, ac proinde etiam infinitæ lineæ illas continuantes, et eæ omnes erunt longitudinis palmaris: ergo.

Secunda sententia est dicentium dari in continuo indivisibilia continuativa, non terminativa. Ita Durandus 2. dist. 2. qu. 4., Pererius lib. 10. cap. 6. Et quod dentur continuativa infra ostendemus. Quod vero nulla dentur terminativa probant. Nam si dantur, ideo dabuntur ut terminent quantitatem; sed quælibet res sua finita entitate est terminata: ergo non eget alio terminante. Sicut enim ut aliquod ens finitæ perfectionis sit et non infinitæ nullo eget termino positivo a quo finiatur sed seipsa est finita, ita et quantitas. Confirmatur. Quantitas palmaris seipsa non transit ulterius, et petit locum finitum ita ut infinitum occupare nequeat: ergo seipsa terminata est sine additione novæ entitatis. Confirmatur 2. Si per intellectum vel etiam reipsa auferantur a Deo punctum terminans lineam, adhuc linea quæ bipalmaris erat manet bipalmaris; ex sola enim ablatione indivisibilis non minuitur quantitas, nec augetur ut fiat infinita. Præterea hujusmodi superficies vel linea non est necessaria ad contactum corporum, nec ad hoc ut corpus sit figuratum; licet enim superficies auferatur a corpore sphærico, adhuc manebit sphæricum et lineæ ductæ a centro ad periferiam æquales erunt. Imo sicut qui superficiem terminantem admittunt fateri debent eam tangere corpus, ita dici potest corpus posse tangi ab alio corpore sine superficie, sicut tangi potest a superficie

Tertia sententia admittit terminantia non vero continuativa. Hæc sententia quatenus negat indivisibilia continuativa est Fonsecæ 5. Metaph. cap. 13. qu. 6. sect. 4. ubi solum admitti debere ait superficiem terminativam, non continuativam. Probatur. Si admittantur indivisibilia continuativa, maxime quia non possunt partes quantitatis continuari sine illis; at posse clarum est ex qu. præc. dicto 1. ad 3. et latius infra ostendetur. Et gradus intensionis qualitatis continui sunt, similiter partes integrantes substantiæ et non per indivisibilia. Adde quod ista indivisibilia non habent agens a quo producantur ut patet cum una gutta alteri conjungitur. Confirmatur ex qu. 2. De quantit. in Logica. Nam si superficies

non est continuata nisi per lineam: ergo quemadmodum continuatio est de essentia superficiei ita linea erit de essentia superficiei etc. Atqui una species alicujus generis non potest esse de essentia alterius speciei. Ergo.

Dico primo. In continuo dantur indivisibilia in extremitatibus continui seu terminantia, puncta scilicet lineæ et superficies reales. Et similiter in medio continui dantur talia indivisibilia. Ita Conimbricenses 6. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 2. et ab iis citati Soncinas 5. Metaph. qu. 20., Scotus, Alensis, Themistius, Simplicius, Philoponus, Scaliger Exercit. 65., Sotus cap. De quant. qu. 2. et 6. Phys. qu. 1., Suarez 3. p. tom. 3. disp. 52. sect. 3. initio, div. Thomas 1. p. qu. 8. art. 2. ad 2. ubi admittit indivisibile terminativum, idem qu. 52. art. 2., qu. 53. art. 1., estque expressa sententia Aristotelis frequenter. Nam in primis cap. De quant. ait partes lineæ continuari punctis, partes superficiei lineis etc. quod etiam 4. Phys. text. 105. habet. Et continua ait esse quorum extrema sunt unum 5. Phys. text. 26., 6. Phys. text. 1., et 5. Phys. text. 29. omnis linea ait est inter puncta; 2. Phys. text. 16. plana inquit habent longitudines et puncta; 4. Phys. text. 25. superficiem ait esse in corpore; 3. De anima text. 24. in omni continuo ait inest aliquod indivisibile quod unum faciat illud, sed forte non separabile; 5. Metaph. text. 18. definit lineam etc., et denique semper enumerans species quantitatis continuæ permanentis præter corpus etiam lineam et superficiem enumerat ut 7. Metaph. text. 8. At species prædicamenti realis sunt entia realia.

Et primo quod dentur terminativa probatur. Nam corpus perfecte sphæricum tangit perfecte planum in puncto. Similiter anguli perfecti alicujus trianguli tangunt planum in linea et denique duo corpora sive perfecte plana ut duo cœli, sive non, tangunt superficies: ergo dantur hujusmodi indivisibilia in extremitate corporum. Antecedens est Aristotelis qui 1. De anima text. 13. ait planum tangi ab ænea sphæra in puncto, quod etiam 3. Cœli text. 69. innuit. Et ratio est, quia planum nonnisi plano adæquetur, nec potest planum integre attingi a parte extensa non plana; si ergo sphæra tangit planum in plano et non in indivisibili, sphæra erit plana, adæquabitur enim ei quod tangit. Unde licet successive tangere possit punctum aliquod planum divisibile ut qu. 3. dicto 1. ad 1. dixi, non tamen simul, quod egregie demonstrat Gregorius geometrice ad 5. contra 3. concl.

Respondent aliqui auctores secundæ sententiæ. Sphæram tangere planum in linea in directione posita qua continuantur partes plani versus centrum; similiter sphæra tangitur a plano in linea correspondente diametro sphæræ continuante partes alicujus superficiei. Unde hic tactus ejusmodi est qualis esset inter duas lineas ablatis punctis. Triangulus vero planum, et duo plana se mutuo tangunt secundum aliquid trinæ dimensionis, tangere enim ajunt est immediate sequi post aliud, ita ut nihil intercedat, corpus autem planum tactum a triangulo immediate sequitur post lineam trianguli continuativam, laterem secundum aliquid sui determinatum quidem secundum longitudinem, indeterminatum secundum latitudinem et profunditatem. Idem probatur de planis se tangentibus dicunt. Gregorius vero ad 3. ait: se tangere duo corpora cum nihil inter illa intercipitur, non tamen esse simul eorum extrema, nec id ad contactum requiri. Ad 5. vero ait perfecte sphæricum tangere planum nec in divisibili, nec in indivisibili, quod manifeste absurdum est.

Contra est, tum quia ea dicuntur se tangere quorum extrema sunt simul ex Aristotele 5. Phys. text. 22., contigua autem quorum extrema se tangunt text. 26.: ergo si non sunt in continuo superficies etc. terminativæ, ultimæ partes corporis utriusque saltem indeterminatæ erunt simul: ergo plures partes indeterminatæ corporis erunt simul et se penetrabunt. At impossibile est ut ulla pars corporis etiam indeterminata cum alia parte se penetret; eodem enim modo omnes partes se penetrarent. Ergo non se tangunt secundum partes profundas, sed secundum indivisibilia. Tum quia locus est superficies corporis continentis 4. Phys. text. 41. et commensuratur rei locatæ ut ibidem text. 30. dicitur. Ergo sicut datur locus rei corporeæ, ita et superficies, nec potest ulla pars corporis locantis esse æqualis ulli parti rei locatæ, cum enim non sint simul illæ partes, erit in majori spatio quælibet pars etiam indeterminata rei locantis, quam rei locatæ, cujus argumenti vim non exhaurit responsio Gregorii citati ad 2. Tum denique quia ut aliqui argumentantur corporis opaci non potest videri profunditas sicut diaphani, sed tantum extrema superficies; si enim videretur aliqua profunditas, mitteret speciem ad oculos aliqua pars quæ haberet aliquam partem opacam licet indeterminatam interjectam inter oculum et illam partem, ac proinde pars illa vicinior oculo non esset opaca. Ratio a priori est, nam debet quantitas finita

habere aliquem terminum cum non sit infinita: ergo ultimum, id enim est terminus ex Aristotele. At si non detur superficies terminans etc. in corpore nihil erit ultimum, nulla enim est pars corporis determinata vel indeterminata secundum quam ultra non protendatur, cum post quamlibet habeat aliam.

Quod vero dentur etiam indivisibilia continuativa, probant aliqui. Nam duæ partes quantitatis constituunt unum per unionem. At per suam entitatem præcise non uniuntur, tum quia existere potest entitas partium sine unione; tum quia licet se contingant duæ quantitates ut aëris et aquæ, vel duorum lignorum non ideo sunt continuatæ: ergo per aliquid distinctum quod producitur per actionem unitivam duarum partium sunt inter se unitæ. Hæ autem uniones sunt aliquid indivisibile. Nam si continuationes lineæ sunt divisibiles, vel erunt ejusdem rationis cum linea, et ita erunt partes lineæ et non continuativa; vel diversæ rationis, et tunc illius partes deberent inter se uniri per continuationes diversæ rationis, et sic erit infinitus processus in unionibus. Verum hæc ratio absolute non convincit ut mox dicetur.

Probatur ergo. Quia sicut in extremitate quantitatis contactus non fit nisi in indivisibili, ita etiam in ipsa medietate, si v. gr. unum corpus penetraret aliud, extrema superficies unius tangeret in ipsa media quantitate aliquid indivisibile illi correspondens. Deinde quælibet recta linea, quælibet superficies etc. dividi potest in duas partes æquales per medium. At medium lineæ non est aliquid divisibile: Ergo punctum, ac proinde si datur medietas lineæ actu, dabitur etiam punctum. Ad hæc, continuum eo differt a contiguo, quod extrema continui sunt idem, cum extrema contigui sint simul duntaxat ex 5. Phys. text. 26. et Seneca 2. Natural. cap. 2. Ergo datur aliquid unum quod sit extremum utriusque partis unitæ. Hoc autem non est divisibile, ut ostendimus; illud enim non posset esse extremum seu ultimum: ergo indivisibile. Hujusmodi autem indivisibilia sunt uniones seu continuationes partium determinatarum; et quia sunt infinitæ partes determinatæ communicantes in qualibet parte continui ut lineæ etc., idcirco etiam sunt infinita puncta. Et ideo dixit Aristoteles partes lineæ punctis, partes superficiei lineis etc. continuari. Ratio est, quia nullum alium usum habere possunt in media quantitate nisi hanc uniendi partes determinatas, et alias uniones fingere, est multiplicare entia sine necessitate, ac proinde ea quæ de unione dixi-

mus 1. Phys. disp. 4. proportionaliter hic applicanda sunt. Dixi: partium determinatarum. Nam ut in Logica qu. 2. De quant. dicto 2. ostendi et quæstione præcedenti dicto 1. ad 3., inter aliquod punctum certum et omnia alia collective intercedit quantitas continuata non per punctum indivisibile, et hæc pars est indeterminata. In linea ergo, post quodlibet punctum sequitur magnitudo quæ non includit unionem factam per puncta, et sicut sunt infinita puncta, ita sunt infinitæ partes indeterminatæ quæ continuatæ sunt et non punctis, et ita non tota unio partium continui provenit a punctis, nec in omni linea sunt puncta, sicut nec in omni superficie sunt lineæ. Nam immediate post unam lineam est pars superficiei indeterminata; at immediate post lineam non est, nec esse potest alia linea: ergo in aliqua parte superficiei non est linea. Confirmatur. Nam unio partium lineæ diffusa est per totam lineam, quæ tota continua est; at puncta non sunt diffusa per totam lineam, cum nec sint contigua, nec continua: ergo tota unio partium lineæ non provenit a punctis, sed post punctum sequitur magnitudo carens puncto.

Dico secundo. Hæc indivisibilia realia sunt et actu etiam sine assignatione reperiuntur in continuo, distinguunturque ex natura rei inter se, et a partibus quas uniunt et terminant. Primum probatur. Nam a parte rei vere et realiter datur contactus corporum: ergo a parte rei est id quod immediate tangitur; id vero non est aliquid divisibile. Præterea a parte rei est medium in qualibet linea, superficie etc.; at id non est divisibile: ergo indivisibile. Confirmatur ex dictis qu. 2. Nam si non sunt actu, nunquam poterunt esse actu continuativa; per designationem enim nihil reale illis confertur. Et si designatio intellectus facit ut sint actu, cum a Deo semper cognoscantur semper erunt actu. Secundum, quod scilicet distinguantur realiter a partibus quas uniunt et terminant docet Fonseca sect. 6. et Suarez disp. 40. sect. 2. n. 36. Probatur, tum quia producuntur et corrumpuntur manentibus partibus, ut patet cum separantur guttæ aquæ, tunc enim corrumpuntur indivisibilia continuativa, producuntur terminantia, sicut contra cum uniuntur duæ guttæ corrumpuntur terminantia, producitur unum continuativum. Et eodem modo Deus cessare posset a conservatione unionis et partes tunc fierent contiguæ ex continuis. Tum quia non potest eadem entitas realiter esse idem rebus distinctis et a se distantibus. At si punctum esset identificatum alicui

parti lineæ, linea alicui parti superficiei etc. id sequeretur, nam quælibet pars lineæ habet entitates realiter distinctas et a se distantes. Unde Aristoteles 1. Phys. text. 17. ait si partes continui sunt idem indivisibili, etiam fore idem inter se illas partes. Sed de his fusius Pererius lib. 10. cap. 4., Soncinas cit. concl. 3., Conimbricenses art. 2. concl. 3., Toletus etc.

Dices: ergo poterit esse punctum sine linea, saltem per Dei potentiam. Respondeo negando consequentiam. Solum enim distinguuntur ex natura rei tanquam modi a rebus, nam puncta continuantia cum sint essentialiter uniones (et idem de linea et superficie continuativa) non possunt esse nisi actu uniant ut 1. Phys. ostendimus. Quod vero puncta terminativa, quæ non sunt essentialiter actualis nexus, sicut nec superficies terminativa nec linea, sint etiam modi ac proinde sine re modificata existere non possint ex eo potest probari quod seipsis uniantur subjecto, cum frustra aliæ entitates multiplicarentur. An vero existere possit linea sine puncto terminativo infra dicetur.

Dico tertio. Non solum in quantitate, sed etiam in substantia et qualitate extensa esse indivisibilia per quæ illorum partes copulentur. Hæc conclusio est contra Sotum qui cap. de quant. qu. 2. ad 1. vult partes integrantes substantiæ continuari eadem unione et continuatione qua partes quantitatis, et Toletum qui 6. Phys. qu. 1. ad 9. ubi superficiem ait esse in corpore ut in subjecto, non tamen respondere illi substantiam superficialem, sicut nec puncto respondet ait pro subjecto substantia punctualis, sed superficies, quod etiam placet Conimbricensibus citatis art. 3. ad 6. Nostra tamen conclusio est Suaresii loco cit. ad 2. et latius disp. 40. sect. 5. a n. 51. et 54. Probatur. Nam corpus rotundum album, tangens planum nigrum, ita illud tangit ut etiam albedo tangat nigredinem non in aliquo divisibili: ergo indivisibili: ergo dantur indivisibilia qualitatum. Deinde punctum, linea etc. sunt accidentia: ergo habent subjectum inhæsionis cui sunt præsentia, sicut omne accidens est in suo subjecto. Sed puncta non sunt in aliqua parte divisibili substantiæ extensa per quantitatem, essent enim tota in toto, et tota in qualibet parte quod solis rebus spiritualibus convenit. Confirmat Suarez n. 52. Nam substantia et accidentia divisibilia habent commensuratas suas partes cum partibus quantitatis ipsis præsentibus: ergo sicut partibus quantitatis respondet pars substantiæ: ita indivisibilibus indivisibilia.

Quod vero indivisibilia quantitatis non sint uniones partium substantiæ, nec substantiæ partes integrantes uniantur formaliter per quantitatem, optime docet Suarez 3. p. tom. 1. disp. 8. sect. 2. post 3. sententiam et disp. 40. Metaph. sect. 4. n. 28. ubi proprio vinculo substantiali copulari ait partes substantiæ. Contra Sotum probo. Nam compositum ex partibus integrantibus subs tantiæ etc. est unum per se et unum substantiale non nisi per unionem: ergo si unio illius est aliquid accidentale quale est quodlibet indivisibile quantitatis, ex modo accidentali et substantia fit unum per se. Major patet. Nam nisi sit unum per se, nulla substantia corporea ponetur in prædicamento, cum nulla talis sit quæ ex pluribus partibus non sit conflata mediante unione. Deinde si indivisibilia quantitatis ex natura sua sunt uniones substantialium partium: ergo cum unio non sit unitiva sed actualis nexus ut 1. Phys. ostendi, deberent omnes uniones quantitatis cum separatur a substantia ut in mysterio Eucharistiæ corrumpi. Ex quo constat, quod quemadmodum si Deus quantitatem conservet sine subjecto etiam ejus indivisibilia sine subjecto conservare debet; ita si substantia conservetur sine quantitate hæc indivisibilia continuativa partium substantiæ debere corrumpi, et de novo produci unionem per quam quælibet pars cuilibet parti copuletur, nam ut in Logica diximus non nisi ratione quantitatis convenire substantiæ ut habeat hujusmodi uniones respondentes indivisibilibus quantitatis, per quarum unam, una pars uniatur uni parti non alia, licet concedendum etiam sit, in substantia respondente parti quantitatis indeterminatæ carente punctis, dari unionem diversæ rationis ab ea quæ fit per indivisibilia.

Dices cum Gregorio in argum 3. pro 3. concl.: Hujusmodi indivisibilia materiæ cum produci debeant quoties unio fit discontinuorum, creabuntur; cum enim non sint in subjecto, independenter ab illo producuntur est postea annihilantur. Eodem modo indivisibilia terminantia quantitatis sine subjecto existentis, crearentur per divisionem hostiæ. Respondeo: indivisibilia materiæ fiunt absque concursu subjecti cui inhærent, non tamen absque concursu subjecti cui adhærent, i. e. partium quibus adhærent, et ita educuntur ex potentia illarum partium et juxta illas manent adhærendo, id quod etiam significatur per vocem eductionis. Idem dicendum est de indivisibilibus quantitatis existentis sine subjecto.

Ex his patet, quod licet corpus ut distinctum a linea et superficie habeat longitudinem et latitudinem propriam, tamen ipsam

lineam ut est species quantitatis distincta a superficie etc. non esse ipsum corpus consideratum ut longum. Constat secundo: falli auctores primæ sententiæ. Revera enim linea non est ipsum corpus consideratum ut longum, latum etc., tum quia si ita esset componeretur ex lineis, et essent plures lineæ immediatæ in continuo, cum nulla pars corporis sit quæ non possit considerari solum ut longa: ergo sicut duæ partes corporis sunt sibi immediatæ per suas entitates cum nihil intercipiatur inter illas, ita si quælibet illarum partium consideretur ut longa est linea, erunt plures lineæ immediatæ etc. Tum quia ostendimus hactenus dari lineas quæ non sint latæ et profundæ; at omnes partes corporis sunt corpus ac proinde longitudinem et latitudinem includunt: ergo præter longitudinem et latitudinem corporis, datur linea et superficies quæ aliquam indivisionem habent per quam distinguuntur a longitudine et latitudine corporis ut loco cit. explicavimus. Auctoritates Aristotelis quæ contra nostram sententiam afferri solent, optime explicant Conimbricenses supra art. 3. et Suarez n. 68. Cum enim dicit Aristoteles 3. Metaph. text. 17. superficiem solum esse in solido potentia, intelligi debet de superficiebus terminativis, hæ enim non nisi post divisionem sunt, cum ante unica solum superficies continuativa præfuerit. Quod vero 8. Phys. text. 68. ait infinita dimidia esse non actu sed potentia in continuo, explicavimus qu. 2. ad. 1.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondeo: indivisibilia quantitatis, cum sint accidentia, esse tanquam in subjecto immediato in indivisibilibus substantiæ per quæ uniuntur partes substantiales, ut recte Suarez sect. 6. n. 54. Indivisibilia autem substantiæ non inhærent ulli subjecto, cum non sint accidentia, sed modi substantiales ut 1. Phys. disp. 4. diximus. Et hujusmodi uniones substantiales etiam materiæ corruptibiles sunt sicut etiam indivisibilia quantitatis ut 1. Phys. diximus. Nec ad hoc ut ista indivisibilia quantitatis uniant partes quantitatis debent illis inhærere, sicut enim unio partium quantitatis non ordinatur in hunc finem ut unam partem ponat intime præsentem alteri, sicut unio formæ cum materia etc., ita non est necesse ut ipsa unio sit intime præsens partibus unitis, sed sufficit si sit deinceps, i. e. ut sit juxta et post partes quas unit. Ad confirmationem. Indivisibile, ut v. gr. punctum, non proprie tangit lineam, sed est terminus qui extrinsece et deinceps est additus seu postpositus lineæ

licet nihil mediet inter illam et punctum, ac proinde sit extra lineam et deinceps illi. Idem dico de superficie. Revera enim tactus non est nisi cum extrema tangentium sunt simul; at nullum est extremum lineæ immediate post punctum, sicut nec est ulla pars. Ad secundam confirmationem: concedo antecedens, nego consequentiam. Licet enim partes indeterminatæ non habeant indivisibila cortinuativa et terminativa, habent tamen partes determinatæ, ut diximus.

Ad secundum. Recte Conimbricenses citati ad 2. et Suarez disp. 40. sect. 5. n. 43. ajunt in qualibet parte continui est infinita multitudo punctorum, sicut sunt infinitæ partes determinatæ communicantes, primum vero et ultimum punctum in linea, non pertinere ad infinitum numerum punctorum, sed esse extra sortem illorum, eo quod puncta illa infinita non sint nisi continuativa, quæ ita se habent ut inter illa nec primum nec ultimum dari possit, siquidem nullum sit assignabile ante quod et post quod non sint infinita. Addunt posse infinitum claudi terminis, dummodo post illos terminos non possit assignari aliquid ultra quod et citra quod non sint infinita. Ad illud quod additur de circulo respondent Conimbricenses ad 3., totidem esse puncta in uno circulo quot in alio, sicut 3. Phys. cap. 8. qu. 1. art. 4. ad 1. docent, totidem esse partes proportionales in parva et magna quantitate. Sed revera falluntur, nam ut infra dicetur etiam in infinito unum est majus altero, et cum circulus major duplo majorem habere possit peripheriam quam minor, sequitur in parte majoris peripheriæ totidem esse puncta quot in tota peripheria minoris circuli. Ergo cum totum sit majus parte, in tota peripheria majoris circuli plura erunt puncta quam in parte. Supposito ergo quod a quolibet puncto majoris circuli non solum possit duci, sed de facto etiam sit ducta linea recta continuativa partium ad centrum, respondeo ad instantiam: eam esse naturam infiniti ut pauciora infinita, pluribus respondere possint si diversam habeant positionem et situm vel raritatem. Unde licet si duæ lineæ rectæ juxta se ponantur, punctis lineæ minoris adæquate respondeant puncta lineæ majoris, quæ sunt in parte illius æquali minori lineæ, alia vero puncta, quæ sunt in parte qua superat lineam minorem, non habeant ulla puncta respondentia sibi in linea minori, si tamen inflectantur in circulum, ratione hujus positionis fiet ut nullum punctum sit in majori linea cui non respondeat aliud in minori. Idem est si duæ superficies æque densæ sibi superponantur, tunc

enim singulis punctis unius, singula puncta alterius respondent, et si rarefiat una, atque ita ulterius extendatur (supposito quod non acquiratur nova quantitas in rarefactione), fiet ut in superficie rara sint aliqua puncta quæ non tangant puncta ulla superficiei densioris, ac proinde habeat puncta quibus non respondeant in superficie densa ulla puncta. Idem est si duo motus simul fiant, unus celer, alter tardus. In quolibet enim instanti in quo velox tangit unum punctum plani super quod movetur, tardum etiam tangit aliud, et tamen clarum est in fine motus plura puncta tacta esse a mobili veloci quam a tardo, quia velox transivit majus planum in quo sunt plura puncta quam in ejus parte, singula autem puncta lineæ rectæ per quam motum est tetigit. Et tamen singulis punctis tactis a mobili veloci, respondent singula puncta tacta a mobili tardo, ac proinde plura paucioribus respondent. Et quod in quantitate diversus situs etc. partium faciat hujusmodi effectus mirabiles, ex eo patet, nam fieri potest ex diversa positione linearum, ut unus angulus minor augeatur in infinitum ut semper major et major fiat, alter vero qui fuerat major in infinitum minuatur, semper tamen id quod augetur minus manibit, quod minuitur majus, idque ob solam diversam positionem linearum angulos conficientium, ut demonstrat Clavius De angulo contingentiæ et angulo rectilineo lib. 3. propositione 16. in fine ex Cardano.

Ad tertium respondent Conimbricenses 6. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 3. ad 4. In quolibet continuo esse unam lineam continuam et unam superficiem continuam. Ad illud vero de linea gyrativa respondent ibi et lib. 3. cap. 8. qu. 1. art. 5. ad 2. non esse infinitam lineam licet in ea sint infinitæ partes v. gr. palmares, quia non sunt plura entia, sed sunt in continuo per modum unius. Si autem quælibet esset indivisa in se et divisa a quolibet alio, essent per modum plurium entium. Sed revera non expediunt difficultatem, nam si illæ partes æquales essent discontinuæ, bene intelligeretur quomodo non facerent unum continuum infinitum; at vero quod constituant unum totum, nullo modo officit quominus constituant infinitam longitudinem. Imo non possent alio modo facere infinitam longitudinem quam hoc modo partibus inter se unitis, ac proinde unum quid constituentibus. Respondeo ergo: concedi posse lineam etc. esse infinitæ longitudinis si unica duntaxat et continua admittatur esse linea in quadrato, vel in columna. Ego tamen probabilius puto non esse unicam lineam etc. conti-

nuam in tota columna, sed plures, nec inter se immediate unitas secundum longitudinem, sed solum mediate quatenus seipsis uniuntur lineæ superficiebus. Unde licet sint infinitæ lineæ gyrativæ in columna, quadrato etc. palmares v. gr., eæ tamen non ita sunt inter se ordinate dispositiæ ut vult argumentum. Quælibet ergo linea circumdans columnam secundum crassitiem, finitur per modum circuli, et ita inter quamlibet illarum intercedit superficies indeterminata, ac proinde illæ lineæ non sunt continuæ inter se immediate secundum longitudinem, et ita non efficiunt unam longitudinem infinitam. Eodem modo nec superficies sunt unitæ secundum latitudinem, cum inter illas corpus intercedat.

Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo. Ex se quidem quælibet res creata est finitæ perfectionis ac proinde etiam quantitas, hoc tamen peculiare est in quantitate ut nullum habeat terminum in quo tangi possit, sed necessario aliquid distinctum a partibus debeat esse ultimum per quod finiatur et terminetur, cum sine illo non sit terminata. — Ad confirmationem. Se ipsa petit quantitas palmaris tantum locum, et se ipsa habet ut ulterius non extendatur; se ipsa tamen non habet ut sit terminata, sed per indivisibile quod est terminus et ultimum, nec quidquam aliud esse possit in linea bipalmari quod sit ultimum et ultra quod non sit aliquid ipsius. Ad 2. confirmationem. Deus non potest facere ut quantitas nullum habeat indivisibile terminativum, ut recte Fonseca sect. 6. ad 1., sicut non potest facere ut careat omni figura, omni ubi, omni duratione etc. Si autem per intellectum auferamus indivisibilia intelligetur quantitas interminata et nullius figuræ. Et falso supponit objectio fore nihilominus peripheriam in corpore circulari ablata superficie etc., nam revera id quod non est extremum circuli, non est peripheria illius, non efficit figuram circularem, sed nulla pars corporis est extrema, cum nulla sit ultima: ergo. Si autem a corpore auferetur superficies non fieret contactus sine penetratione, sed illi casus ut dixi sunt impossibiles.

Ad argumenta tertiæ sententiæ respondeo: dari in continuo uniones partium indeterminatarum quæ non fiunt ab indivisibilibus, nihilominus partes determinatæ uniuntur indivisibilibus, sicut et partes substantiæ integrantes. De unione graduum intensionis lib. De generat. Hujusmodi autem indivisibilia producuntur vel ab ipsis corporibus fluidis quæ si juxtapositio adsit habent vim producendi talia indivisibilia, vel quod verius puto a Deo auctore naturæ.

Corrumpuntur autem uniones continuativæ per separationem partium ab invicem. Ad confirmationem: punctum non esse de essentia lineæ in communi ostendimus loco cit. in argumento, licet sit de essentia lineæ finitæ et determinatæ, ut talis est.

QUAESTIO QUINTA.

An extensio in ordine ad locum, impenetrabilitas et figura distinguantur a quantitate, et quid sint.

Dico primo. Extensio in ordine ad locum, ex natura rei distinguitur a quantitate quæ est subjectum accidentium corporeorum, estque tanquam in subjecto in ipsa quantitate quæ est subjectum aliorum accidentium. Primum est Suaresii et aliorum citandorum, et probatur eisdem argumentis quibus in Logica qu. 1. De quant. dicto 3. ostendi contra Durandum essentiam quantitatis in communi non consistere in extensione locali, quia manere potest quantitas sine extensione in ordine ad locum ut patet in corpore Christi in Eucharistia, quod est quantum et tamen non est extensum in ordine ad locum ut ibi diximus et optime ostendit Suarez 3. p. tom. 3. disp. 51. sect. 2. Deinde in condensatione corrumpitur extensio, in rarefactione acquiritur et tamen non corrumpitur quantitas quæ est subjectum accidentium, siquidem et ipsa accidentia corporea in illa subjectata corrumperentur vel migrarent, quod tamen contra experientiam est. Ergo hæc extensio distinguitur etc. — Confirmatur, quia species sacramentales rarescunt et acquirunt novam extensionem ab agentibus naturalibus: ergo si hæc extensio non est aliquid distinctum a quantitate quæ est subjectum accidentium, non educitur talis extensio ex potentia ullius subjecti; consequenter creatur vi agentis naturalis, cujus argumenti vis magis apparebit ex dicendis de rarefactione. Deinde si extensio in ordine ad locum est quantitas quæ est subjectum connaturale accidentium corporeorum cum Christi corpus in Sacramento non habeat hanc extensionem, ejus accidentia sine subjecto erunt, vel fingendum esset miraculum sine necessitate, quod scilicet in materia immediate subjectaretur.

Secundum est Suaresii ut diximus 1. Phys. disp. 2. qu. 5. dicto 4. in 2. probatione. Et ratio est, nam species sacramentales ab agentibus naturalibus possunt rarefieri et consequenter potest

in iis produci extensio in ordine ad locum: ergo hæc extensio educitur ex potentia subjecti, non nisi quantitatis quæ est subjectum ceterorum accidentium: ergo. Nec id mirum videri debet; sicut enim actus vitales, licet sint qualitates quædam, subjectantur tamen in potentiis quæ etiam sunt qualitates: ita hic etc. Ex qua dependentia quare non sequatur rationem qualitatis analogice illis convenire disp. 2. De prædicam. qu. 5. dicto 1. explicavimus.

Dico secundo. Extensio in ordine ad locum est vera quantitas, et constituit speciem distinctam quantitatis continuæ permanentis ab ea specie quantitatis, quæ est subjectum accidentium. Hanc puto esse sententiam eorum qui per rarefactionem acquiri volunt quantitatem, et hanc conclusionem innui in Logica qu. 1. De quantit. dicto 3. Probatur. Nam ratio quantitatis in communi in eo consistit ut habeat partes extra partes, modo explicato in Logica, et ut per illam ejus subjectum extensionem partium acquirat. Sed extensio in ordine ad locum ex se habet partes extra partes, et facit ut ejus subjectum, scilicet quantitas quæ est subjectum accidentium non habeat omnes partes in indivisibili, sed ut una ejus pars sit extra locum alterius, cum ex se illa quantitas hoc non habeat ut patet in quantitate corporis Christi sub speciebus sacramentalibus: ergo. Minor probatur. Nam quod habet partes extra partes in ordine ad locum, eo ipso essentialiter illi convenit habere partes extra partes in ordine ad se; si enim non haberet unam partem extra aliam in ordine ad se: ergo omnes partes omnibus, et omnes singulis immediate essent unitæ, ac proinde præsentes, cum uniri non possint naturaliter absentia. Ergo cum extensioni in ordine ad locum essentialiter conveniat habere unam partem extra aliam in ordine ad locum, essentialiter etiam ei convenit habere unam partem extra aliam in ordine ad se. Corfirmatur. Nam omnes tribuunt quantitati velut effectum ejus formalem dare rebus materialibus hanc molem quam videmus. At hæc est formaliter per extensionem ad locum, sine ea enim esset in indivisibili. Similiter cum quæritur quanta res sit bene respondemus per extensionem, si vero quæritur qualis non apte respondemus per extensionem: ergo. Nec valet quod aliqui dicunt, extensionem hanc esse modum quantitatis quæ est subjectum accidentium, et ideo non esse speciem quantitatis sicut nec subsistentiam substantiæ, nam non est contra rationem alicujus speciei positæ in prædicamento ut sit modus, ut diximus in Logica qu. 2. De quant. ad 2. Unde 2. Phys. disp. 3. qu. 2. dub. 1. in fine et

loco ibi citato ostendimus etiam actionem aliquam esse modum, eodem modo fatentur multi figuram esse modum et tamen esse speciem quantitatis.

Ex quo refellitur id quod docet Suarez 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 1. fol. 556 initio et disp. 40. Metaph. sect. 2. n. 14., scilicet ubi seu præsentiam in loco quantitati connaturaliter debitam formaliter et essentialiter esse eandem passionem quantitatis cum extensione, ita scilicet ut quemadmodum initio sectionis dixerat, per naturalem præsentiam extendatur corpus in ordine ad locum, ut scilicet totum corpus sit in toto loco, pars in parte. Et disp. 51. sect. 2. §. Dicendum ergo, ait Nominales qui nihil aliud volunt esse quantitatem quam extensionem in loco, confundere ipsum ubi intrinsecum cum quantitate, quia extensio ad locum est. Ex quo infert illa quæstione disp. 51. in omni motu locali variari extensionem in ordine ad locum, saltem hanc numero. Infert præterea illa disp. 48. §. Secundo infero, substantiam habere propriam extensionem ad locum re ipsa distinctam ab extensione quantitatis. Et idem dicit de omnibus accidentibus distinctis inter se ex natura rei; ratio enim qua ipse ibi utitur hoc convincit. Ait enim præsentiam rei cujusque esse modum ejus intrinsecum, et conservari posse præsentiam unius rei, non conservata præsentia alterius, sicut inquit conservatur præsentia quantitatis in speciebus sacramentalibus corrupta præsentia substantiæ panis, et eodem modo conservare posset Deus præsentiam substantiæ vel albedinis etc. corrupta quantitate.

Hæc tamen mihi non probantur. Nam in primis quod extensio in ordine ad locum non sit *ubi*, seu præsentia localis, probatur tum quia hæc extensio ut ostendimus veram et propriam rationem quantitatis habet, estque species quantitatis. At *ubi* non est aliquid spectans ad prædicamentum quantitatis, sed est distinctum prædicamentum. Tum quia per rarefactionem acquiritur extensio in ordine ad locum: ergo si hæc extensio est *ubi*, rarefactio erit motus localis, siquidem ejus terminus erit *ubi*. Tum quia si *ubi* cujus una pars est in una parte loci, alia in alia, sit ipsa extensio in ordine ad locum, evidenter siquitur Christum in Eucharistia, imo et angelum dum est in loco divisibili habere extensionem in ordine ad locum. Nam ut ipsemet Suarez fatetur illa disp. 48. initio divisibilis est præsentia corporis Christi in Eucharistia, alia enim est pars ubi per quam Christus est in una parte hostiac ab ea per quam est in alia, potest enim una pars corrumpi altera remanente,

ut si applicato igne corrumpatur una pars specierum, altera parte intacta. Eodem modo angelus existens in loco divisibili potest cessare esse in una parte loci et in alia remanere. Tum denique, quia si extensio ad locum est *ubi*, sequitur naturaliter dari penetrationem ut mox apparebit, cum penetratio non sit nisi quando plures extensiones locales sunt simul. Ex quo infero aliud oppositum ei quod Suarez ex sua sententia intulit, scilicet unicam esse in qualibet re extensionem in ordine ad locum sicut est unica quantitas et non plures, cum tamen si hæc extensio sit *ubi*, recte et consequenter philosopharetur Suarez, tum quia revera sequeretur penetratio si plures extensiones essent simul ut mox dicemus; tum quia cum hæc extensio sit quantitas, sicut una quantitas sufficit ad extendenda omnia accidentia etc., ita una extensio.

Dices: Relatio distantiæ et propinguitatis fundantur in *ubi*. Sed intellecta re extensa ad locum, ejus partes eo ipso intelliguntur habere distantiam. Ergo hæc extensio est *ubi*. — Respondeo. Sicut quælibet res natura sua petit aliquam præsentiam ut nec Dei virtute possit omni *ubi* spoliari, ita extensio in ordine ad locum petit *ubi* per quod una pars ejus ponatur in uno loco, alia in alio, ita ut nec a Deo sine hujusmodi ubi possit conservari. Et talis præsentia in hujusmodi *ubi* fundatur.

Dico tertio. Penetratio duorum corporum quantitativorum naturaliter impossibilis est, quamvis divina virtute sit possibilis. Primum patet ex Aristotele citato qu. 1. et optime probat experimentis Mayronis 4. dist. 10. circa 2. partem distinctionis, Conimbricenses 4. Phys. cap. 5. qu. 4. art. 1. Nam quando aliquod corpus movetur localiter ad locum alterius expellit illud, cujus nulla esset necessitas si possent simul esse cum agens non intendat per se removere aliud. Similiter cum aliquid liquidi continetur in re solida propterea non effluit quia non potest subintrare corpus solidum: ergo.

Argumenta contra hanc partem solvunt Conimbricenses. Nam quod vas plenum cinère tantumdem aquæ recipiat, quantum si vacuum esset, non ideo fit quod se penetrent, sed quia cinis aquam in halitus resolvit, cum quo et partes cineris elevantur ut recte Aristoteles sect. 25. Probl. 8. Præterea aqua addensat cinerem ut hic minus loci occupet, et aëris aliquid intra cineres contentum aqua excludit, ac pori cineris replentur. Unde non est verum quod tantumdem aquæ recipiat vas cinere plenum nisi cinis

calidior per cribrum excretus in vas decidat, nec comprimatur manu. Tunc autem certum est multum aëris intercipi, sicut et in cervisia quæ ex alto infunditur. Unde initio vas plenum est, sed ubi aër ex cujus admixtione fit spuma evolarit, non est plenum vas. Infusa aqua, bullæ ab aëre erumpente fiunt in cinere etc. Quod vero Plinius lib. 2. cap. 62. ait, scyphum ad summa labra plenum aqua sine effusione vicenos nummos excipere, ideo est, quia partes aquæ in medio scypho in cumulum assurgunt, et latera scyphi ne defluat sustinent; si vero labra madefiant, continuo effluet.

Secundum negat Durandus 4. dist. 10. qu. 2. et dist. 44. qu. 6. ubi res extensas in ordine ad locum non posse esse penetratas etiam de potentia absoluta docet. Et ratio ejus est, tum quia si seipsis formaliter sunt impenetrabiles duæ extensiones, neque enim effective sed formaliter faciunt subjectum impenetrabile: ergo manente quantitate semper erunt impenetrabiles. Tum quia fieri non potest ut omnes partes extensionis in ordine ad locum sint sibi intime præsentes: ergo nec ut cum altera extensione locali, cum non minus sint impenetrabiles duæ extensiones in ordine ad locum, quam duæ partes ejusdem extensionis. Antecedens probatur. Nam si id fieri posset eo ipso extensio in ordine ad locum esset in indivisibili et omnes ejus partes sibi intime præsentes, ac proinde una pars ejus non esset extra locum alterius: ergo non esset extensa in ordine ad locum. sed aliquid deberet illi advenire per quod extenderetur, atque ita non esset formaliter et essentialiter extensio in ordine ad locum, sed solum potens extendi in ordine ad locum, atque adeo aliquid addi deberet per quod formaliter extenderetur. Tum quia fieri non potest ut partes durationis sint simul: ergo nec partes quantitatis permanentis possunt esse simul, nam sicut de ratione quantitatis successivæ est ut una pars sit prius altera posterius, ita de ratione quantitatis permanentis est ut una pars sit extra aliam.

Est tamen communis sententia theologorum, quos citant Conimbricenses supra art. 2. et optime probat Suarez 3. p. tom. 2. disp. 48. sect. 5., et Mayronis cit. qu. 3. in primis ex Christi Domini nativitate. Egressus est enim illæsa matris integritate, siquidem ut Isaiæ 7. dicitur virgo concepit et peperit, ex quo loco Patres citati a Suaresio eodem tomo 2. disp. 5. sect. 2. hoc confirmant. Similiter Christus ex tumulo clauso egressus est, ingressus ad disci-

pulos januis clausis Joan. 20., et denique ascendens in coelum penetravit coelos Hebr. 4., quæ omnia divina virtute facta fuisse Patres citati a Suaresio illa disp. 48. docent. Nam quod Durandus ait Christum per fenestras ingressum ad discipulos, ridiculum est, et contra Patrum expositionem. Et quamvis dici posset Christum in his omnibus sine penetratione transiisse ab extremo ad extremum sine medio, cujusmodi transitum possibilem esse disp. De motu locali ostendam, tamen Patres ut Hilarius 3. De Trin., Epiphanius Hæresi 20., Ambrosius lib. 10. in Lucam in lect. feriæ 3-æ Paschatis etc. penetrando transiisse per medium ajunt. Et denique ex communi Patrum sententia dos corporis gloriosi est subtilitas per quam fit ut possit penetrare materialia, propter quam causam 1. Corinth. 15. corpus dicitur spirituale, quia ut Cyrillus Catechesi 18. et Epiphanius Hæres. 64. ait tanquam spiritus per omnia poterunt permeare gloriosa corpora. Et hoc ipsum confirmatur ex comparatione Christi Math. 19. ubi facilius ait esse camelum transire per foramen acus etc. apud Deum tamen id possibile esse, quem locum de potentia Dei absoluta et de integro camelo per foramen transeunte exponunt Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus in illum locum, Augustinus De spiritu et litera cap. 1. et lib. 2. Quæst. evang. qu. 47., Epist. 89. qu. 4., Nazianzenus Orat. 4. De theol. et Maldonatus ibidem, de quo late Claudius Sanctes Repet. 4. cap. 4.

Ratio est, quia licet impenetrabilitas corporum se sola impediat quodlibet agens naturale ne producat *ubi* quo constituatur in loco in quo est ipsa, Deus tamen in potentia obedientiali corporis potest producere tale *ubi*, nec ex hoc sequitur aliquid contra rationem formalem quantitatis, sicut potest Deus duas qualitates contrarias in summo ponere in eodem subjecto. Ut autem explicemus quomodo fiat penetratio et solvamus rationes Durandi videndum est quid sit radix impenetrabilitatis et quid hæc sit formaliter.

Dico quarto. Reipsa non est aliud impenetrabilitas quam extensio corporis in ordine ad locum quæ seipsa formaliter reddit corpus impenetrabile. Et primo quod impenetrabilitas oriatur a quantitate ostendimus qu. 1. et per se clarum est cum non repugnet aliis rebus simul esse, ut pluribus substantiis, qualitatibus etc. Quod vero impenetrabilitas non proveniat a quantitate quæ est subjectum accidentium, sed ab extensione locali docet div. Thomas 3. p. qu. 76. art. 4. ad 2. ubi ait quantitatem panis et quantitatem corporis

Christi non se mutuo excludere eo quod quantitas corporis Christi est sine extensione et dimensione ad locum. Et confirmatur. Nam quantitas sine extensione ad locum est in indivisibili, ac proinde partes ejus sunt sibi intime præsentes (licet habeant extensionem in ordine ad se ut in Logica diximus) nec possunt in extensione locali esse, nisi ita ut tota in quolibet indivisibili reperiatur, quomodo est corpus Christi in Eucharistia. Ergo sine extensione ad locum non possunt partes quantitatis non esse sibi intime præsentes: ergo sine illa non est quantitas impenetrabilis. Quod vero sola extensio corporis sit causa impenetrabilitatis patet. Nam duæ superficies duorum corporum se tangentium, et duæ lineæ cylindri et plani se tangentium sunt sibi intime præsentes ut supra ostendimus. Ea enim sunt contigua quorum extrema sunt simul, et tamen nulla ibi est penetratio, quæ naturaliter impossibilis est. Denique quod ipsa extensio in ordine ad locum sit ipsa impenetrabilitas innuit recte Suarez tom. 3. disp. 48. sect. 1. initio, ubi præsentiam divisibilem in ordine ad locum ait impedire ne quodlibet aliud corpus subintret locum in quo est etc., licet in eo male sentiat Suarez quod hanc extensionem putet esse ipsum *ubi,* siquidem ut diximus quodlibet accidens ejusdem subjecti habet proprium *ubi* extensum, ac proinde si *ubi* sit extensio ad locum, non possent simul esse plura accidentia sine penetratione Et eodem modo constat non quodlibet accidens habere extensionem distinctam ab extensione alterius accidentis, essent enim illa accidentia impenetrabilia, sed unica extensione locali extendi omnia accidentia ejusdem subjecti. Quod igitur ipsa extensio localis sit formaliter impenetrabilitas.

Probatur primo. Quia licet aliqui velint impenetrabilitatem esse qualitatem secundæ speciei scilicet naturalem potentiam quæ formaliter resistendo impediat ne alia res simili qualitate affecta eundem locum subeat, tamen omnino frustra fingitur talis qualitas, maxime cum videamus, eo ipso quod corpus sit extensum ad locum penetrari non posse, et ablata hac extensione etiam ipsius quantitatis partes simul esse in eodem loco. Secundo. Extensio in ordine ad locum facit ne una pars rei quam afficit, sit intime præsens alteri quam alia pars ejus informat: ergo facit formaliter ne se penetrent. Antecedens patet. Nam extensio in ordine ad locum facit ne sint intime præsentes diversæ partes subjecti quod afficiunt, sed ut unum sit extra locum alterius: ergo cum impenetrabilitas sit forma quæ impedit intimam præsentiam, hæc extensio erit

impenetrabilitas respectu partium ejusdem corporis. Et sane, eo ipso quod intelligitur aliquid extensum in ordine ad locum, intelligitur partium illius una esse extra locum alterius et non esse unam intime præsentem alteri. Sicut ergo potest esse causa impenetrabilitatis partium ejusdem subjecti, ita poterit esse impenetrabilitatis diversarum rerum si sit extensio corporis. Nam si sit extensio indivisibilis aliquo modo, ut est lineæ et superficiei, non haberet impenetrabilitatem nisi respectu propriarum partium. Ex quibus constat, extensionem in ordine ad locum posse esse intime præsentem quantitati quæ est subjectum accidentium, et in ea subjectari sine ulla penetratione. Similiter plures partes quantitatis quæ est subjectum accidentium non habere impenetrabilitatem, sicut nec plura accidentia etc., ac proinde si ponantur in eodem puncto, sicut tota quantitas corporis Christi ponitur in punctis specierum, non esse penetrationem ullam, sed tunc solum cum duæ extensiones in ordine ad locum duorum corporum de prædicamento quantitatis sunt simul, dici penetrationem.

Ad argumenta Durandi. Ad primum. Seipsis quidem sunt impenetrabiles extensiones, ita ut nulla potentia naturali fieri possit una alteri intime præsens, ex eo autem quod virtute Dei ponantur præsentes, non tollitur quin adhuc verum sit nulla virtute naturali posse fieri intime præsentes, ac proinde quin adhuc maneant dimensiones impenetrabiles. Unde licet duo corpora se penetrent Dei virtute adhuc tamen remanent impenetrabiles cum aliis rebus. Hic autem effectus dimensionis qui est excludere aliam dimensionem ab eodem loco non est nisi respectu tertii, scilicet agentis naturalis, ac proinde sicut calor et frigus in summo se mutuo excludunt, quia sunt incompossibiles respectu potentiæ limitatæ materiæ, et nihilominus in potentia obedientiali ipsius conservari possunt a Deo supernaturaliter, manente nihilominus connaturali illorum accidentium incompossibilitate, ita in præsenti.

Ad secundum. Sicut de ratione quantitatis in communi est, habere partes extra partes in ordine ad se, et per penetrationem hoc tolli non potest ut in Logica qu. 1. De quant. ad 2. objection. dixi, ita de ratione extensionis ad locum est, ut una pars ejus sit in una parte loci, alia in alia, quod cum sit essentiale ipsi ut recte probat argumentum, nec divina virtute ab ea tolli potest, ac proinde non potest illam in indivisibili ponere, eo enim ipso non esset una pars extra locum alterius. Potest tamen Deus facere ut partes ejusdem

corporis extensi totaliter se penetrent, et tunc quælibet pars penetrata tanto spatio loci commensurabitur, quanto (licet post penetrationem utraque pars eidem spatio extrinseco commensuretur) antea cum diversis spatiis commensuraretur. Et ita nulla esset etiam in eo casu pars extensionis localis quæ non esset extra locum aliquarum partium, licet non omnes essent extra locum omnium, sed potius aliquæ essent in eodem loco cum aliis, nec necessarium est ad extensionem localem, ut omnes ejus partes sint extra locum omnium partium, nisi cum modo connaturali existant; sufficit si omnes sint extra locum aliquarum partium. Unde negatur consequentia dicti argumenti.

Ad tertium. Sicut quia essentiale est extensioni locali ut una pars sit extra locum alterius, idcirco Deus non potest facere ut ponatur in indivisibili: ita quia durationi successivæ essentiale est ut habeat partes sibi succedentes, fieri non potest ut una non sequatur alteram, de quo latius suo loco.

Dices: Impenetrabilitas est repugnantia occupandi eundem locum. Sed occupatio loci formaliter fit per *ubi*. Ergo et impenetrabilitas. Respondeo: Certum est plura *ubi* etiam extensa in ordine ad locum posse simul esse, ut patet in materia et forma divisibili substantiali et accidentali quæ omnia habent propria *ubi*, et tamen sunt simul. *Ubi* ergo solum dat corpori esse præsens spatio. At vero tam corpus quam *ubi*, per extensionem ad locum qua etiam ipsum *ubi* extenditur, habet ut divisibiliter loco respondeat, et facit ut dum locum occupat per *ubi* divisibile, repellat aliud corpus. Et ita non per *ubi* formaliter extenditur aliud corpus, sed per extensionem localem.

Dico quinto. Figura non est aliquid ex natura rei distinctum ab extensione quantitatis in ordine ad se, vel in ordine ad locum cum tali *ubi*. Quod antequam probemus sciendum est, optime a Suaresio 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 1. ad 2. tradi, figuram duplicem esse posse. Una dici potest figura quam res habet in ordine ad se; altera quam habet in ordine ad locum. Et prior quidem provenit a quantitate quæ est subjectum accidentium, ab ejus scilicet lineis et superficiebus; posterior ab extensione locali. Priorem retinet res licet non sit extensa in ordine ad locum, quomodo corpus Christi in Eucharistia in quolibet puncto est cum omnibus membris eodem modo figuratis in ordine ad se, quo dum in terris conversaretur Christus Dominus figuratæ erant. Posteriorem

autem nulla res habet sine extensione ad locum, et hæc variari potest ex solo motu locali, invariata prima, ut cum pedes complicamus vel extendimus, in ordine ad locum habet figuram diversam, non tamen in ordine ad se quia eodem modo sunt unitæ partes etc.

Jam probatur conclusio quæ est Pererii lib. 7. cap. 2. et Soti 2. Phys. qu. 2. art. 1., tum quia sufficienter intelligitur figura eo ipso quod intelliguntur lineæ vel superficies taliter dispositæ, ut v. gr. sine ulla qualitate addita ex eo solum, quod tres lineæ sunt dispositæ eo modo quo videmus in triangulo, intelligitur figura triangularis: ergo frustra additur aliud. Tum quia si esset aliquid distinctum ab iis quæ diximus, sequeretur quod cum virga flexibilis movetur, infinitæ qualitates sibi succedentes producerentur. Tum quia si figura non est id quod diximus, erit aliqua qualitas. Non prima; solum enim sunt quatuor primæ qualitates. Nec secunda, quæ non potest nisi ad mutationem primarum qualitatum variari, cum tamen figura varietur per solum motum localem sine prævia alteratione. Quod vero ad naturam figuræ in ordine ad locum spectet *ubi*, probatur. Nam invariata extensione locali, ex sola variatione *ubi,* variatur illa figura ut patet in dicto exemplo pedis: ergo. Ex quo patet, quod sicut extensio in ordine ad locum ex natura rei differt a quantitate quæ est subjectum accidentium, ita hæ quoque figuræ ex natura rei differunt; et sicut unica est quantitas et localis extensio per quam extenduntur omnia accidentia ejusdem rei, ita unam esse figuram. Et denique sicut non solum in extima parte corporis sunt lineæ et superficies, sed etiam in medio, ita non solum est figura in extima superficie, sed in qualibet parte corporis, et in qualibet parte superficiei sunt figuræ quas constituunt lineæ, et ideo diximus qu. 2. ad 3. omnes species figurarum actu reperiri in quolibet continuo. Ad extremum, sicut quantitas non potest esse sine lineis et superficiebus, ita nec divina virtute potest esse sine omni figura. Et ideo div. Thomas 1. p. qu. 7. art. 1. ad 2. docet, quantitatis terminum esse figuram, non enim est aliud quam terminatio quantitatis; quod non ita intelligendum est, quasi extimus tantum terminus figuram contitusat, sed quod etiam terminus internus, qualis est terminus continuans. Ex quo etiam confirmatur nostra sententia, nam figura est quantitatis terminatio; at hæc non est aliud quam linea et superficies.

Objicies: Aristoteles in prædicamentis cap. De qualit. figuram ponit speciem qualitatis. Respondeo: Puto Aristotelem ex communi

philosophorum sui temporis opinione figuram posuisse inter species qualitatis, cum tamen revera non sit aliud quam terminus quantitatis, et sæpe in ea involvatur *ubi*. Unde nos quoque in prædicamentis huc rejecimus explicationem figuræ, et Aristoteles 5. Metaph. text. 19. non numerat inter species qualitatis figuram. Et quidquid tandem senserit Aristoteles nobis quæ diximus veriora videntur. Hæc tamen quæ diximus intelligenda sunt de figura quantitatis continuæ, nam de figuris numerorum quarum meminit Aristoteles citatus, alia est ratio, nec nisi metaphorice a figura continuorum dicuntur figurati numeri.

QUAESTIO SEXTA.

An naturaliter vel supernaturaliter dari possit infinita multitudo et magnitudo.

Antequam infiniti rationem explicemus, suppono ex Fonseca 2. Metaph. cap. 2. qu. 2., Conimbricensibus 3. Phys. cap. 8. qu. 5. et sequentibus intellectum nostrum viribus naturæ non posse distincte concipere infinitum sive in essentia, sive in extensione vel intensione, quod Aristoteles 1. Phys. 35. et 65., 3. Phys. text. 63., 2. Metaph. text. 11., 3. Rhet. cap. 8. docuit. Et res est clara, cum enim finita sit vis intellectus nostri, experimur quo pluribus rebus percipiendis intentus est, eo minus perfecte ac distincte percipere singula. An vero creari possit angelus aliquis, vel de facto creatus sit qui distincte cognoscat infinitum numerum vel magnitudinem, non est præsentis instituti examinare. Et revera nullam video in hoc implicantiam. Illud etiam certum mihi est quod Conimbricenses qu. 6. tradunt, posse intellectum nostrum elevari a Deo per potentiam obedientialem ad clare et distincte simul cognoscendum infinitum; hujus enim nulla est repugnantia. Imo sicut elevat intellectum beati ad clare videndam essentiam Dei, ita a fortiori posset elevare ad videndam infinitam multitudinem etc., et de facto tradit div. Thomas 3. p. qu. 10. art. 2. et 3. animam Christi vidisse infinita. Et licet Conimbricenses citati art. 1. concl. 3., Fonseca sect. 3. putent divina virtute non posse elevari intellectum ad cognoscenda infinita successive, quia ajunt infinitum pertransiri tunc posset finito tempore, puto tamen etiam hoc modo successive posse cognosci infinita, sicut infra ostendam posse produci infinitos

angelos etc. successive in uno horæ minuto. In eo enim sunt infinita instantia sicut in continuo infinita puncta ut suo loco dicetur, et in singulis instantibus cognosci posset aliquid. Sed de his plura auctores citati. Nec Aristoteles aliud vult quam ab intellectu nostro naturaliter non posse finito tempore infinita cognosci, quia non potest quantocunque conatu adhibito intellectus in singulis instantibus novas cognitiones producere.

Jam ergò infinitum ait Aristoteles 3. Phys. text. 62. non esse cujus nihil est extra, id enim omni toti convenit, sed potius cujus aliquid semper est extra, et text. 63. infinitum est ait cujus secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere est extra, quæ definitio ita intelligi debet ut infinitum sit in quo ultra quamcunque partem determinatam et finitam, aliam æqualem vel majorem accipere possumus, ut optime exponit Gregorius 1. dist. 44. qu. 4. art. 2. ad 1. probat. 11-æ objectionis. Nisi enim hoc modo intelligatur, quælibet quantitas continua infinita esset, nam ejus aliqua pars proportionalis semper est extra, et præterea quia licet extra quamlibet partem determinatam infiniti alia sumi possit, extra omnes tamen partes cujusvis infiniti nihil est quod sumi possit. Et hoc modo etiam intelligi debet illa descriptio quam lib. De sensu cap. 6. tradit, finita sunt inquiens quæ habent ultimum, et 6. Top. loco 78. cum ait infinitum non habere extremum nec medium. Unde non requirit Aristoteles ad rationem infiniti ut careat termino quo claudatur, revera enim etiamsi Deus creare posset infinitum corpus, illud totum per penetrationem partium vel ablationem extensionis localis posset pugno hominis includere. Et similiter diximus partes proportionales continentur et velut extremis clauduntur punctis et lineis etc.

Infinitum vero aliud est actu, aliud potentia, ex Aristotele 3. Phys. text. 56. Infinitum actu est cujus tota entitas potest existere simul, vel extitisse successive, et hoc vocatur infinitum categorematice, quia scilicet simpliciter et absolute ac sine ullo syncategorematico addito dicitur infinitum, atque ita explicatur aliquo nomine quod sit categorema. Infinitum in potentia est, cujus quidquid existit vel extitit finitum est, semper tamen amplius et amplius superest quod existat. Unde ratio infiniti in potentia non in eo consistit ut nulla pars sumi possit quin restet alia sumenda, hoc enim etiam infinito actu convenit, sed necessarium est ut nunquam totum illud infinitum sit vel fuerit actu, sed semper id

quod existit vel extitit, sit finitum, restent tamen semper plura et plura in actu ponenda. Unde hoc infinitum dicitur in potentia, non quod produci possit totum simul existens, sicut mundus ante creationem dicebatur ens in potentia, nam quod est infinitum in potentia nunquam potest totum actu produci, sed semper id quod productum est illius finitum erit, licet quod semper est producendum termino careat, sed quia post quamcunque partem productam, semper remaneant aliæ partes quæ produci possunt. Et hoc vocatur infinitum syncategorematicum, quia ejus infinitas significatur aliquo syncategoremate ut recte Gabriel 2. dist. 1. qu. 3.; neque enim dicitur infinitum absolute, sed infinitum in potentia, vel finitum in infinitum, et hæc tota doctrina est Aristotelis citati text. 58.

His præmissis non disputamus hoc loco an aliqua duratio creata possit esse actu infinita, hoc enim disputatione De motu qu. ultima explicatur, ubi an aliquid creatum potuerit ab æterno esse disputabimus. Nec, an intensio qualitatum infinita esse possit, ut infinitum lumen gloriæ, infinita charitas etc., de his enim late disputant theologi 2. 2-æ qu. 24. art. 7. et nos lib. De generat., sed solum hic quæstio est, an multitudo vel magnitudo actu infinita dari possit. Certum enim est, nullum ens præter Deum dari posse perfectionis infinitæ in essentia, ut recte Valentia 1. p. qu. 7. punct. 2. et alii docent. Et ratio breviter est. Nam infinitas perfectionis essentialis includit perfectionem existendi a se, si enim hanc non includat limitatam necessario ac finitam habet perfectionem essentialem. At impossibile est ut aliquid præter Deum sit a se. Ergo etiam ut sit infinite perfectum in essentia. Quomodo autem ex eo, quod Deus quacunque creatura assignata possit perfectiorem creare, non sequatur posse infinitæ perfectionis creare, theologicum est, et explicant Valentia 1. p. qu. 25. puncto 3. et in ejus qu. art. 6. Molina, Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 3. et latius 1. Cœli cap. 9. qu. 3. et alii.

Porro hic antequam ulterius progrediamur notandum est, male quosdam colligere infinitam multitudinem aut magnitudinem actu possibilem esse ex eo quod Deus cognoscat infinita ut docet div. Thomas 1. p. qu. 14. art. 12., Augustinus 12. Civit. cap. 18., et præter Molinam in illum locum div. Thomæ, Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 4. Revera enim, licet Deus cognoscat v. gr. cogitationes beatorum futuras in patria quæ plures sunt quocunque numero finito, et cognoscat etiam omnes magnitudines producibiles

a se, quæ sunt majores quacunque magnitudine finita, ex eo tamen non sequitur quod omnes illæ multitudines vel magnitudines possint aliquando actu existere vel extitisse, ac proinde quod possit dari infinitum actu, nisi prius ostendatur rationem infiniti non implicare. Dicere enim quis posset Deum cognoscere quidem infinita in potentia, non tamen cognoscere infinita actu. Et revera qui negant infinitum actu esse possibile ita debent dicere ut expresse dicit Valentia 1. p. qu. 14. puncto 6. Ex eo autem quod Deus cognoscat actu infinita in potentia non sequitur illa omnia posse simul produci, sicut ex eo quod Deus videat omnes cogitationes beatorum futuras, non sequitur illas omnes posse esse transactas, ita ut nulla supersit futura. Unde recte advertit Valentia, quod cum dicitur Deus cognoscere actu infinita, illud *actu* non esse referendum ad objectum, quasi illud sit infinitum actu, sed ad cognitionem, ut sensus sit Deum cognoscere actu et simul multitudinem infinitam syncategorematice. Et revera optime ostendit ibi Valentia div. Thomam non alio modo dicere Deum cognoscere infinita, cum ipse neget infinitum actu esse possibile, et consequenter censet non esse ens nec cognoscibile. Qui ergo negant infinitum actu esse possibile, optime et consequenter negant Deum cognoscere infinitum actu. Ratio est, nam non plures v. gr. cogitationes futuras cognoscit Deus quam sint futuræ in re, vel quam sint possibiles fieri. Ex eo enim quod simul cognoscat quæ successive fiunt, non variatur numerus rerum. Ergo si illa non sunt infinita, Deus non cognoscet infinita. Unde patet ex eo solum quod simul cognoscantur infinita syncategorematice, non sequi illa esse infinita categorematice. Unde non est quidem concedendum illa esse infinita syncategorematice in esse cognito, ita ut sensus sit, non tot esse cognita quin plura sint cognoscenda, quia tunc terminus ille *syncategorematice* applicaretur cognitioni ipsi, quæ tamen tota simul est; concedendum tamen est, illa quæ simul cognoscuntur, esse infinita syncategorematice, i. e. tot esse ut licet quotcunque ex eis actu existant, finita sint, semper tamen plura et plura possint existere. — His positis, in præsenti difficultate

Prima et communis juniorum sententia est: contradictionem implicare ut ullum infinitum actu sive in multitudine sive in magnitudine detur, ac proinde nec virtute divina produci posse. Ita Valentia 1. p. qu. 7. puncto 3., Pererius lib. 10. cap. 11., Soto 3. Phys. qu. 4., Toletus qu. 6. et 7., Suarez tom. 3. in 3. p.

disp. 48. sect. 4. ad 1. arg. div. Thomæ. Ex antiquis vero idem sentiunt div. Thomas 1. p. qu. 7. art. 3., ibique commentatores, Scotus 2. dist. 1. qu. 3., Durandus qu. 2., Ferrariensis 1. Contra gent. cap. 81. etc.

Duplicia vero sunt argumenta quibus hæc sententia nititur. Nam aliqua probant in universum rationem infiniti implicare; alia vero id ostendunt in singulis generibus infinitorum. Probatur ergo primo. Si possibile est aliquod infinitum in multitudine et magnitudine, sequitur partem posse æqualem esse toti quod manifestam contradictionem involvit. Sequela probatur. Nam in infinito numero essent infiniti quaternarii, et similiter infiniti binarii, siquidem ex finitis binariis, infinitus numerus non consurgit. Ergo cum infinito nihil sit majus, numerus infinitus binariorum æque magnus esset, atque numerus quaternariorum, consequenter tot essent binarii quot quaternarii, et tamen binarius est pars quaternarii. Idem de magnitudine probari potest eodem modo. Similiter si essent infiniti homines, non plures essent pili illorum vel oculi, quam homines. Confirmatur. Nam quodlibet infinitum debet habere partes infinitas, ex finitis enim partibus solum finita res conflatur. Accipio ergo unum ex illis infinitis partibus, et probo hoc esse tantum, quantum est totum cujus est pars. Imo esse infinitum adæquatum, i. e. continens omnia infinita possibilia. Nam infinitum adæquatum non habet plura infinita in se quam infinities; at hoc etiam infinitum quod dicitur pars infiniti adæquati habet infinities infinitas partes: ergo si infinito adæquato nihil potest dari majus, quia continet infinita infinities, nec ejus parte dabitur aliquid majus. Confirmatur 2. Nam quodlibet infinitum continet omnia possibilia infinita: ergo pars infiniti contineret omnia infinita quæ continet totum: ergo esset æqualis toti. Antecedens probatur. Nam ex eo probant theologi Deum continere omnes perfectiones creaturarum, quia est infinitus in genere entis: ergo eadem proportione ex infinitate in aliquo genere, colligitur continentia omnium in eo genere: ergo si est infinita linea continet omnem longitudinem possibilem, nec dari potest ratio cur ex eo quod Deus sit infinitus in genere entis apte sequatur continere omnes perfectiones entis, ex infinito vero in certo genere non sequatur continentia aliorum in eodem genere. Addunt aliqui, non posse probari quod Deus non possit creare substantiam infinite perfectam, nisi illo antecedente admisso; tunc enim sequeretur quod esset Deus.

Secundo probatur. Ideo Deus est infinitus, quia est a se, ut probant theologi: ergo si aliquid sit ab alio, finitum erit, quia ut recte div. Thomas 1. p. qu. 7. art. 4. ab intentione agentis finitur et determinatur.

Tertio: Impossibilis est substantia infinite perfecta: ergo et accidens infinitum, quod connaturaliter debetur substantiæ, sicut enim quia essentia divina infinita est, ideo debentur illi attributa infinitæ perfectionis, ita quia essentia substantiæ creatæ finita est, debebuntur ei accidentia finita. At quodlibet accidens, etiamsi esset infinitum, connaturaliter deberetur alicui substantiæ, nam est essentialiter accidens, ac proinde dicens ordinem ad substantiam finitam vel infinitam. Confirmant aliqui. Nam ideo omnipotentia non potest communicari creaturæ quia infinitatem includit: ergo ratio infiniti repugnat creaturæ.

Quarto probat Valentia. Nam omnis magnitudo et multitudo eo ipso quod est actu, habet ultimum: ergo est finita, cum finitum illud sit quod habet ultimum, sicut infinitum quod non habet. Antecedens probatur. Nam ultima pars actualis in aliqua magnitudine et multitudine est illa, ultra quam et omnes alias simul sumptas non est alia pars ejusdem multitudinis vel magnitudinis. Sed in omni magnitudine vel multitudine actu existente præter unam aliquam partem et omnes alias simul sumptas nulla est alia, nisi dicas talem quantitatem habere plures partes quam habeat, seu quod idem est plures quam sint omnes partes illius, cum tamen nihil habeat, nisi quod habet: ergo. Major probatur. Nam ultimum est id ultra quod non est aliud: ergo ultimum actuale alicujus multitudinis vel magnitudinis erit ultra quod vel solum, vel cum aliquibus aliis, vel cum omnibus aliis partibus ejusdem magnitudinis etc. non est aliud. At ultimum actuale non est id ultra quod solum, vel ultra quod cum quibusdam duntaxat partibus non estaliud: ergo.

Quinto. Quod non possit produci infinita multitudo patet, tum quia si infinitos produceret Deus v. gr. angelos, exhausta esset ejus potentia cum plures producere non possit eo quod infinito fieri non possit additio. Tum quia omnis numerus est par vel impar, infinitus autem nec esset par nec impar. Tum quia omnis numerus est numeralis quod infinito non convenit. Tum quia omnis multitudo debet esse sub aliqua specie ex div. Thoma citato; at ultima unitas constituit speciem: ergo ubi non est ultima unitas, nulla est species numeri. Tum quia si sint creati infiniti homines et singuli habeant

unum aureum, eumque in cumulum conferant, singuli poterunt decem aureos ex illo cumulo auferre; si enim ille cumulus aureorum non sufficeret ut singuli decem acciperent, ergo in aliquo tandem accipiente decem aureos finiretur cumulus, ac proinde non fuissent infiniti aurei, nam in infinito numero non solum finiti, sed infiniti denarii continentur. Argumenta quæ infinitam molem ostendunt impossibilem ex dicendis alia conclusione intelligentur. Accedit auctoritas Aristotelis 3. Phys. a text. 40. etc.

Sciendum est, recte a div. Thoma 1. p. qu. 25. art. 3. ibique Molina, Valentia etc. dici id omne esse possibile quod non involvit ullam contradictionem, sicut contra id omne et solum est impossibile quod si fieret duo contradictoria vera esse sequeretur vel mediate per multas consequentias, vel immediate ut explicant etiam Conimbricenses 2. Phys. cap. 7. qu. 17. Unde optime notat Valentia citatus puncto 3. errasse Sotum qui 3. Phys. qu. 4. docet, illud etiam esse impossibile quod licet contradictionem non involvat, tamen statim ac proponitur intellectus illud respuit, sicut ait non implicat ut Filius in divinis generet, et tamen fieri non potest. Fallitur tamen. Quidquid enim habet rationem entis ita ut in suo conceptu non includat non ens, possibile est; omne antem quod contradictionem non implicat tale est. Unde in exemplo Soti implicantia est. Si enim Filius in divinis generare posset, sequeretur potentiam productivam filii eandem esse in Filio quæ est in Patre; hæc autem cum semel habuerit actum adæquatum in productione filii, sequeretur non habuisse, si secundus Filius produceretur. Ex quo constat, quod licet si concedatur infinitum esse possibile, multa concedi debeant quæ in rebus finitis quas cognoscere assuevimus non reperiantur, ex eo tamen non sequi esse impossibile infinitum, sed ut hoc sequatur oportet ostendere rationem infiniti involvere contradictionem. Jam ergo

Dico primo. Infinita multitudo rerum continuarum non solum non implicat, sed etiam de facto dantur in continuo actu infinitæ partes. Infinita etiam multitudo rerum discretarum, saltem spiritualium possibilis est, licet naturaliter talis multitudo dari non possit. Et ita in genere loquendo, infinita multitudo possibilis est actu. Ita sentit Gregorius 1. dist. 43. et 44. qu. 4. art. 1. concl. 1., Occam 2. qu. 8., Gabriel 2. dist. 1. qu. 3., Major et Almainus 3. dist. 13., Mayronis 1. dist 43. qu. 10. art. 1., Argentina 2. dist. 1. qu. 2. art. 4., Bassolius etc., et tamquam probabilem sententiam

defendunt Pererius lib. 15. cap. ult. in 4. et 5. propos., Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 2. art. 4., Molina 1. p. qu. 14. art. 6. ad 2.

Prima pars conclusionis supra qu. 2. et. 3. evidenter est a nobis demonstrata, et eam tenent Conimbricenses illo cap. 8. qu. 1. art 3. concl. 2. Nam partes continui sunt actu, et realiter inter se distinctæ, et non sunt finitæ: ergo infinitæ actu. Quod enim non sint infinitæ solum potentia et syncategorematice patet, nam illa sola sunt infinita potentia, quorum quæcunque actu sunt, finita sunt, quæ restant sine termino sunt. Sed omnes partes continui sunt simul actu et non finitæ. Ergo.

Secundum patet ex prima parte ait Gregorius. Nam v. gr. infinitos angelos produci non implicat; si enim implicaret vel ex eo solum quia daretur multitudo infinita. Atqui non implicat dari infinitas partes continui. Vel quia talis multitudo est rerum talium, scilicet angelorum. At ex hoc nulla, ne apparens quidem contradictio inferri potest. Unde Deus producere posset vel simul, vel successive infinitos angelos, ita ut singulis instantibus unius minuti singulos producat, vel solo numero, vel etiam specie differentes. — Dixi in conclusione *saltem spiritualium*, siquidem an possit multitudo infinita rerum corporearum discretarum produci, ex illa quaestione pendet, an moles infinita possit produci.

Tertium denique, quod naturaliter talis multitudo non detur, probatur. Nam infinita multitudo rerum discretarum vel esset rerum spiritualium vel corporearum. Non corporearum, ut recte Aristoteles 3. Phys. text. 69., 1. Cœli a text 33., cum res omnes corporeæ cœli ambitu contineantur et numero finitæ sint. Nec spiritualium, quia nullum habemus principium ad colligendam infinitam multitudinem rerum spiritualium, licet enim si mundus fuisset ab æterno, Aristoteles qui animas hominum immortales esse putavit, concedere deberet esse jam infinitas animas, alibi tamen ostendemus mundum ab æterno esse non potuisse. Unde ne Aristotelem sibi contrarium esse dicamus, existimo quod cum Aristoteles docet non posse dari infinitum actu, sed tantum potentia, solum loquitur de multitudine quæ consurgere potest ex divisione partium continui finiti. Ex tali enim divisione partes infinitas consurgere non posse, supra diximus. Alio modo conciliant hanc contradictionem Aristotelis apparentem Pererius lib. 10. cap. 9. ad 5. et Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 1. art. 5. ad 5.

Dico secundo. Magnitudo infinita naturaliter nulla datur, nec

ulla ratione efficaci ostendi potest infinitam magnitudinem esse possibilem. Prima pars est Aristotelis 3. Phys et late ostenditur a Pererio lib. 10. cap. 7. Ratio est, nam si quod esset corpus magnitudinis infinitæ (suppono enim magnitudinem sine subjecto, i. e. corpore de prædicamento substantiæ reperiri non posse naturaliter) illud vel esset mixtum vel simplex. Si mixtum: ergo etiam aliquod corpus simplex ex quo mixtum componitur infinitum erit, siquidem ex finitis corporibus simplicibus infinitum mixtum componi non potest. Ex simplicibus autem corporibus sublunaribus nullum esse infinitum certum est, cum illa omnia cœli ambitu contineantur. Cœlos vero infinitos non esse probat Aristoteles 1. Cœli a text. 35., quia circulariter moveri non possent ut mox probabimus. Supra cœlos autem non dari corpus infinitum, immobile, physicum non alia ratione potest probari quam quod nulla sit talis corporis utilitas et necessitas, nulla ratio vel experientia quæ dari ostendat. — Secunda pars patet ex solutionibus argumentorum quibus Nominales probant infinitæ magnitudinis possibilitatem, quæ videri possunt apud Conimbricenses 3. Phys. cap. 8. qu. 2. art. 3., Pererium lib. 10. cap. 11. et Gregorium loco cit. concl. 2. Potissimum argumentum est: Ponamus ajunt omnem magnitudinem quæ simul producibilis est a Deo produci in hoc instanti, id enim possibile esse ex terminis patet. Hæc magnitudo non esset finita; absurde enim concederetur Deum non posse aliqua creata magnitudine finita, majus producere: ergo infinita. Sed bene ad hoc argumentum respondent Conimbricenses citati ad 7., Pererius ad 1., qui enim negarent infinitum esse possibile, dicerent magnitudinem quam Deus potest creare simul vel successive esse finitam in infinitum, sicut omnes divisiones continui quas potest facere sunt infinitæ syncategorematice. Et ideo diximus qu. 3. dicto 1. in fine, non posse Deum simul efficere omnes divisiones possibiles fieri sucessive. Nec ideo dicitur id totum possibile produci, quia simul produci possit, sed quia nulla est pars quæ produci non possit, quamvis tota collectio simul non sit producibilis. Nec ad hoc ut Deus sit infinitus necessarium est ut infinitum possit producere, sed sufficit si omnia possibilia producere valeat.

Dico tertio. Si corpus undequaque infinitum daretur, illud circulariter moveri non posset, licet id neget Gregorius cit. art. 3. concl. 1.; et præterea concedi deberet aliquam latitudinem infinitam posse duabus lineis infinite distantibus concludi, quæ si quis

admittere asperum judicat, probabiliter dicere potest non posse tale infinitum dari. Hoc ut probetur sciendum est, quod si in corpore undequaque infinito accipiatur quodcunque punctum a quo rectæ lineæ in quamcunque partem egrediantur, semper illas lineas quo magis ab illo puncto recedunt, magis ac magis inter se distare atque ita (licet id neget Gregorius ad 1. contra 1. concl.) inter quascunque duas lineas in infinitum protractas infinita latitudo interciperetur. Ratio est, quia quo magis elongantur illæ lineæ, eo magis distant: ergo cum infinite elongerentur infinite distabunt. Illæ autem lineæ intra se includunt latitudinem, et non finitam actu sed majorem quacunque finita: ergo infinitam. Confirmatur. Si detur corpus undequaque infinitum, habebit infinitam latitudinem. Infinita autem latitudo non nisi ex infinitis latitudinibus componitur. Sed tota latitudo ejus corporis constat ex latitudinibus interceptis inter lineas quæ ab uno puncto ductæ sunt ad quatuor partes: ergo si quælibet illarum latitudinum finita est, tota latitudo finita erit, contra suppositionem; si autem infinita est, sequitur infinitam latitudinem lineis claudi. Jam vero quod circulariter moveri non possit probo cum Aristotele 1. Coeli text. 35. Si enim moveretur aliqua linea hujus corporis finito tempore infinitum spatium transiret, quod est impossibile. Sequela probatur. Nam una linea ex iis quæ ex uno puncto egrediuntur succederet in locum alterius tempore finito: ergo ut ad locum alterius perveniat transire debet totum spatium interceptum inter duas lineas infinite longas, et semper magis et magis distantes, ac proinde infinitum spatium. Confirmant aliqui impossibilitatem talis infiniti. Nam illud deberet esse corpus naturale: ergo principium motus. Sed in primis sat est ad rationem corporis naturalis ut sit principium quietis. Deinde an tale corpus moveri posset in rectum, ex dicendis constabit. Constat ergo, quod si quis absurdum reputet infinitum claudi extremis, eum debere negare corpus undequaque infinitum posse produci; vel certe duas longitudines infinitas ita inter se disponi ut inter illas infinite elongatas infinitum spatium intercipiatur. Si quis vero diceret id non esse contra rationem infiniti, sed potius posse infinitum claudi extremis, sicut infinita puncta lineæ duobus punctis, terminis ultimis continentur, et solum esse de ratione infiniti quod Aristoteles dixit, ut scilicet qualibet parte ejus determinata accepta, alia æqualis in infinitum sumi possit, sive claudatur extremis sive non, facile refutari non poterit.

Dico quarto. Nullam video implicantiam cur Deus non possit aliquod corpus infinitæ longitudinis procreare. Hoc ex solutionibus argumentorum primæ sententiæ constabit. Et præterea, quia si quæ aliae rationes contra hoc adferantur, facile illas solvere possumus his animadversis. In primis quod si unum corpus infinitæ longitudinis possibile est, etiam infinities infinitas longitudines esse possibiles. Et hæc infinita vel se penetrando erunt in eodem loco, vel si Deus ab iis auferat extensionem in ordine ad locum erunt in eodem puncto, vel denique unumquodque cum sua extensione locali esset in diverso spatio (licet id non placeat Gregorio illo art. 2. ad 4.), nam unum infinitum potest esse majus altero et ita licet corpus esset infinitum, spatium majus esse posset. Similiter illa infinita possunt esse æqualia vel inæqalia, posset a quolibet auferri infinitum, et tamen quod remaneret esset infinitum, siquidem infinitum omne ex infinities infinitis partibus componitur. Similiter posset per additionem magnitudinis finitæ vel infinitæ fieri illud majus, nec necesse est talem additionem fieri ultimæ parti quantitatis, si negetur in quantitate infinita posse esse ultimum. Denique tale corpus non solum posset alterari, localiter etiam posset moveri versus eam partem versus quam non est infinite extensa; versus eam autem, versus quam infinite protenditur, negat Gregorius art. 3. conl. 2. posse moveri. Non impossibiliter dici posset etiam versus eam posse moveri, ita tamen ut finito tempore non possit transire infinitum spatium quod occupabat, sed semper aliqua ejus pars remaneat in eo spatio in quo dum corpus quiesceret aliqua ejus pars erat. Atque ita semper verum est finito tempore infinita non posse transiri.

Ex quo patet quid dicendum sit ad causam quem adfert Gregorius art. 2. in 6. object., si infiniti lapides ordine disponerentur, et Deus incipiendo ab hoc qui est in hac schola secundum quemque lapidem annihilaret, an posset iterum conjungere omnes lapides. — Respondeo ergo cum Gregorio non posse per motum localem. Revera enim infiniti lapides determinatæ magnitudinis essent corrupti, ac proinde infinitum spatium vacuum relinqueretur: ergo si lapis iste qui est Graecii deberet conjungi aliis qui jam versus orientem sunt conjuncti, post conjunctionem infimite distaret talis lapis a loco in quo ante fuerat. Per tantum enim spatium transire deberet, quantum relictum est ab omnibus lapidibus corruptis. Dixi *per motum;* in instanti enim si Deus vellet transferre ab

extremo ad extremum sine medio tales lapides, posset eos conjungere et nihilominus infinitum spatium occuparent tales lapides, minus tamen quam ante occupabant omnes simul. — Dices: si Deus producat in aliqua specie totum quod potest produci exhausta erit ejus omnipotentia, quod est impossibile. Respondeo: Si Deus produceret infinitum adæquatum in aliquo genere entis, tunc nihil absurdi est concedere Deum non posse amplius ejusdem speciei producere ut ad 1. diximus. Id enim non defectum potentiæ in Deo, sed impossibilitatem objecti arguit. Imo posset Deus illa omnia annihilare et iterum reproducere.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum. Omissa responsione quam adfert Gregorius art 2. ad 2. ubi negat infinitos binarios esse partem numeri infiniti, quia nihil continet infinita multitudo centenariorum quod non contineat infinita multitudo binariorum, — nego sequelam. Potest enim unum infinitum esse et majus et minus alio et etiam æquale alteri ut recte docet præter Occam 2. qu. 8. ad 5. et Holcot 2. qu. 2. art. 5. ad 2., div. Thomas 3. p. qu. 10. art. 3. ad ultimum ubi duplex ait infinitum, scilicet simpliciter seu quod idem est adæquatum, quod scilicet omnia possibilia complectitur; aliud vero infinitum inadæquatum seu secundum quid, et tali infinito ait posse aliud infinitum esse majus (licet Conimbricenses locis citatus qu. 4. ad 2. contrarium dicant, et 3. Phys. cap. 8. qu. 2. art. 4. ad 2. etiam addant totum non semper esse majus sua parte). Et ratio est clara, nam totum semper major est sua parte; sed unum infinitum est pars alterius, si aliquod infinitum dari potest. Neque enim infinitum componi potest nisi ex infinitis. Confirmatur. Nam in quolibet continuo dantur infinitæ partes proportionales, et tamen in majori corpore plures dantur quam in minori, quia in parte majoris corporis totidem sunt partes proportionales quot in toto corpore minori: ergo in toto corpore majori plures erunt quam in minori, siquidem plures sunt in toto quam in parte. Et sicut unum infinitorum potest esse majus altero eo quod habeat plures partes, ita potest esse æquale eo quod habeat æque multas partes. Nec ullum est argumentum quo vel apparenter quidem probetur unum infinitum non posse esse majus altero, eodem enim argumento probabo unum infinitum in potentia non esse majus altero, ac proinde non plures esse partes in potentia in toto mundo, quam in grano papaveris.

Ad primam confirmationem. In quolibet numero infinito sunt

infinities infiniti numeri, nec tamen in quolibet numero infinities infinito continetur omnis multitudo possibilis, proinde potest esse unus numerus infinitus major alio. Unde sicut licet quantitas palmaris habeat infinities infinitas partes, non tamen habet omnes possibiles, quin potius quantitas bipalmaris duplo plures habet: ita etc. Unde infinitum adæquatum non est illud quod habet partes infinities infinitas, sed quod continet in se omnes partes possibiles. — *Ad secundam confirmationem.* Nego antecedens. Ad probationem: Ex eo probant theologi Deum continere omnes perfectiones possibiles, quia est infinitus in tota latitudine entis, i. e. quia in eo reperitur omnis perfectio possibilis reperiri in ente, sine imperfectione. At vero ex eo quod aliqua quantitas vel aliqua multitudo sit infinita non sequitur in illa contineri omnem multitudinem possibilem.

Ad secundum. Ex eo quod Deus sit a se recte sequitur habere Deum omnem perfectionem possibilem enti sine imperfectione, ac proinde infinitum in tota latitudine entis. Et eodem modo ex eo quod res sit ab alio, recte infertur negatio hujusmodi infinitudinis non tamen negatio infinitudinis in certo genere. Id autem quod div. Thomas de intentione creatoris addit, varie nititur fulcire Cajetanus, sed nihil agit. Revera enim Deus potest habere finem propter quem crearet infinitos angelos, ut scilicet suam potentiam, bonitatem etc. manifestaret, licet de facto finitos produxerit.

Ad tertium. Infinita multitudo partium quantitatis connaturaliter debetur infinitis partibus substantiæ corporeæ, quare ad hoc ut accidens infinitas habens partes debeatur substantiæ, non est necesse ut substantia sit infinite perfecta. Eodem modo si dari posset moles infinita v. gr. terræ, non ideo substantia terræ esset infinitæ perfectionis, imo non esset majoris perfectionis quam jam, cum multitudo partium integrantium homogenearum non arguat majorem perfectionem essentialem rei. Ad confirmationem. Nullum attributum Dei secundum eam perfectionem quam habet in Deo communicari potest creaturæ, quodlibet enim ex se petit identificari essentiæ divinæ; participatur tamen quodlibet attributum a creatura, finito ac limitato modo, et ita potentiæ creaturarum sunt participationes omnipotentiæ Dei, omnipotentia tamen, omniscientia, infinita bonitas etc. creaturæ communicari non possunt, quia hæc solum convenire possunt ei qui habet essentiam infinitam in tota latitudine entis.

Ad quartum. Revera hoc est merum sophisma. Si enim fini-

tum simpliciter est id in quo ultra unum aliquid et reliqua omnia simul sumpta non est aliud, sequitur manifeste non solum quamlibet partem continui esse ultimam, ac proinde nullam esse mediam, siquidem de qualibet parte verum est dicere quod ultra hanc et reliquas omnes nulla sit alia; verum etiam cogitationes futuras beatorum, et divisiones possibiles continui esse simpliciter finitas, quia scilicet ultra hanc divisionem qua v. gr. divido palmare lignum in duas partes, et reliquas omnes divisiones possibiles nulla est alia, quæ licet solvere nitatur Valentia in objectione 4. 6. et 7., revera tamen non solvit, et suam penitus enervat finiti definitionem. Nego ergo antecedens illius argumenti. Ad probationem nego majorem. Ultimum enim non illud est ultra quod et omnia alia nihil est, sed ultra quod determinatum nihil est aliud ejusdem rei. In infinita autem quantitate nullum tale est assignabile

Ad quintum. In primis falso assumitur quod infinito non possit fieri additio; potest enim infinito inadæqato, adæquato tamen non potest, idque non defectu potentiæ Dei, sed quia res est impossibilis. Deinde etiam numerus infinitus esse potest par et impar, nam v. gr. si infiniti homines producuntur, numerus oculorum esset par, capitum impar. Numerabilitas vero non nisi numero finito convenit ajunt quidam, unde nec numero syncategorematice infinito convenit, quia hic numerus non potest numerari. Et a nobis quidem numerari non posse certum est, ab intellectu tamen divino cognoscente numerum etiam infinitum potest denominari etiam numerus infinitus numeratus non minus quam cognitus. Infinita multitudo esset sub aliqua specie, neque enim ab ultima unitate sumitur species numeri, sed ab omnibus unitatibus simul. Et denique, si ponantur et homines et aurei infiniti, tunc ex cumulo auri infiniti homines poterunt accipere millionem auri, infiniti tamen alii nlhil habebunt (licet Conimbricenses citati art. 4. ad 7. putent singulos posse recipere decem aureos), quia ex solo motu locali non sunt facti plures aurei quam ante fuerint. Ergo cum ante infinitus numerus aureorum, et infinitus hominum fuerint æquales, licet in infinito numero aureorum infiniti milliones fuerint, tamen pauciora infinita fuerunt millionum quam unitatum, et ideo pauciores infiniti sumunt millionem quam singulos aureos. Et eodem modo ad similia figmenta est respondendum. Et hæc de quantitate; nam quæ de maximo et minimo dici poterant, commodius lib. De generatione dicentur.

Disputatio II.

DE TEMPORE.

Ut ea quæ de tempore dicenda sunt commodius percipiantur, ante omnia ratio durationis quæ in tempore includitur tanquam superius in inferiori ut ex dicendis constabit, est explicanda. Quare sit

QUAESTIO PRIMA.

Quomodo duratio a re durante distinguatur, et an duratio rei permanentis habeat partes sibi succedentes.

Durationis nomine aliud non intelligimus ut recte Pererius lib. 12. cap. 5. quam moram existentiæ rei, seu existentiam rei in tempore. Sicut enim præsentia localis seu ubi est existentia rei in loco, ita existentia rei in spatio temporis est duratio. Atque ita duratio est existentia seu permanentia rei in tempore vel in instanti temporis, ita ut forma per quam res est aliquando, dicitur duratio, sicut forma per quam res est alicubi, dicitur ubi, et sicut per ubi distat res ab aliis secundum locum, ita per durationem distat ab aliis in spatio temporis. Unde optime recentiores distinguunt durationem in intrinsecam cujuslibet rei per quam scilicet res habet moram in existentia et redditur mensurabilis, et extrinsecam quæ est mensura aliqua per quam nos cognoscimus durationis intrinsecæ cujuslibet rei magnitudinem, de qua duratione loquitur div. Thomas 1. p. qu. 10. art. 6. cum ait omnium ævi-ternorum esse unum ævum, et unum tempus. Cum tamen de duratione intrinseca sit sermo, omnino certum sit, quamlibet rem habere durationem propriam, nec posse esse rem etiam divina virtute sine duratione ut in Logica qu. 1. De qualit. dicebamus. Et probatur. Nam effectus necessario debet esse simul in duratione cum sua causa, et præsertim cum Deo; sed non potest esse simul in duratione si non habet durationem: ergo impossibile est rem produci sine duratione. Deinde mensurari potest mora existentiæ cujuslibet rei per durationem aliquam instantaneam vel successivam. At per durationem non potest nisi duratio mensurari, ut infra dicetur,

siquidem mensura et mensuratum debent esse ejusdem rationis. Unde licet unica sola res existeret, haberet durationem per quam apta est coexistere reali tempori quamvis aliud tempus non existat, sicut res in vacuo existens per suum ubi seu præsentiam localem apta est esse in loco extrinsece ambiente, si producatur. His positis duo illa quæ proposuimus explicemus.

Circa primum. Prima sententia est, durationem ab existentia rei durantis non distingui ex natura rei. Ita sentit Scotus 2. dist. 2. qu. 2., Gabriel qu. 1., Durandus qu. 3., Gregorius qu. 1. nota 4., Occam qu. 10., Cajetanus 1. p. qu. 10. art. 5. et 6.; favet div. Thomas 4. Phys. lectione 20. Et ex recentioribus Valentia 1. p. qu. 10. col. 187., Gabriel Vasquez 1. p. disp. 33. cap. 3. n. 13. et latius n. 18. sed non probat, Suarez disp. 50. sect. 1. n. 5. duratio et existentia sola ratione differunt ait, et n. 6. quia existentia a re existente sola ratione distinguitur, ait ideo et duratio; Pererius libro 12. cap. 2. concl. 3. et 4., Molina 1. p. qu. 3. art. 4. disp. 2. §. His ita constitutis etc.

Probatur hæc sententia a Pererio primo: quia quærere, quamdiu res aliqua duret et quamdiu existat, idem sunt, nec aliud est ait Molina rem durare per horam, quam existere cum hora existit: ergo cum quælibet res per existentiam per quam est extra nihil sufficienter intelligatur coexistere tempori vel alteri durationi, intelligitur etiam durare per existentiam. Secundo. Sicut se habet ait Pererius extensio quantitatis ad quantum, ita duratio existentiæ ad existentiam, cum duratio sit extensio existentiæ. Sed extensio quantitatis non differt ex natura rei a quantitate: ergo. Confirmat Pererius. Nam si duratio ab existentia distinguitur ex natura rei: ergo Deus conservare poterit durationem sine existentia, et ita durabit quod non existet, vel quod existet non durabit. Similiter ipsa duratio distincta ab existentia durare debet; at non per aliam durationem: ergo seipsa: ergo idem de existentia dici potest. Confirmatur 2. Permanentia rei in sua existentia in rebus creatis est effectus causæ conservantis; sed hæc nihil aliud facit quam communicat continue idem esse et eandem existentiam: ergo hæc permanentia in esse est ipsa existentia. Addit Pererius et Suarez n. 9. sect. 1. durationem distingui ratione ab existentia, quia ait existentia solum tribuit rei ut sit extra causas, duratio autem formaliter est mora ipsius existentiæ. Deinde duratio una major est altera duratione et longior, cum tamen una existentia unius

v. gr. hominis non sit longior et major existentia alterius hominis, cum ratio existentiæ solum consistat in actualitate rei.

Contra vero Molina citatus ait durationem formaliter esse ipsam existentiam. Quod si objicias: durationem esse accidens ad prædicamentum *quando* spectans, existentia autem substantiæ non est accidens, respondet: existentiam etiam substantiarum esse accidens, et spectare ad quando, siquidem est extra conceptum essentialem substantiæ. Si objicias præterea, ut objiciunt Conimbricenses mox citandi, etiam in Deo existentiam distingui a duratione Dei quæ est æternitas, siquidem existentia est de essentia Dei, æternitas minime: ergo in nobis a fortiori distinguetur. Respondet: æternitatem præter durationem includere negationem principii et finis, et quatenus includit has negationes est posterior essentia, non vero quatenus præcise dicit durationem. Non differunt recentiores aliqui qui durationem ajunt esse unionem existentiæ cum essentia, quam tamen unionem solum per intellectum distingui ajunt ab existentia.

Dico primo. Durationem rei creatæ ab ejus essentia et existentia saltem ratione distingui. Probatur. Nam duratio vel supponit vel includit existentiam; impossibile enim est ut duret nisi res existens. At existentia non est essentialis ulli rei creatæ ut alibi ostendimus. Ergo nec duratio. Similiter essentia non est major vel minor, sicut duratio, et ita cum æqualitate essentiæ stat diversitas durationis. Quod vero ab existentia distinguatur bene ostendit Pererius et confirmatur, nam duratio necessario est duratio rei existentis: ergo supponit existentiam; similiter ideo res potest durare, quia est actualis, et non contra: ergo actualitas distinguitur a duratione saltem ratione. Denique argumentum Conimbricensium ad quod Molina ut diximus respondet, negari potest, nam ut bene ostendit Suarez 3. p. tom. 1. disp. 11. sect. 2. in divinis dantur tres existentiæ relativæ divinarum relationum, et tamen non sunt tres durationes. Revera enim essent tres æternitates, ad quod argumentum non sufficienter respondet ibi Suarez. Ergo existentiæ relativæ a duratione divinarum relationum saltem ratione distinguuntur. Ergo a fortiori in nobis.

Dico secundo. Duratio creaturæ seu existentia rei in tempore distinguitur ex natura rei a re durante, ut modus a re, atque adeo etiam ab ejus existentia. Et quidem quod duratio non ita distinguatur a re existente ut possint separatim existere vel duratio

sine re durante, vel res sine duratione recte ostendit Pererius. Sicut enim quælibet res necessario habet durationem ut ostendimus, ita quælibet duratio est alicujus duratio, et modus alterius.

Jam ergo prima pars conclusionis est eorum qui in prima sententia dicebant durationem esse ipsam existentiam, et tamen volebant existentiam ex natura rei distingui a re existente ut Molina, Scotus etc. Idem sentiunt qui infra dicunt tempus ex natura rei differre a motu, et qui in Logica dicebant, omnia prædicamenta distingui ex natura rei. Et præterea Conimbricenses 4. Phys. cap. 14. qu. 2. art. 2. et ab iis citati Richardus, Mayronis, Argentina in 2. dist. 2., Bonaventura ibidem, Henricus Quodlib. 9. qu. 7. Idem div. Thomas 1. p. qu. 10. art. 2. ubi Molina concl. 3. nullam rem ait esse suam durationem præter Deum, quia ait duratio vel est existentia vel eam consequitur, nulla autem res præter Deum est sua existentia, atque ita nec sua duratio. Probatur primo. Nam duratio rei successivæ, scilicet tempus ex natura rei distinguitur a re successiva seu motu, cum ut infra ostendemus partes motus a partibus temporis ex natura rei distinguuntur. Similiter duratio rei permanentis a re permanente, siquidem ut mox ostendemus corrumpuntur partes talis durationis et producuntur, partibus rei durantis omnino iisdem permanentibus, atque adeo etiam tota re quæ aliud non est quam suæ partes: ergo cum non sit alia duratio rei creatæ, omnis duratio creaturæ distinguitur ex natura rei a re durante.

Secundo. Res quælibet secundum seipsam et totam suam entitatem intrinsecam est indifferens ad existendum hoc tempore potius quam illo, sicut indifferens est ad existendum in hoc loco potius quam illo, poterant enim omnes homines qui hactenus fuerunt simul produci a Deo per creationem. Ergo sicut per ubi superadditum rei, determinatur ad existendum nunc in isto loco, postea in alio, ita per durationem superadditam entitati rei determinabitur ut existat nunc potius quam postea.

Confirmatur et explicatur hoc argumentum. Nam res durantes et actiones per quas producuntur possunt fieri magis et minus distantes inter se in spatio successivo temporis, ut v. gr. ego produci poteram ante mille annos, et tunc minus distassem ab Augusto, quam nunc; et similiter poteram initio mundi et tunc nec distassem a primis parentibus. Sed fieri nulla ratione potest ut durationes harum rerum magis aut minus distent inter se: ergo

durationes a rebus durantibus ex natura rei distinguuntur. Minor probatur. Nam quæ per suas entitates distant inter se, non possunt magis appropinguari vel magis distare inter se quam semel distent. Si enim magis vel minus distarent, non haberent eandem entitatem quam habebant ante; sed durationes rerum inter se distant secundum prius et posterius per suas entitates, sicut diversa ubi distant in spatio loci seipsis: ergo manente eadem entitate reali durationis, non possunt durationes magis vel minus distare. Minor probatur. Nam duratio quæ jam est, vere et realiter posterior est duratione Adæ, et distat ab illa. Sed hæc distantia secundum prius et posterius non convenit durationibus per aliquam formam superadditam ipsis, ut probari potest eodem argumento quo 1. Phys. disp. 4. qu. 2. dicto 2. ostendimus unionem seipsa esse nexum actualem, si accomodetur proportionaliter ad materiam præsentem. Nec per tempus extrinsecum, quia licet nullum tempus extrinsecum fuisset, adhuc distarent, sicut duo ubi in spatio distabunt inter se tantumdem sive medium interceptum sit plenum sive vacuum: Ergo durationes per suam entitatem intrinsecam distant, et ita amittere non possunt hanc distantiam si in rerum natura existant, atque ideo distinguuntur durationes a rebus durantibus, siquidem produci possunt cum majori vel minori distantia successiva atque adeo sine hac duratione per quam de facto durant. Confirmatur argumento Gregorii 2. dist. 2. qu. 1. art. 1. in 5. prob. 1. concl. Si partes durationis ut temporis possunt minus et magis distare: ergo potest Deus facere ut duratio mille annorum non plus duret quam unius horæ, et ita illa hora mille annis durabit, faciendo scilicet ut partes durationis approximentur, sicut ait Gregorius facere potest Deus ut una hora toties cœlum revolvatur quoties trecentis annis, velocius movendo. At hoc est falsum, nam in duratione mille annorum sunt plurimæ horæ. — Et hæc est ratio a priori non solum hujus conclusionis, sed etiam cur licet alia successiva eadem numero quæ corrupta sunt reproduci possint, duratio tamen non possit ut 2. Phys. disp. 3. qu. 8. sub initium diximus. Si enim eadem duratio qua Adam duravit nunc posset reproduci, non haberet ex natura sua et entitate propria ut distaret ab hac duratione quæ nunc est. Unde sicut Deus facere non potest ut per *ubi* per quod formaliter sum hic constituar alibi, eo quod hoc ubi ex propria entitate est ratio constituendi rem hic, ita nec per durationem qua nunc sum, possem alio tempore durare.

Secunda pars conclusionis probatur. Nam ut 1. Phys. disp. 2. qu. 2. dicto 3. diximus et latius in Metaphysica, essentia et entitas cujusque rei actualis sunt omnino idem ex natura rei: ergo cum duratio distinguatur ex natura rei ab entitate rei durantis ut diximus, etiam ab existentia illius distinguitur, licet ex eodem principio constet existentiam durationis ab ipsa duratione non distingui ex natura rei. Nec refert quod existentia dicatur ultima actualitas rei, sensus enim est: existentiam esse id per quod ultimo res constituitur extra causas, licet ipsi rei jam existenti multa addi possint ut subsistentia etc.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum. Eodem modo ostendemus rationem existendi in loco esse existentiam, quia idem est quærere ubi res sit, et quo in loco existat. Respondeo ergo. Idem esse quærere quamdiu res existat et quantum duret, quia utrumque quærit moram existentiæ, quam per durationem formaliter habet existentia, non tamen idem est existentia et duratio, atque ita nec est idem quærere an res existat, et quamdiu existat. Rem autem durare per horam est habere durationem existentiæ, quæ coexistat vel coexistere possit horæ. Unde non per existentiam res durat per horam, sed per durationem, licet impossibile sit habere existentiam et non habere durationem.

Ad secundum. Si per extensionem quantitatis intelligat Pererius extensionem in ordine ad locum, concedo majorem, est enim similitudo aliqua; sed minor est falsa. Nam extensio in ordine ad locum ex natura rei distinguitur a quantitate ut supra ostendimus. Si vero per extensionem quantitatis intelligat ipsam extensionem quæ est essentia quantitatis constructione intransitiva, major est falsa. — Ad confirmationem: nego sequelam. Neque enim omnia quæ ex natura rei distinguuntur possunt separatim existere ut 1. Phys. disp. 4. qu. 2. late ostendimus; duratio autem ipsa non durat per aliquid aliud, sed seipsa ut late in simili diximus illa qu. 2. ad 1. primæ sententiæ. — Ad 2. confirmationem respondent Conimbricenses citati ad 2. Breviter respondeo: causam conservantem tribuere rei totam entitatem quam ex vi primæ productionis accepit, et sicut in prima productione causa communicat rei existentiam cum tali determinata duratione, ita causa conservans communicat rei eandem existentiam cum tali duratione determinata. Similiter etiam ea quæ habent instantaneam existentiam, habent durationem instantaneam, per quam • sunt in hoc determinato spatio durationis cum alias

poterit illa eadem res per aliam durationem, alio tempore seu alio nunc existere.

Circa secundum. Suppono rem permanentem illam dici quæ habet partes simul existentes si componatur ex diversis partibus, si autem compositione caret, quæ eadem coexistit pluribus partibus temporis ut anima etc. Res autem successiva seu non permanens dicitur quæ habet partes post partes si composita sit ex partibus ut tempus, et si partibus careat, quæ non potest coexistere pluribus partibus temporis ut sunt continuativa motus et temporis. Cum igitur certum sit, quod quando res durans componitur ex partibus simul existentibus, similiter ejus duratio componetur ex pluribus partibus simul existentibus, ut duratio hominis compositi ex anima et corpore, manibus et pedibus etc. componitur ex duratione formæ et materiæ, manus et pedis etc.: controversia est, an cum res permanens perseverat in pluribus partibus temporis successivi, ejus intrinseca duratio composita sit ex partibus successivis licet ejus subjectum sit indivisibile, eo modo quo *ubi* per quod angeli vel anima est in loco cum movetur compositum est ex partibus licet subjectum sit indivisibile. Duratio autem dupliciter dici potest divisibilis et successiva, vel quia est etiam successiva ut *quod,* i. e. quia habet partes fluentes et sibi succedentes, vel quia est etiam successiva ut *quo,* i. e. quia non solum in se habet partes fluentes, sed etiam est ratio ut res durans habeat partes post partes et divisibiliter existat in tempore, cujusmodi est duratio motus. Unde quando duratio non est ratio ut subjectum habeat partes post partes, dicitur permanens et indivisibilis ut *quo,* eo quod faciat subjectum permanere et indivisibiliter existere totum in toto, et totum in qualibet parte durationis, sicut *ubi* permanens angelorum et animæ, licet habeat partes, tamen quælibet pars illius *ubi* constituit totum angelum in parte spatii, totum *ubi* in toto spatio, et ita dicitur præsentia indivisibilis ut *quo.*

Jam ergo certum est apud omnes durationem rei permanentis esse permanentem et indivisibilem ut *quo,* cum talis duratio non faciat ut pars rei permanentis succedat alteri parti, sed potius totam rem permanentem in quolibet instanti faciat simul durare. Solum ergo controversia est, an talis duratio sit divisibilis et successiva ut *quod,* i. e. habeat plures partes ex quibus componatur distinctas ex natura rei, et quarum una sit prior altera, fluantque successive per idem subjectum sicut v. gr. cum angelus vel anima

movetur habet *ubi* successivum et fluens. Unde div. Bonaventura dicit, successionem temporis esse cum variatione entitatis rei quæ per tempus durat, et per innovationem, non ita successivum ævi. In qua re

Prima sententia est dicentium, durationem rei permanentis esse indivisibilem et permanentem, nec habere partes sibi succedentes, sed sicut subjectum in quo est talis duratio coexistit majori et minori tempori, idem omnino manens, ita et ejus duratio. Ita Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 12. sect. 1., Pererius lib. 12. cap. 11. et 12., Molina 1. p. qu. 10. art. 5. disp. 1. ibique Valentia puncto 3., div. Thomas, Cajetanus etc., porro Durandus, Richardus, Capreolus, Gabriel 2. dist. 2. relati a citatis auctoribus. — *Probant primo.* Non potest intrinseca duratio rei esse successiva sine intrinseca successione et corruptione alicujus partis rei cujus est duratio; sed in rebus permanentibus non corrumpitur aliquid in entitate permanente quæ est subjectum durationis, hoc enim modo revera non esset permanens: ergo duratio rei permanentis non est successiva. Major probatur. Tum quia intrinseca duratio rei est mensura rei; at rei indivisibilis mensura non potest esse divisibilis ut ait Cajetanus. Tum quia ut ait Fonseca duratio rei aliud non est quam permanentia esse rei: ergo cum res durans et ejus duratio sint idem, vel utrumque erit successivum, vel neutrum. *Secundo* probat Molina. Actio per quam Deus conservando rem permanentem confert illi idem esse quod initio contulit est indivisibilis et tota simul, nullas habens partes succedentes, quia inquit cum actio et terminus sint una et eadem res, si actio haberet partes succedentes etiam terminus illius habere deberet: ergo etiam duratio eadem permanet non habens partium successionem, quia si in duratione angeli admitteretur successio, maxime propter successionem actionis qua conservatur esse angeli.

Dico breviter. Duratio rei creatæ permanentis, si non sit instantanea duntaxat ita ut soli instanti nostri temporis coexistat, divisibilis est ut *quod* et habet partes distinctas ex natura rei ex quibus componitur, quarum una prior est altera. Est sententia div. Bonaventuræ 2. dist. 2. in prima parte distinctionis art. 2. qu. 3. et teste Fonseca citato multorum recentiorum. Et Scotus putat esse probabilem ibi qu. 1. §. Qui vult eam tenere, sicut et Richardus art. 1. qu. 3. Favent Conimbricenses 4. Phys. cap. 14. qui postquam qu. 2. docuissent durationem a re durante distingui, addunt qu. 3. art. 2. instans temporis discreti, quo scilicet mensura-

tur operatio angeli permanens v. gr. una hora, non semper esse insectile sicut instantia temporis nostri quæ omnino partibus carent.

Probatur primo. Nulla res indivisibilis potest mensurari per quantitatem divisibilem. Sed duratio rerum permanentium creatarum proprie mensuratur per tempus divisibile extrinsecum ut infra constabit et dicere solemus angelum qui initio mundi est conditus jam durasse per sex mille annorum: ergo. Major est ex Aristotele 10. Metaph. text. 4. ubi mensuram et mensuratum ait debere esse congenea et ejusdem rationis, et mensuram adæquari debere rei mensuratæ. Inter rem autem divisibilem et indivisibilem nulla potest esse adæquatio. Unde optime Pererius citatus cap. 5. concl. 1. docet in omni duratione creata inveniri rationem partium et rationem quantitatis eo ipso quod mensurabilis sit.

Secundo probat Bonaventura in ultimo argumento pro secunda sententia. Eadem res non potest intelligi fieri major et minor nisi habeat plures partes ut per se patet. Sed duratio rerum permanentium potest intrinsece fieri major vel minor nullo habito respectu ad tempus extrinsecum. Ergo componuntur ex partibus succedentibus sibi. Minor quam negat Molina ad 5. probatur. Nam ante mundi creationem potuit Deus creare unum angelum, et multo post alium, et hic posterior annihilari poterat, durante priore: ergo prior illa duratio est ante et post durationem annihilatam, idque sine collatione ad tempus extrinsecum. Ergo duratio rei permanentis potest major esse vel minor altera duratione sine ullo tempore extrinseco. Ergo talis duratio componitur ex partibus.

Tertio hoc ipsum ex dictis circa primum evidenter sequitur. Nam res aliqua permanens quæ corrumpitur multo ante productionem alterius rei, poterat conservari usque ad productionem alterius rei. Sed duratio per quam res permanens est nunc, per seipsam sine ullo addito non potest conservari usque ad durationem alterius. Ratio est, nam hæc duratio qua res est nunc, distat seipsa et sua entitate intrinseca a duratione quæ fuit vel erit postea, ut ostendimus: ergo quamdiu manet hæc entitas durationis semper distabit ab alia duratione: ergo si res quæ nunc durat debet esse simul et indistans duratione ab alia re postea futura, debet per aliam entitatem durationis distinctam ab ea quam nunc habet esse præsens et indistans. Atque ita duratio rei permanentis composita erit ex partibus fluentibus per eandem rem permanentem, et per partes divisibiles durationis coexistit et præsens est

tempori, per moras indivisibiles coexistet instantibus temporis nostri, et ita facile omnia intelliguntur.

Confirmatur a simili. Nam res indivisibilis est in loco divisibili per *ubi* quod habet plures partes, prout locus in quo est major vel minor fuerit: ergo similiter in tempore divisibili erit per præsentiam divisibilem et constantem partibus pluribus vel paucioribus prout tempus cui coexistit majus vel minus fuerit. Sicut enim angelus quia potest esse in majori vel minori loco, determinari debet ab *ubi* majori vel minori pro loci magnitudine, ita similiter in duratione. Ex quibus constat, ad durationem dari motum successivum proprie; est enim duratio species quantitatis ut in Logica disp. De quant. qu. 3. dicto 2. diximus, cum omnis duratio creata præter instantaneam essentialiter constet partibus prioribus et posterioribus. Quomodo autem duratio spectet ad prædicamentum *quando*, explicavimus disp. 8. in Præd. qu. 2. Unde diversæ partes durationis sibi succedentes producuntur diversis actionibus, sicut diversæ partes *ubi* successivi. Constat præterea durationem rei permanentis eo distingui a tempore quia tempus est successivum ut *quo* et ut *quod*, est enim ratio habendi partes post partes successive; duratio vero rei permanentis est permanens ut *quo*, i. e. ratio ut tota res quæ fuit prius sit etiam posterius, et in hoc consistit permanentia rei.

Ad primum primæ sententiæ respondeo: Nego majorem. Sicut enim in angelo indivisibili, sine ulla variatione in entitate substantiali et compositione, intelligitur successio, variatio et compositio in præsentia locali seu *ubi* per quod angelus successive est in loco: ita intelligi potest in eadem simplici entitate variatio et compositio in præsentia temporali per quam angelus est in tempore, maxime cum sit indifferens substantia illa ut sit in majori vel minori tempore. Ad probationem majoris respondeo. Intrinseca duratio non est mensura rei, ut mox dicetur. Falsum etiam est quod ait Fonseca, durationem rei non distingui ab esse rei.

Ad secundum. Actio qua Deus conservat rem aliquando est eadem actió cum prima productione, aliquando diversa ut disp. De causa efficiente diximus. In universum autem falsum est actionem esse idem ex natura rei cum termino, ut ibi diximus. Sed quidquid sit de his, nego consequentiam. Non enim ideo duratio est successiva quia actio conservativa est successiva, sed propter rationes supra dictas.

QUAESTIO SECUNDA.

Quid sit tempus, quomodo distinguatur a motu et an sit ens reale.

Ut nihil est tempore familiarius ait Augustinus 11. Confess. cap. 14. ita nihil eo difficilius explicatu reperitur. Videtur enim tempus non esse aliquid reale in rerum natura, aut certe aliud non esse quam instantia sibi succedentia, primo quia ut argumentantur antiqui apud Aristotelem 4. Phys. text. 88. et Gregorius 2. dist. 2. qu. 1. art 1. concl. 1. id quod componitur ex partibus quæ actu nihil sunt, est nihil, siquidem totum aliud non est quam partes ex quibus componitur. Sed tempus componitur ex parte præterita quæ jam non est, et futura quæ etiam non est realis in rerum natura existens, atque ita partes temporis non sunt entia realia ut etiam Augustinus citatus cap. 15. et. Seneca 6. Natur. cap. ult. ajunt: ergo. Confirmatur. Nam in entitate temporis essentialiter et formaliter includitur pars non existens, atque ideo quæ nihil est: ergo tempus non potest esse reale. Antecedens patet. Nam tempus est aliquid successivum; de ratione autem successivi est, ut nulla ejus pars existat simul cum alia, sed ut una existat post aliam: ergo. *Secundo.* Quia ut idem Aristoteles text. 89. argumentatur, quod nunquam est præsens, nec potest esse præteritum, nec futurum; at nulla pars temporis potest unquam esse præsens. Et ratio est ait Aristoteles, nam vel id quod præsens est indivisibile est, vel divisibile. Si indivisibile, non potest esse pars temporis quod divisibile est nec componitur ex nunc indivisibilibus. Si divisibile: ergo non est præsens, nam quælibet pars temporis habet partes succedentes quarum una non est cum alia existit. Ergo nulla pars temporis potest esse præterita vel futura. Sed quod nec potest esse præsens, nec præteritum, nec futurum est omnino impossibile, et nihil: ergo. *Tertio.* Si datur aliquod tempus, necessario ejus partes debent continuari inter se. Et ratio est, nam est ens successivum ac proinde habet partes priores et posteriores, easque realiter inter se distinctas ut probari potest eo modo quo ostendimus quantitatem constare partibus realiter distinctis. Partes autem sine unione totum aliquid non efficiunt. Ergo partes temporis uniri et continuari inter se debent. At hoc est impossibile, nam nulla potest dari unio quæ partem corruptam uniat cum

parte existente, siquidem non potest modificare id quod corruptum est. Et præterea, quia talis unio partium temporis vel est aliquid successivum vel permanens. Non successivum, tum quia qua ratione quærimus de partibus temporis successivis per quid uniantur, eadem quærimus de partibus unionis quomodo inter se continuentur, et sic dabitur processus infinitus in unionibus successivis. Tum quia pars unionis successivæ corrupta simul cum parte temporis præteriti, non potest unire illam partem, parti futuræ, quod enim actu non est, actu non unit formaliter et se sola. Si illa unio est permanens: ergo, cum illa unione existente partes temporis non existant, non poterit illa unio conjungere tales partes temporis. Confirmat Gregorius: Quod nil est, continuari non potest, alias enim ait longum corium ex chimæris et tragelaphis etc. facere possemus.

Propter hæc argumenta ait Gregorius tempus non esse aliquid distinctum a rebus permanentibus, sicut et de motu sentit ut alibi dicemus. Ait ergo tempus esse ipsum corpus continue et regulariter motum, et probat. Nam id quo metimur durationes rerum est tempus. Sed corpus continue et regulariter motum est tale, nec propter hoc aut dari potest, aut necessaria est alia mensura, quæcunque enim alia mensura fingatur minus nota est tali motu corporis. Nemo autem mensurat re ignota aliquid. Si objicias Gregorio quidquid tandem sit tempus illud componitur ex præterito, præsenti et futuro, et ita redit primum argumentum, respondet ad 1. contra 1. concl. abusum esse vulgi dicere tria esse tempora, præteritum, præsens et futurum.

Dico primo. Tempus nihil aliud est quam duratio successiva seu extensio partium motus secundum prius et posterius. Est Molinæ 1. p. qu. 10. art. 1. disp. 3., Fonsecæ 5. Metaph. cap. 13. qu. 10. sect. 2. et Aristotelis 4. Phys. text. 101. ubi tempus ait esse numerum motus secundum prius et posterius. Probatur. Nam experimur unum motum v. gr. localem diutius durare altero, ita ut partium sibi succedentium mora longior sit in uno moto quam in alio, quælibet autem pars motus habet suam propriam durationem, ac proinde sicut partes motus diversæ sibi succedunt ita etiam partes durationis sibi succedent, siquidem duratio unius partis non migrat in alteram partem. Hujusmodi autem partium extensionem successivam motus non habet ex se ut disp. De motu dicetur: ergo per durationem: ergo cum duratio motus sit tempus, hoc non erit aliud

quam forma per quam partes motus extenduntur secundum prius et posterius. Et hoc ipsum puto explicari definitione Aristotelis; postquam enim dixerat tempus esse numerum motus secundum prius et posterius, explicat per numerum intelligi extensionem partium motus et non multitudinem discretam ut disp. 5. in Prædic. qu. 3. conclus. 2. diximus. Addit præterea Aristoteles text. 102. per numerum non intelligi in hac definitione numerum quo numeramus, sed numerum qui numeratur vel numerabilis est, ubi per numerum quo numeramus intelligit aliquam durationem certam quæ est mensura qua utimur ad alios motus mensurandos, per numerum numerabilem durationem seu quantitatem mensurabilem. Ex quo apparet, quamlibet durationem motus hac definitione contineri, quia quælibet duratio motus est extensio per quam extenditur, ac proinde sunt numerabiles et mensurabiles partes motus. Non additur *quietis*, nam quies aliud non est quam permanens ubi, vel qualitas etc. quæ non habent tempus intrinsecum, sed durationem permanentem *ut quo*, licet tempus sit mensura extrinseca etiam quietis ex Aristotele lib. 4. Phys. text. 118. sicut et aliarum rerum permanentium.

Ex his constat recte a Molina loco cit. et Conimbricensibus 4. Phys. cap. 14. qu. 2. art 2. in ult. probat. dici tempus esse veram quantitatem ut in Logica ostendimus. Ratio est, nam tempus est forma quædam per quam motus habet unam partem post aliam, cum alias posset omnes partes simul habere, atque ideo tempus habet partes præteritas, præsentes, futuras inter se continuatas, et non per accidens ut ostendit Molina. Ex quo duo sequuntur.

Primum est tempus non componi ex indivisibilibus, sed ex partibus semper divisibilibus ut habet Aristoteles 4. Phys. text. 90. Probatur Motus alicujus corporis v. gr. transeuntis per aliquod planum habet infinitas partes divisibiles respondentes infinitis partibus spatii per quod transit. Sed motus et ejus duratio proportionantur, et cuilibet parti motus pars durationis respondet ut recte Aristoteles text. 113.: ergo. Major probatur. Quando per spatium divisibile transit mobile, prius est mobile in parte viciniore sibi quam in remotiore, non enim simul sed successive partes spatii occupat, atque ideo prius existit motus quo acquiritur pars propinguior spatii, quam quo remotior; nisi enim hoc dicatur, fatendum est mobile simul et in eodem instanti occupare spatium majus se.

Ergo sicut in spatio nulla datur pars divisibilis qua non sit alia pars divisibilis vicinior mobili, ita in mobili nulla datur pars motus qua non sit alia prior, ac proinde nulla datur pars motus indivisibilis: ergo nec pars temporis. Sicut ergo in linea per quam movetur corpus non est unum punctum immediatum alteri, sed quodlibet punctum sequitur aliqua pars divisibilis, ita in motu et tempore, semper post *nunc* etc. sequitur pars temporis divisibilis, quæ continuatur per indivisibilia ita ut per instantia seu nunc veluti per puncta continuentur partes temporis. Deinde tempus componi ex semper divisibilibus confirmari potest. Nam accipio unum instans temporis et quæro, an in hoc instanti possit mobile transire spatium divisibile. Si potest: ergo cum mobile prius transeat dimidium illius spatii quam totum, et cum transit dimidium jam transiverit aliqua duratio, sequitur illam durationem non esse indivisibilem. Eodem modo in illo instanti majus spatium transit velox, quam tardum mobile, et tamen cum transiit velox dimidium sui spatii, jam duratio aliqua elapsa est. Si non potest in instanti uno transire spatium divisibile: ergo nec in sequenti, et ita vel mobile nunquam transibit spatium divisibile, vel transibit in tempore composito ex partibus semper divisibilibus.

Secundum quod sequitur est: tempus esse aliquid continuum secundum successionem, sicut linea continua est, et ut ait Aristoteles 4. Phys. text. 105. tempus continuum est ipso *nunc*. Ratio est, nam ut diximus tempus est forma per quam extenduntur partes motus secundum successionem: ergo proportionatur motui. Sed partes motus sunt continuæ secundum successionem. Ergo et partes temporis. Minor latius infra ostendetur. Breviter probo. In motu locali si sphæra moveatur super planum, punctum illius quod tangit planum, successive et continue tangit in motu partes plani continuas: ergo partes hujus motus continuæ sunt inter se, sicut partes lineæ plani, et nisi continuus sit motus, non posset moveri sphæra in plano ut ex disp. De quant constat. Et quod de motu locali dico, idem de aliis motibus et durationibus earum dico.

Dico secundo. Entitas temporis a motu seu via quæ denominatur successiva distinguitur ex natura rei ut modus a re. Est Conimbricensium 4. Phys. cap. 14. qu. 2. art. 1. Capreolus etiam 2. dist. 2. qu. 2. ut fatetur Sotus 4. Phys. qu. 4. in 3. opin. defendit hanc conclusionem tanquam divi Thomæ. Toletus etiam 4.

Phys. qu. 12. concl. 1. tempus ait non esse motum, sed ejus passionem. Idem s. Augustinus 11. Confess. cap. 24., atque idem docent qui durationem in communi dicebant ex natura rei distingui a re durante. Et quidem quod tempus non distinguatur a motu ita ut quodlibet separatim existere possit, eodem modo ostendendum est quo ostendimus durationem a re durante non distingui hoc modo, siquidem tempus aliud non est quam duratio motus successiva. Quod vero ex natura rei distinguatur, probatur eo argumento quo Aristoteles 4. Phys. text. 96. ostendit tempus non esse motum. Si motus et tempus ex natura rei sint idem: ergo re ipsa etiam partes motus sunt idem cum partibus temporis, siquidem totus motus aliud non est quam ejus partes. Sed hoc est falsum. Ergo. Minor probatur. Nam si partes motus et temporis realiter sunt idem: ergo sicut partes motus realiter habent tarditatem et velocitatem, ita etiam partes temporis habebunt. Sed partes temporis realiter sunt incapaces tarditatis et velocitatis ut loco cit. dixit Aristoteles. Ergo. Et quod partes motus habeant tarditatem et velocitatem, constat. Nullus enim est motus qui non possit esse tardior et velocior, et qui non sit indifferens ad occupandum majus vel minus spatium temporis, et ad habendum partes magis vel minus distantes in tempore. Eadem enim entitas termini produci potest et paulatim seu cum magna mora et tempore brevissimo per actionem velocem cujus partes non multum distent inter se. Quod vero partibus temporis id non conveniat probatur. Si enim partes temporis velocius possent transire quam transeunt, nulla ratione constitui posset velocitas in partibus motus per habitudinem ad tempus. Vide qu. 1. circa 1. dicto 2. confirmationem ex Gregorio. — Confirmatur. Si partes temporis sunt idem cum partibus motus velocis, atque ita velocius transeant partes temporis identificatæ motui veloci, non esset motus ullus velocior alio, quia non esset in tempore minori, sed in tempore æquali velocius transeunte, quod ne concedamus fatendum est partes temporis non posse esse velociores. Unde sicut corpus per majorem raritatem vel densitatem potest majus et minus spatium occupare, et ita habere majorem vel minorem peripheriam, ipsum tamen ubi ita est ratio constituendi in tanto loco ut non possit in majori vel minori esse: ita partes durationis non possunt fieri propinguiores vel distantiores per velocitatem et tarditatem, partes tamen motus si sint velociores, minus distant inter se per velocitatem, quasi per densitatem partium quæ

fiunt propinguiores inter se in spatio successivo per minorem durationem successivam[1]

Secundo. Forma sine qua res potest existere distinguitur ab ea ex natura rei. Sed actio quæ est successiva esse potest sine successione et in instanti. Ergo actio seu via vel motus qui denominatur successivus distinguitur a successione ex natura rei. Major patet. Nam calefactio per quam successive producitur calor, divina virtute posset simul incipere et in instanti produceretur calor, illa autem actio haberet partes, sicut et terminus illius, quæ distare quidem possent inter se, licet actu non distarent. Ergo actioni per quam producuntur tot gradus caloris non convenit per intrinsecam entitatem esse extensam, siquidem sine tali extensione esse potest: ergo per aliquid reale superadditum. Sicut ergo substantia per quantitatem superadditam ex natura rei extenditur cum ex se non sit extensa, ita motus per tempus a se distinctum etc. Porro ab existentia motus distingui tempus, eodem modo probandum est quo de duratione.

Contra hanc conclusionem sentit Saxo citatus a Toleto et Nominales, qui tempus et motum solis vocabulis differre ajunt non re ipsa, et Pererius lib. 12. cap. 1. sola ratione ait a motu distingui, sicut et Sotus supra et Suarez disp. 50. sect. 9. n. 1. Probatur. Nam partes motus sunt in tempore seu coexistunt tempori extrinseco seipsis et non per entitatem diversam: ergo seipsis durant. Antecedens patet, nam per existentiam qua est entitas actualis extra nihil, existit motus in tempore. Existentia autem non differt ex natura rei a re existente, atque ita forma per quam motus est in tempore et simul duratione cum aliis rebus, non differt. Deinde si tempus est entitas distincta a motu: ergo producitur per aliquam realem actionem. Illa autem actio cum sit via ad terminum successiva erit motus, et habebit suam durationem, quæ iterum per aliam actionem producitur, et sic in infinitum. Ergo.

[1] Ex his refellitur ingeniosa quædam responsio ad nostrum argumentum. Dicere enim quis posset, motum tardum et velocem esse æquales in existentia et duratione intensa, inæquales in duratione extensa, et ideo velox citius percurrit spatium. — Contra est, quia velocitas facit æquales partes minori tempori coexistere, sicut densitas facit æqualem quantitatem minori spatio coëxtendi. Ita ergo velocitas quia est modus quidam addensativus partium motus, sicut tarditas rarefactivus earundem, ideo facit æquales partes existentiæ motus, minori tempori extrinseco coëxistere, quemadmodum densitas in partibus permanentibus facit ut minus spatium occupet quantitas una, quam alia rarior. Refellitur ergo hæc responsio. Nam, ut omittam quæ de velocitate infra dicemus, sicut ex eo quod eadem quantitas nunc majori postea minori spatio coëxtenditur colligimus, dari extensionem ad locum ex natura rei distinctam a quantitate, ita similiter ex eo quod partes motus possunt majori et minori durationi extrinsecæ coëxtendi, sequitur, id ex natura rei distingui a motu, per quod fiunt commensurabiles tempori extrinseco.

Ad primum respondeo. Partes motus non per existentiam per quam sunt actuales entitates, sed per accidens superadditum quod vocatur præsentia in tempore seu duratio successiva etc. existunt in tempore, sicut non per existentiam, sed per præsentiam localem seu ubi sunt res in loco. — Ad secundum. Actio per quam producitur duratio est idem re cum suo termino, scilicet duratione, atque ideo sicut ipsa duratio seipsa durat, ut diximus, ita et illa actio. — Sed Aristoteles inquit Pererius et Soto 4. Phys. text. 99. prius et posterius in motu ait esse idem re cum motu. Recte tamen Toletus in illum textum ait Aristotelem solum velle motum successivum ut scilicet a mutatione instantanea distinguitur realiter includere tempus, licet a motu præcise sumpto distinguatur ex natura rei.

Ex his patet etiam corpus ipsum motum non esse tempus ut optime Aristoteles 4. Phys. text. 94. expresse habet. Et confirmatur. Nam primum mobile vel quodlibet aliud corpus motum non est passio corporis naturalis; sed omne tempus est passio etc.: ergo nullum tempus est primum mobile. Ad quod non sufficienter respondet Gregorius citatus ad 11., ubi etiam ad 14. concedit instans esse tempus et ab orbe condito unicum fuisse instans, sicut primum mobile fuit idem. Et ad 4. concedit quod si nullus esset motus, sed solum esset unus v. gr. lapis albus, et destructa albedine Deus conservaret lapidem, non fuisse prius album postea non album, et multa similia paradoxa. Ad ipsius fundamentum respondent Conimbricenses cit. art. 3. ad 4. ipso motu non mensurari res, sed ejus duratione, quæ duratio notissima est per experientiam.

Dico tertio. Tempus est verum ens reale, et existit realiter non solum per instantia, sed etiam per partes divisibiles quæ inter instantia mediant. Est Conimbricensium 4. Phys. cap. 14. qu. 1. art. 2. in fine, Gregorii 2. dist. 2. qu. 1. etc., licet sit contra quosdam ibi citatos a Conimbricensibus. Probatur conclusio. Nam nullo intellectu cogitante datur motus successivus in rerum natura ut sensu patet et latius infra, et talis motus durat et habet successionem partium: ergo cum tempus aliud non sit quam duratio motus, a parte rei nullo intellectu cogitante datur tempus. Confirmatur. Nullo intellectu cogitante una res durat diutius alia, est prior altera etc. At istæ sunt differentiæ temporis. Ergo etc., quod latius probat Pererius lib. 12. cap. 1. Unde Augustinus 5. De Genesi ad lit. cap. 5. ait tempus esse creaturam Dei.

Ut autem explicetur quomodo tempus existat, certum est in

primis, nec tempus nec ullum ens per se successivum posse simul existere aliqua existentia reali permanente. Dixi *per se.* Nam ut disp. De motu dicam, etiam actio successiva potest tota simul existere, si per accidens duntaxat sit successiva. Ratio est, nam ratio entis successivi in eo consistit ut una pars sequatur post aliam. At si aliqua res successiva haberet existentiam permanentem, omnes illius partes existerent simul et non una post aliam. Ex quo constat, ens successivum non posse secundum se totum simul existere realiter. Ratio est, nam si totum aliquod existit simul, omnes illius partes debent simul existere; si enim aliqua illius pars non simul existat, nec totum quod ex suis partibus conflatur simul existet. At rei successivæ partes simul existere non possunt, sed cum una existit alia non existit. Ergo nec totum successivum. Et experientia id confirmatur. Nam cum movetur sphæra per planum, nulla pars motus est tota simul, sed aliqua pars motus jam fuit, alia nondum est, et idem est de tempore quod est duratio motus.

Certum præterea mihi est id quod in conclusione dixi, non solum instantia, sed et partes divisibiles temporis realiter existere, ac proinde totum tempus realiter existere, licet non simul ut dixi. Probatur. Cum corpus movetur super aliud corpus, postquam semel tangit punctum rei mobilis aliquod punctum corporis subjecti, immediate post non tangit punctum, sed partem divisibilem successive tangit antequam iterum tangat aliud punctum. Sed ille contactus partis et præsentia, i. e. ubi per quod fit præsens, seu motus per quem producitur præsentia est realis. Ergo habet durationem realem. Sed illa duratio non est permanens ut ostendi, nec indivisibilis: ergo divisibilis et successiva, quæ advenit post durationem indivisibilem quam habuit contactus puncti et præsentia seu actio per quam illa præsentia fuit producta. Ergo inter durationes indivisibiles intercedunt durationes successive divisibiles. Ergo tempus erit ens reale actu existens immediate post instans. Confirmatur. Nam cum agens operatur movendo aliud, immediate post instans aliquid producit et habet actionem per quam producit. At illa actio non fit in instanti immediato, quod est: ergo illa actio realis existet successive: ergo potest aliquid realiter existere, licet successive existat, et non totum simul in aliquo instanti: ergo etiam tempus potest realiter successive totum existere. Ex quo constat falli Sotum 4. Phys. qu. 7., Toletum qu. 12. ad 1. qui res successivas

solum per instantia existere volunt, et sat esse ad hoc ut tempus dicatur existere si ejus instantia existant. Vere enim nisi secundum omnes suas partes tempus realiter existat aliquando, non erit ens reale, cum nulla pars illius sit realis.

Dices: partes ipsæ existunt per instantia. — Contra: Nam si partes temporis existunt per instantia: ergo vel existunt partes temporis præteritæ vel futuræ, vel utræque simul, cum non sit ratio cur una et non alia. At certum est nec partem futuram utpote quæ nondum a Deo est producta, nec præteritam quæ jam corrupta est, existere, sed omnino nihil esse actu cum est instans. Unde cum philosophi dicunt tempus existere per instantia, intelligendi sunt quod existat per illa inadæquate, quatenus instans est aliquid temporis, vel certe quod nihil temporis totum simul existit præter instans. Ex quo constat tempus existere existentia successiva, cujus una pars alteri succedit. Ratio est, nam sicut in communi existentia est per quam res in rerum natura cohæret, et ut diximus identificatur cum re actuali, ita si res existens talis sit ut non tota simul existat, sed una illius pars alteri succedat, existentia quoque illius habere debet tales partes succedentes.

Ultimo denique ex dictis manifeste sequitur, totum tempus non solum secundum instantia sed et secundum omnes partes successivas esse intrinsece successive præsens, ita ut quælibet illius pars sit intrinsece præsens antequam præterita. Tum quia nihil est præteritum quod aliquando non extitit; præteritum enim est quod extitit aliquando et jam non existit. Sed aliquæ partes temporis sunt præteritæ: ergo. Nec sat est per instantia fuisse præsentes; nam ipsæ reales partes temporis sunt præteritæ et corruptæ: ergo illæ ipsæ partes per suas entitates fuerunt præsentes. Tum quia aliquid esse præsens secundum tempus non est aliud quam simul esse cum altero secundum tempus. Sed tempus non solum per instantia, sed etiam per omnes partes divisibiles est simul cum aliis rebus existentibus. Ergo tempus successive est præsens aliis rebus, non solum per instantia, sed per partes quas habet. Minor patet. Nam tempus non solum habet existentiam instantium, sed et partium divisibilium quæ sunt inter instantia; illæ enim partes existunt per propriam existentiam immediate post instantia ut ostendimus. Sed quidquid existit, dum existit est præsens. Ergo omnes partes temporis successive sunt præsentes et coexistunt rebus permanentibus. Unde sicut res dupliciter existit, vel per-

manenter et simul secundum omnes partes, vel successive habendo partem post partem: ita dupliciter potest esse præsens seu simul existens cum alio, vel permanenter eo quod secundum omnes partes simul sit præsens, vel successive quod secundum aliquid sui est præsens, et re ipsa existens, quamvis reliqua omnia illius sint præterita vel futura. Et talis est præsentia rei successivæ: tempus ergo semper est præsens quia semper existit aut secundum partes, aut secundum indivisibilia. — Ex quibus constat tempus esse ens reale. Nam ut aliquid totum successivum dicatur reale, non est opus ut omnes ejus partes simul existant, sed sat est si omnes ejus partes existant successive, ita ut simul nulla pars tota existat, tamen omnes ejus partes vere et realiter nullo intellectu cogitante extiterint.

Dico quarto. Partes temporis determinatas continuari inter se *nunc* seu instantibus indivisibilibus eo modo quo rerum successivarum partes possibile est continuari. Ita Aristoteles 4. Phys. text. 105. Probatur. Nam continua sunt quorum extrema sunt idem; sed instans idem est terminus diversarum partium temporis, siquidem nulla pars temporis est ultima sicut nec ulla pars lineæ est ultima: ergo partes quæ instanti eodem terminantur continuæ sunt. Addidi *eo modo*. Nam argumentum tertio loco factum evidenter ostendit partes rei successivæ non uniri unione quæ utramque partem modificet. Jam igitur licet existimem partes temporis indeterminatas non uniri instantibus (quod eodem modo ostendi debet quo supra ostendimus partes lineæ etc. indeterminatas non uniri punctis sed unione extensa), sed unione successiva et fluente simul cum parte temporis quam modificat, partes tamen determinatæ temporis sibi succedentes per instans dicuntur uniri, eo quod idem numero instans est finis præcedentis partis et initium sequentis, ita ut nulla vel exigua mora divisibilis intercedere possit inter illas partes. Et hujusmodi solum continuatio est necessaria et possibilis inter partes rei successivæ, ad quam continuationem tantum abest ut necessaria sit partium unitarum coexistentia ut potius exigatur successio partium. Neque enim eodem modo philosophandum est de continuatione partium rei permanentis et successivæ. Dari autem talia instantia patet, nam motus qui fit per spatium reale habet indivisibilia, ut v. gr. ubi indivisibile per quod punctum mobilis correspondet puncto spatii; illud autem habet durationem realem, non divisibilem: ergo indivisibilem. Verum tamen est ex talibus

indivisibilibus non componi tempus, ut supra diximus. Quod vero text. 104. ait Aristoteles similiter res incipiunt in instanti ut generatio viventium, tempus esse nunc fluens etc., solum vult quod sicut lineam ex fluxu puncti imaginantur mathematici fieri, ita tempus ex fluxu ipsius nunc.

Ex his et natura temporis intellecta manet, et ad rationes dubii facile respondetur. — Ad primum. Si sensus majoris sit: id esse nihil penitus, seu aliquid impossibile vel ens rationis, quod componitur ex partibus quæ actu simul non sunt, nego majorem. Ut enim aliquid non dicatur ens rationis seu figmentum, sufficit si partes ejus realiter extiterint licet non simul. Si autem majoris sensus sit, id esse figmentum seu nihil (hoc enim modo nihil sumimus) quod secundum omnes partes sive simul, sive successive, nihil est, concedo majorem, sed minor negatur. Licet enim pars præterita et futura non sint simul actu, fuit tamen actu pars præterita, et erit futura, sicut actu et realiter existit successive pars præsens. Ad hoc autem ut successiva sint entia realia sufficit ut successive existant, sicut ad realitatem rei permanentis requiritur ut simul actu existat. Unde argumentum solum probat et bene, tempus totum simul non esse actu. Ad confirmationem. Ad realitatem successivorum sufficit si partes realiter existunt vel extiterunt; hoc enim vocatur successivum reale, non vero ita dicitur res successiva realis, ut omnes ejus partes simul existant.

Ad secundum. Tempus est præsens successive alicui rei, non vero totum simul; revera enim post instans sequitur aliquid temporis cui coexistit ubi angeli: ergo illi erit præsens pars temporis licet ut explicavimus successive. — Ad tertium. Jam ostendimus qualiter debeant partes successivorum continuari.

QUAESTIO TERTIA.

An res omnes creatae mensurentur tempore, et an sit unicum duntaxat tempus.

Suppono primo: dari durationem quandam increatam Dei, quæ æternitas vocatur et a Boëthio 5. De consolat. philos. ult. definitur: esse interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Per particulam *interminabilis* excluditur omnis duratio quæ principium et finem habere potest; per *tota simul* excluditur duratio

successiva ut recte Molina 1. p. qu. 10. art. 1. disp. 2. et Pererius lib. 12. a cap. 8. Præter hanc autem durationem duplex alia in genere invenitur duratio, una rerum successivarum et hæc dicitur tempus, quod ut supra diximus non tantum habet partes sibi succedentes, sed etiam ejus subjectum debet habere similes partes, atque ideo est duratio divisibilis et successiva non tantum *ut quo* sed etiam *ut quod*, ut ex dictis patet. Altera duratio est rerum permanentium, quæ licet successiva sit *ut quod*, non tamen *ut quo*, ut supra ostendimus. Utrumque autem genus durationum dividitur ut recte Conimbricenses 4. Phys. cap. 14. qu. 3. art. 1. et 2. in *spiritualem* et *corpoream* durationem; item in *naturalem* et *supernaturalem*. Et duratio quidem rei permanentis in genere dicitur ævum; licet ut notat Molina citatus art. 5. disp. 1. ævum communiter solum sumatur pro durationc rei permanentis quæ naturaliter finem habere non potest ut angeli etc. Et ideo Conimbricenses ævum definiunt esse durationem creatam rei permanentis stabiliter ac perenniter se habentis. Res autem permanentes quæ sua natura non sunt incorruptibiles, ajunt Conimbricenses durationem quandam habere, quam modum ævi Henricus vocat. Si res permanentes sint supernaturales eorum duratio ajunt Conimbricenses æternitas participata vocatur, quo nomine vocari potest omnis duratio. Denique operationes intellectus et voluntatis angelorum, durant per instantia temporis discreti; tempus autem discretum vocant auctores durationem alicujus collectionis actuum angeli, ut v. gr. cum decem cogitationes sibi succedunt, quælibet habet durationem aliquam, et tota collectio hujus durationis vocatur tempus discretum. Cujuslibet autem actus duratio per se sumpta licet per centum annos duraret vocatur instans temporis discreti. Et eodem modo dici poterat, ex pluribus durationibus substantiarum vel accidentium permanentium corruptibilium constitui tempus discretum, cujuslibet vero substantiæ corruptibilis durationem per se sumptam esse instans temporis discreti, seu quod idem est durationem rei permanentis corruptibilis.

Suppono secundo. Mensuram quæ proprie in quantitate reperitur ait Aristoteles 10. Metaph. text. 2. id esse, quo unumquodque cognoscitur quantum sit, i. e. per cujus notitiam dévenimus in cognitionem quantitatis alicujus rei; tunc enim ait in fine textus cognoscimus quantum, cum per mensuram cognitam et determinatam aliquid scimus. Addit text. 4. mensuram semper esse con-

geneam et ejusdem generis cum re mensurata. Nam longitudinem longitudo, gravitatem gravitas, vocem vox etc. mensurat. Unde constat quod cum Aristoteles dicit mensuram proprie in quantitate esse, quantitatis nomine non intelligere veram quantitatem de prædicamento quantitatis, sed quidquid habet modum quantitatis, ut vocum sonus, accentus, vel gravitatis ut ponderum gravitas etc., licet Molina illa qu. 10. art. 5. disp. 2. §. Ultimum dubium, nomen quantitatis proprie sumat, et ideo quia putat durationem angeli non esse quantam, negat eam mensurari.

Ex quibus unum sequitur valde notandum, quantitatem scilicet cujusque rei non esse mensuram sui proprii subjecti, tum quia quantitas rei non facit cognoscere quanta sit ipsa res, sed illam extendit et facit mensurabilem alia quantitate; tum quia mensura debet esse congenea mensurato: ergo nec duratio nec quantitas alia vel gravitas mensurat substantiam in qua est, sed aliam durationem, gravitatem etc. Ex quo constat, nec Dei æternitatem esse mensuram Dei, nec ævum angeli cujus ævum, nam sicut pondere non mensuratur substantia, sed pondus, ita duratione non potest mensurari nisi duratio: Ergo licet duratio faciat substantiam in qua est mensurabilem, non tamen est mensura illius. His positis

Dico primo. Quilibet motus intrinsece constituitur mensurabilis per suam propriam durationem intrinsecam, ac proinde quot sunt motus diversi, tot etiam tempora diversa. Ita Gregorius 2. dist. 2. qu. 1. art. 1. in 2. parte art. concl. 2. ubi id probat ex Augustino. Idem habet ad 6., Occam, Gabriel etc., Toletus 4. Phys. qu. 16., Pererius lib. 12. cap. 4., Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 11. Probatur auctoritate Aristotelis qui 4. Phys. text. 132. ita ait esse idem tempus sicut in septem canibus et septem equis est idem numerus septenarius. Sed canes et equi numerum habent realiter diversum: ergo et motus diversi tempus diversum. Ratio est, nam tempus aliud non est quam duratio successiva per quam motus habet partes post partes. Sed quilibet motus habet durationem intrinsecam, sicut in universum supra ostendimus quamlibet rem mundi habere suam durationem, et per talem durationem motus habet partem post partem. Ergo quilibet motus habet proprium tempus. Deinde motus localis primi mobilis vel solis quibus omnia mensuramus, non differt ab aliis motibus localibus circularibus ergo non habet passionem intrinsecam temporis, quam alii motus non habeant. Atque ita multiplex erit tempus pro numero

mutationum successivarum, siquidem quælibet talis mutatio habet suam durationem et tempus intrinsecum. At idem numero accidens non est intrinsecum diversis subjectis: ergo. Et eadem ratione ostenditur tot esse æva quot æviterna de quo Molina 1. p. qu. 10. art. 6. quamvis illius distinctio mihi non probetur.

Contra hanc conclusionem sunt div. Thomas 1. p. qu. 10. art. 6. et 3. p. qu. 75. art. 7., Soto 4. Phys. qu. 4. art. 2., Ferrariensis qui solum motum localem primi mobilis vel solis ajunt habere tempus intrinsecum reliquos motus solum extrinsece mensurari illo tempore. Probant, tum quia Aristoteles illo text. 132. id docet; tum quia, si quilibet motus habet proprium tempus: ergo in eodem subjecto dabuntur plura tempora solo numero diversa, ut si res simul moveatur localiter et alteretur. Nec dici potest ista tempora specie distingui. Sicut enim ubi albedinis et nigredinis sunt ejusdem speciei, quia eodem modo sunt ratio constituendi in loco, ita ista tempora eodem modo sunt ratio constituendi in spatio durationis: ergo.

Hæc tamen non urgent. Aristoteles enim solum docet tempus esse idem specie, scilicet ut exponit Toletus ibi et qu. 16. ad 2. sicut septenarius canum et equorum est idem specie, quamvis revera diversi numero septenarii sint ut recte Pererius citatus, ex quo colligitur secundum Aristotelem omnia tempora esse ejusdem speciei, sive sint durationes motus localis, sive alterationis etc. Adde quod cum dicitur esse unum tempus, intelligitur de tempore quo utimur ad mensurandas actiones, utimur enim motu solis, qui est etiam motus primi mobilis, ad mensurandas actiones, dividendo illum motum continuum in horas, quadrantes etc. Ratio autem cur duratio motus cœli assumatur ad mensurandos alios motus est ait Aristoteles 4. Phys. text. 133. quia notissimus est, maxime regularis etc. Et tale tempus extrinsecum dicitur unum esse ab Aristotele ut exponunt Conimbricenses 4. Phys. cap. 14. qu. 1. art. 2. §. Altera particula. Addit Fonseca illa qu. 11. sect. 2. tempus imaginarium, sed est imaginatio et figmentum tale tempus. Ad secundum respondeo: subjecta immediata diversorum temporum sunt diversa; motus enim est subjectum temporis immediatum, quod non est inconveniens. Sicut enim quia lac est dulce et album, habet relationem similitudinis cum dulci et albo solo numero diversam, ita etc. Vide Suaresium disp. 50. sect. 11.

Dico secundo. Etsi duratio intrinseca rerum permanentium

non sit tempus, tamen res omnes præter Deum mensurantur tempore. Primum est Conimbricensium 4. Phys. cap. 14. qu. 3. art. 1. et citant pro hoc div. Thomam, Scotum, Durandum, Henricum etc. Ratio est, nam tempus est duratio rei habentis partes post partes; sed res permanentes non habent partes post partes, sed omnes simul existentes: ergo. Contrarium tamen docet Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 12. sect. 3. cui favet div. Thomas 1. p. qu. 10. art. 4., Soncinas 12. Metaph. qu. 54. etc. et ad argumentum factum respondet Fonseca sect. 4.: substantiam corruptibilem habere successionem ratione continui fluxus quo una pars defluit et alia succedit, tametsi ait interdum omnes partes simul maneant in toto tempore. Sed contra. Nam aliud est quærere an continua aggeneratio vel deperditio partium sit successiva, et aliud an ipsa substantia sit successiva. Et quidem verum est illum fluxum esse successivum, tamen pars substantiæ quæ tota simul aliquo tempore durat, ut Fonseca fatetur, non fluit continuo, nec per se, nec per accidens: ergo maxime secundum Fonsecam qui contra Bonaventuram supra dixit rem permanentem non posse habere durationem successivam, illa pars substantiæ non durat per tempus. Argumenta vero Fonsecæ secundam partem nostræ conclusionis et nihil aliud probant.

Secunda pars est Gabrielis 2. dist. 2. qu. 1., Occam qu. 13., Durandi etc. qui etiam angelorum durationem tempore nostro mensurari docent. Probatur. Mensura est id quo certificamur de quantitate rei alicujus ut dixit Aristoteles. Sed de duratione angeli, animarum etc. certificatur intellectus noster per tempus, siquidem cognoscimus quanto tempore v. gr. una anima duraverit: ergo. Confirmatur. Quælibet finita duratio æquari potest alicui tempori extrinseco, et per illud cognosci; sed duratio angeli creati simul cum Adamo, et hoc instanti corrupti esset finita: ergo. Verum tamen est tempus non mensurari totum ævum Angeli qui durabit in infinitum a parte post, sed ex parte. Cum enim illa duratio habeat initium et non finem, possumus illam mensurare ab initio, non tamen omnino quia fine caret, et hoc solum modo ait Durandus citatus non mensurari angelum tempore, totaliter scilicet. Et Aristoteles 4. Phys. text. 117. ea quæ semper sunt, quatenus semper sunt, non mensurari tempore, quia non continentur a tempore. Deus autem quia nec habet initium nec finem durationis, nullo modo mensuratur, quæ autem mensurantur tempore ab aliquo

initio incipiunt mensurari. Ex quibus etiam patet durationem angeli et tempus nostrum congenea esse, cum utraque sit duratio successiva. Et eodem modo dicendum est actiones angeli, res supernaturales etc. mensurari tempore nostro, seu quod idem est innotescere nobis durationem illorum per nostrum tempus. Dicendum erat jam quid esset velocitas et tarditas quam motus habet ratione temporis, sed de hoc disp. De motu.

QUAESTIO QUARTA.

Quomodo tempus et in eo res aliae incipiant et desinant esse.

Aristoteles de inceptione et desitione rerum agit 6. Phys. text. 43., lib. 8. text. 65. et 69. Nos, quia de inceptione temporis hic agendum videtur, de aliarum etiam rerum inceptionibus et desitionibus agere decrevimus. Sciendum igitur est cum Conimbricensibus 8. Phys. cap. 8. qu. 2. art. 1., Pererio lib. 14. cap. 9. etc. inceptionem rei vocari initium durationis, desitionem finem seu terminum durationis. Unde cum quærimus quomodo res incipiant, quærimus terminos durationis, quibus scilicet rei duratio clauditur. Termini autem durationis sunt indivisibilia, sicut cujuslibet alterius quantitatis. Cum enim de ratione termini sit ut sit ultimum ex Aristotele frequenter; in quantitate autem nulla pars sit ultima: sequitur sola indivisibilia posse esse terminos, atque adeo terminos durationum esse instantia, quibus rei cujusque duratio finitur et clauditur. Verum quia instans quod est terminus inceptionis durationis rei, dupliciter se habere potest comparatione rei cujus durationem incipit, vel primo ut res jam in illo instanti sit; vel secundo ut nondum quidem sit, sed immediate post futura sit. Et similiter instans quod durationem rei claudit, vel ita se habet ut in illo adhuc res sit, sed immediate post non sit futura; vel ita ut jam in illo res non sit, licet toto tempore præcedenti fuerit. Idcirco philosophi duobus modis rem incipere dicunt. Vel intrinsece et per primum sui esse, et hoc modo dicitur incipere res quæ in instanti quod cludit durationem rei, jam est, licet immediate ante non fuerit. Vel extrinsece et per ultimum sui non esse, quomodo ea incipiunt, quæ in aliquo instanti quod claudit rei durationem, nondum sunt licet immediate post sint futura.

Similiter duobus modis rem dicunt desinere; vel intrinsece et

per ultimum sui esse, quomodo desinunt ea quæ in instanti quod claudit durationem eorum, sunt adhuc, licet immediate post non sint futura; vel extrinsece et per primum sui non esse, et hoc modo desinunt quæ in instanti quod terminat et claudit durationem ipsorum non sunt jam in rerum natura, licet immediate ante fuerint. Ratio autem cur non possint res incipere vel desinere nisi altero ex his modis assignatur optima a Suaresio 3. p. tom. 3. disp. 8. sect. 2. Nam post non esse rei, sequitur immediate esse ipsius: ergo dari debet unum instans quod dividat esse a non esse, et sit terminus unius, initium alterius; uni extrinsecum alteri intrinsecum, atque ita primum unius, ultimum alterius. Constat etiam ex dictis falli Aegidium 1. De gener. qu. 20. qui vult rem omnem incipere esse per primum esse, desinere per primum non esse, quia inquit res non incipit esse nisi cum primum habet esse, nec desinit esse, nisi quando jam non est. Fallitur tamen. Philosophi enim cum assignant terminum extrinsecum inceptionis, solum volunt illo claudi durationem rei, et ita ultimum non esse claudit durationem rei, et nisi hoc dicamus nulli dabuntur termini quibus claudatur duratio successivorum. Quia vero res quæ incipiunt et desinunt in duplici sunt genere, vel enim sunt permanentes et quæ totæ simul existere possunt, vel successivæ quarum una pars simul cum alia non existit; porro eorum quæ tota simul existere possunt, quædam sunt quæ vel non habent partes, vel si habent omnes simul producuntur, quædam vero sunt quarum pars post partem per motum successivum generantur: idcirco de harum omnium rerum inceptione et desitione ordine agemus.

Dico primo. Formæ substantiales viventium incipiunt esse per primum sui esse, reliquas etiam res quæ totæ simul producuntur et non pars post partem, connaturaliter loquendo, probabile est eodem modo incipere, ut accidentia quæ sine resistentia tota simul producuntur ut lumen etc. Hæc enim per se loquendo incipiunt per primum sui esse etc. licet ratione successivæ applicationis agentis per motum localem, vel remotionem impedimenti possint incipere esse per ultimum sui non esse ut constabit. Hæc conclusio est Pererii concl. 2. 3. 4. et Conimbricensium art. 5. Probatur. Nam hujusmodi res totæ simul incipiunt esse et non pars post partem: ergo magis conforme est earum naturis indivisibilibus, et magis intelligibile a nobis, si dicamus eas incipere per primum sui esse. Deinde quamvis demonstrari non possit res omnes quæ

totæ simul producuntur incipere esse per primum sui esse, siquidem ut dicto 3. ostendam, possunt aliter incipere, tamen viventia quæ determinatam quantitatem et determinatas in ea dispositiones exigunt, cum ab agentibus naturalibus producuntur, necessario debent incipere per primum sui esse. Ratio est, nam licet incipere possit res permanens per ultimum sui non esse, id tamen tunc demum fieri potest cum actio productiva est simul conservativa effectus, ut dicam. Si enim solum habeat rationem productionis necessario in instanti producitur effectus. Sed hujusmodi entia a causa secunda solum pendent quoad productionem et non quoad conservationem ut ex 2. Phys. patet. Ergo formæ illarum habent primum instans in quo incipiunt esse ac proinde per primum sui esse.

Dico secundo. Quoties aliqua forma substantialis producitur in materia per primum sui esse, præcedens illi incompossibilis debet desinere per primum non esse, naturaliter loquendo, licet miraculose secus fieri possit. Ratio est, nam cum nec duo instantia in tempore possint esse immediata, nec duæ formæ incompossibiles possint in aliquo instanti simul eandem materiam informare, nec demum possit materia in ullo instanti esse privata utraque forma, necessario dicendum est in eo primum instanti non esse formam præcedentem, in quo instanti primum est forma producta, ac proinde quod est primum instans esse ipsius formæ productæ, est primum instans non esse formæ corruptæ quæ toto tempore præcedenti debuit informare materiam. Nisi enim hoc dicatur aliquid ex dictis absurdis concedendum erit.

Sed contra hanc conclusionem objicit Pererius primo. Si forma substantialis talis incipit esse per primum sui esse et in instanti producitur: ergo in illo instanti est aliqua actio: ergo etiam aliqua alteratio, quæ consequentia probatur. Nam si illo instanti nihil qualitatis producitur, ac proinde nulla fiat alteratio: ergo in tempore præcedenti jam introducta fuit qualitas destruens dispositiones necessarias ad conservationem formæ præexistentis, et tamen toto illo tempore duravit adhuc forma præexistens: ergo aliqua forma substantialis destructis qualitatibus necessariis ad ejus conservationem potest adhuc informare materiam, quod 1. Phys. refutavimus. Si autem in illo instanti admittitur aliqua alteratio fieri: ergo ait Pererius alteratio non desinet per primum sui non esse.

Secundo. Forma substantialis est indivisibilis: ergo desinere debet per ultimum sui esse, et non per primum sui non esse. Si

enim inquit Pererius desinit per primum sui non esse, desinit in tempore, atque adeo divisibiliter ut etiam conclusione tertia docet. Præterea corruptio ait quæ est actio physica attingens esse formæ substantialis, non fuit in tempore præcedente ultimum instans, alioquin in illo tempore fuisset destructa forma: ergo in instanti est: ergo cum hæc actio quæ est corruptio sit alteratio, in instanti erit alteratio. Adfert ineptas quasdam responsiones Pererius ad 1., quas ipsemet refellit, et ne nimis diligens esse videatur, insolutas relinquit objectiones quæ evidenter ipsius conclusiones evertunt, nec ulla ratione positis falsis ipsius principiis solvi possunt.

Ad primum respondeo. In illo instanti est aliqua actio substantialis, i. e. productio formæ quæ incipit esse; impossibile enim est ut cum incipit aliquis effectus tunc non sit actio ut 2. Phys. ostendimus. Ad secundam consequentiam respondeo. Si dicamus per ultimum mutatum esse motus produci aliquod indivisibile qualitatis totum simul et non successive, ut fieri in motu locali ostendemus, argumentum nullam habet difficultatem. Si vero negemus in illo instanti produci aliquod indivisibile terminativum qualitatis, respondeo: in tota collectione partium temporis præcedentis simul sumpta expulsa fuit dispositio necessaria ad conservationem formæ præexistentis, siquidem introducta fuit illo tempore tota qualitas cui incompossibiles sunt illæ dispositiones, nec ulla pars dispositionis expulsa est post illud tempus, quamvis Gregorius in simili argumento hunc modum argumentandi improbet 1. dist. 44. qu. 4. art. 2. ad 2. probationem. Ex quo uno indicio evidenter sequitur formam posse manere in materia sine suis dispositionibus; vere enim in tota collectione partium temporis, præcedentium instans, fuit forma in materia, et tamen non fuerunt dispositiones, sed in tota illa collectione corruptæ sunt. Solum ergo dispositiones unius formæ incompossibilis habent eam repugnantiam cum alia forma, non quidem ut simul esse nequeant cum forma, sed tantum ut immediate postquam simul fuerint, forma corrumpatur, nec simul perseverent. Similiter dispositiones necessariæ ita exiguntur ad formam conservandam in materia, ut immediate postquam illæ corruptæ sunt forma desinat esse.

Ad secundum plurima falsa supponit Pererius. Primo scilicet corruptionem esse actionem, imo ipsam alterationem, cum revera non sit actio, sed cessatio ab actione per quam conservabatur ut latius ostendemus libr. De gener. Deinde supponit id quod desinit

in tempore desinere successive, et quod incipit in tempore incipere successive, mox tamen ostendemus res posse incipere esse in tempore et tamen totas simul, ac proinde etiam posse desinere totas simul in tempore. Denique falsissimum est quod putat ea quæ desinunt per primum non esse, desinere esse in tempore, ac proinde non tota simul, sed successive et per partes desinere. Quæ enim desinunt per primum non esse in instanti desinunt. Tunc enim vere res desinit cum primum verum est dicere cessasse conservationem; sed in instanti in quo res primum non est, verum est dicere, tunc primum cessasse conservationem: ergo etiam tunc primum desiisse rem, atque ita desinere per primum non esse est propriissime desinere in instanti. Ex quo facile solvitur illud argumentum, omnino insolubile si fundamenta Pererii vera sint. Id enim quod desinit per primum non esse in instanti desinit, et possunt ea quæ per primum non esse desinunt, tota simul desinere et non pars post partem. Eodem modo omnia quæ annihilantur desinunt per primum non esse, et tota simul.

Dico tertio. Quædam res quæ totæ simul desinunt esse, connaturaliter desinunt esse per ultimum sui esse; divina autem virtute quælibet res permanens potest desinere esse per ultimum sui esse, et incipere per ultimum non esse, ac proinde ut aliquid incipiat vel desinat esse in tempore non est necessarium ut pars post partem desinat.

Primum est Toleti 6. Phys. qu. 4. concl. 4., Conimbricensium 8. Phys. cap. 5. qu. 2. art. 2. concl. 3. dicentium instantia temporis per ultimum sui esse desinere, et eadem est ratio de mutationibus instantaneis. Sed hæc omnia sunt indivisibilia nullasque habent partes, atque ideo tota simul corrumpuntur. Ergo res indivisibilis quæ tota simul corrumpitur, potest desinere in tempore quod est post instans ultimum existendi. Eodem modo *ubi* permanens per quod res est in tanto loco, tota simul corrumpitur per motum localem, cum tamen immediate ante motum localem fuerit. Addunt Conimbricenses actus voluntatis hoc modo desinere posse, si voluntas pro sua libertate immediate post hoc instans velit suspendere consensum ad talem actum, quod tamen Gregorio 1. dist. 17. qu. 2. art. 2. non placet. — Quod vero divina virtute quælibet res permanens desinere possit eodem modo per ultimum sui esse, patet. Nam rem permanentem totam simul hoc modo desinere esse non implicat ut ex dictis patet: ergo. Ratio est, nam

sicut Deus in hoc instanti libere conservat angelum, animam etc. atque ideo in hoc instanti posset cessare a conservatione, ita immediate post hoc instans libere conservaturus est, atque adeo poterit non conservare, cessareque a conservatione immediate post instans. Et hoc modo desineret lumen vel species in medio, si Deus immediate post instans aliquod corpus opacum totum simul produceret. Denique quod res tota simul possit incipere esse per ultimum sui non esse ut disp. De quant. qu. 3. dicto 1. ad 2. 1-æ sent. dicebamus, docent Conimbricenses cit. illa qu. 2. art. 6., Suarez 3. p. tom. 3. disp. 8. sect. 2. in 3. sent., Soto 6. Phys. qu. 2. concl. 1. Probatur, tum quia res quæ tota simul corrumpitur potest in tempore corrumpi: ergo similiter res quæ tota simul producitur poterit produci per ultimum sui non esse atque adeo in tempore; nulla enim est in hoc specialis difficultas. Tum quia potest esse aliqua actio quæ sit tota simul in tempore ut patet in conservatione quæ est actio non solum in hoc instanti, sed immediate etiam post hoc instans eadem numero actio conservativa existit.

Ex quo sumitur ratio a priori hujus rei. Sicut enim eadem actio quæ incepit in instanti, permanet tota in tempore, ita hæc actio potest esse in tempore, licet non fuerit in instanti præcedenti. Tum denique quia licet indivisibilia continuativa partium temporis incipiant per primum sui esse, et desinant per ultimum esse, quia hæc indivisibilia tempori correspondere non possunt, tamen indivisibilia continuativa qualitatis quæ successive intenduntur etc. tota simul producuntur cum sint indivisibilia, et tamen producuntur in tempore quod immediate sequitur post instans. Ratio est, nam in illo instanti nondum est pars qualitatis quæ immediate post instans produci debet et uniri parti præcedenti jam acquisitæ: ergo in illo instanti quod est ultimum acquisitionis præcedentis partis non datur unio permanens utriusque partis; quia unio rei permanentis modificare debet unita, nec absque illis esse potest: ergo illa unio incipit esse tota simul per ultimum non esse. Eodem modo si Deus immediate post instans desineret conservare opacum quod impedit productionem luminis in medio, statim sol produceret totum lumen simul in medio et tamen per ultimum non esse, ac proinde in tempore, licet male contrarium dicat Gregorius 1. dist. 17. qu. 2. art. 2.

Ex quo sequitur posse rem permanentem produci quæ solum

sit in instanti, et desinat per ultimum sui esse, quomodo instantia præsentiæ localis seu ubi quæ acquiruntur in instantibus motus etc. solum durant in instanti, ut optime docet Mayronis 2. dist. 1. qu. 8. qui id confirmat, nam Deus non necessario conservat rem quam hoc instanti producit: ergo immediate post corrumpi potest. Sequitur ex dictis cur conclusione prima dixerimus probabile esse alias substantias præter viventes produci per primum sui esse; id enim non potest demonstrari, cum possibile sit incipere per ultimum sui non esse. Objicies: res permanens producitur per productionem indivisibilem et quæ tota sit simul, non per successivam; sed hæc productio necessario est instantanea: ergo in instanti producitur. Similiter corruptio harum rerum est tota simul cum non habeat partes post partes. Sed corruptio quæ est tota simul est in instanti; quæ enim in tempore est habet partes proportionatas partibus temporis. Ergo. Pro solutione sciendum est id quod obiter innuit Suarez 3. p. tom. 3. disp. 8. sect. 2. in 2. sentent. Actionem aliquam posse esse productionem vel adæquate, quod tunc est cum productio nullo modo est conservatio ejusdem rei; vel inadaequate, quod tunc accidit cum talis actio necessario facit rem esse in pluribus partibus durationis, atque ideo simul est conservatio. Similiter corruptio alia est adæquata, quæ tunc est cum solum intelligitur non esse rei, sine ulla conservatione negationis; alia inadæquata, quæ tunc est cum facit permanere negationem rei corruptæ. Quod in omnium sententia admitti debet ut intelligatur quomodo instantia, mutata esse etc. desinant per ultimum esse; hoc enim intelligi non potest nisi dicamus corruptionem harum rerum esse corruptionem inadæquate, quæ scilicet simul habeat aliquam rationem velut conservationis, qua conservatur non esse rei in pluribus partibus temporis, quia cum sola ratione corruptionis, non potest intelligi aliqua corruptio indivisibilis esse in secunda parte temporis, siquidem corruptio rei ut sic solum dicit transitum rei ab esse ad non esse, quod in posterioribus partibus temporis non fit, atque ideo tunc res non intelligitur corrumpi. Unde formaliter corruptio solum facit rem non esse, ut vero includit conservationem negationis, faciendo scilicet coexistere durationi divisibili hanc negationem, est corruptio inadæquate.

Jam ergo respondeo: Productionem et corruptionem rei indivisibilis, quæ solum adæquate habet rationem productionis et cor-

ruptionis necessario esse in instanti, quia in secunda parte temporis non potest illa actio esse productio adæquate, nec potest esse corruptio. At vero actio quæ inadæquate est productio habendo simul aliquam rationem conservationis potest esse in tempore per durationem divisibilem, quia ut conservatio est potest existere in posterioribus partibus temporis et simul habere rationem productionis, quia a principio coexistit toti durationi. Idem proportionaliter dicendum est de corruptione.

Dico quarto. Res permanentes quæ cum motu successivo producuntur et desinunt, incipiunt per ultimum non esse, desinunt per primum non esse. Ita Conimbricenses art. 2. concl. 2. Et hoc tam de substantiis quam accidentibus dicendum est, quia hujusmodi substantiæ quæ cum motu producuntur non petunt determinatam magnitudinem ut alibi ostendetur. Probatur. Nam hujusmodi formæ sunt extensæ et compositæ ex partibus, et tunc generantur quando jam producta est sufficiens dispositio. Sed partes materiæ successive disponuntur altera post alteram ad formam introducendam. Ergo omnes tales formæ producuntur et corrumpuntur cum motu successivo ac proinde eodem modo incipiunt quo motus, de quo mox dicetur. Verum tamen est tales formæ, ut tantæ v. gr. quantitatis bipalmaris etc. determinatæ, produci per primum sui esse. Nam ignis v. gr. ultimo constituitur bipalmaris per indivisibile terminativum quod producitur in instanti.

Dico quinto. Nullus motus successivus ut connaturaliter fit habet primum indivisibile per quod incipiat ejus extensio secundum successionem, et similiter nullum tempus quod est duratio motus. Ex. quo sequitur motum et tempus ut connaturaliter fiunt incipere per ultimum non esse, licet per instans intrinsecum possint incipere divina virtute. Ita Toletus 6. Phys. qu. 4. concl. 3., Sotus qu. 3., Pererius lib. 14. cap. 9. concl. 1., Conimbricenses 8. Phys. cap. 8. qu. 2. art. 2. concl. 1. Idem Aristoteles et interpretes 6. Phys. text. 46.

Et de motu locali probatur. Cum corpus aliquod est in loco determinato, per ultimum punctum est in ultimo puncto loci, atque ita antequam incipiat moveri ejus punctum respondet puncto loci. Sed quando corpus existit hoc modo non potest immediate post mutari, mutatione indivisibili. Ergo motus non potest sumere initium a mutatione locali indivisibili. Minor probatur. Nam in spatio post unum indivisibile non est aliud; sed mutatio instantanea

constitueret punctum mobilis quod ante erat in puncto spatii seu loci, in alio puncto immediato. Ergo. Si vero in motu non detur talis mutatio indivisibilis: ergo cum indivisibilia temporis proportionentur indivisibilibus motus, nec in tempore dabitur primum instans. De motu alterationis probatur. Et suppono ex probandis lib. De gener alterationem tam quoad extensionem quam quoad intensionem posse esse continuam, et non fieri per instantia interrupta. Si enim ita fieret, eodem modo inciperet motus alterationis et terminus illius quo ceteræ res quæ in instanti totæ simul producuntur. Nam vel loquimur de alteratione qua intenditur aut extenditur qualitas jam ante producta; vel de alteratione qua primum de novo qualitas in subjecto producitur. Sed motum quo intenditur vel extenditur qualitas jam producta non incipere per mutationem indivisibilem patet, nam illa mutatione indivisibili deberet produci aliquod indivisibile continuativum partium extensionis vel qualitatis; at hujusmodi continuativa qualitatum permanentium in tempore produci et non in instanti ostendimus dicto 3.: ergo. Sed nec motus alterationis quo de novo producitur qualitas habet principium indivisibile. Nam quilibet motus alterationis incipit per adductionem agentis ad passum, aut per successivam ablationem alicujus corporis interjecti. Sed per hanc actionem successivam non ponitur in instanti intra sphæram agentis aliquod subjectum divisibile, sed tantum indivisibile in quo non potest recipi operatio, quia sicut punctum quantitatis non potest produci ante quantitatem, ut supra ostendimus, eo quod sit modus illius, sic nec punctum qualitatis ante partes extensionis vel intensionis qualitatis. Ergo in instanti quod est ante alterationem successivam nihil qualitatis producitur: ergo alteratio non habet principium indivisibile.

Quod vero motus augmentationis non habeat intrinsecum principium indivisibile per quod incipiat, eodem modo proportionaliter est probandum. Ex quo patet altera pars conclusionis. Cum enim non detur primum instans durationis et via indivisibilis motus, certum est incipere motum et tempus per ultimum non esse. Ratio est, nam tempus et motus successivus non possunt in ullo instanti simul esse secundum ullam partem divisibilem, ac proinde non possunt incipere per primum esse, eo quod in aliquo instanti simul sint partes temporis vel motus successivi. Ergo solum possunt incipere per primum instans si v. gr. habeat motus aliquam mutationem instantaneam inchoantem motum, sicut punctum inchoat

lineam. At non dari in motu et consequenter nec in tempore ut connaturaliter fiunt hujusmodi indivisibilia inchoativa ostendimus. Ergo motus et tempus ut connaturaliter fiunt, non incipiunt nisi per instans extrinsecum seu per ultimum non esse.

Objicies: Motus et ejus partes proportionantur termino qui fit per motum; sed res quæ producuntur per motum habent primum indivisibile initio, et ultimum in fine: ergo similiter motus habebit primum indivisibile et ultimum per quæ terminantur. Nam illa indivisibilia necessario producuntur per productiones et vias indivisibiles, atque ita dabitur via seu actio indivisibilis initium motus. — Respondeo: res productas habere indivisibilia principia intrinseca, motus tamen non necessario habet, nam sæpe indivisibile a quo incipit res producta supponitur ante motum, ut indivisibilis præsentia a qua motus localis incipit. Interdum vero indivisibile quod est principium rei productæ pendet a partibus divisibilibus quæ producuntur in tempore ut diximus de quantitate et qualitate, et ideo indivisibilis productio termini quantitatis, non est initium secundum successionem actionis quæ tendit ad quantitatem, siquidem illa productio non præcedit in duratione istantanea quod tamen esset necessarium si deberet esse principium et terminus successionis.

Ultima pars conclusionis, quod scilicet possint incipere per primum sui esse, patet. Nam potest in instanti præcedente motum localem fieri mutatio instantanea localis, et ejus duratio instantanea, quæ non minus est principium internum motus quam punctum lineæ: ergo licet non possit res successiva ita incipere per primum sui esse ut aliqua ejus pars sit tota simul, potest tamen ita ut aliquod indivisibile inchoans motum sit totum simul, quod sit terminus motus, ut punctum lineæ. Unde licet in illo instanti verum sit dicere, motum non esse secundum ullam partem sui divisibilem, verum tamen est dicere in illo instanti esse aliquod indivisibile motus quod ipsum terminet. Ad hoc autem ut sit terminus illius, non est necessarium ut sit pars motus, sicut nec punctum est pars lineæ. Nec in hoc potest esse nisi controversia de nomine.

Ex his constat, tam permanentia quam successiva posse incipere per primum sui esse et per ultimum non esse, et similiter etiam successiva posse desinere per ultimum sui esse. Constat etiam qualitatem quæ per motum producitur, secundum partes indeterminatas intensionis vel extensionis, i. e. minores quacunque deter-

minata, desinere connaturaliter per primum non esse ut recte Conimbricenses art. 3. dicto 3., sicut connaturaliter incipiunt per ultimum non esse. — Nunc breviter explicandum restat de qualitatibus quæ successive intenduntur et extenduntur quomodo determinatus gradus illarum, v. gr. secundus vel octavus incipiat esse tam in parte determinata, quam in parte indeterminata subjecti. Incipere autem in subjecto determinato est incipere in tanta vel tanta ejus parte ut digitali etc.; incipere vero in subjecto indeterminato est incipere in infinitis partibus quæ post aliquam superficiem v. gr. immediate sequuntur. Cum enim post indivisibile in quantitate nulla sit minima pars, necessario immediate post indivisibile sequitur pars indeterminata, minor quacunque assignabili determinate Jam ergo

Dico sexto. Determinata intensio formæ quæ producitur in parte determinata subjecti, incipit in facto esse per primum sui esse, in fieri vero minime. Antequam probem conclusionem, sciendum est, quod sive per mutata esse alterationis producatur aliquid indivisibile qualitatis, sive nihil, certum est tamen in ultimo instanti alterationis nullam partem formæ acquiri, siquidem quælibet pars illius formæ est divisibilis et una acquiritur post aliam, ac proinde sequitur qualitatem tantam fuisse præcedenti tempore quanta est illo instanti, ac proinde omnes gradus qualitatis qui in ultimo mutato esse sunt in subjecto, immediate ante jam fuisse, ut patet ex dictis ad 1. arg. contra 2. concl. Et ratio est, nam immediate ante instans fuit tota illa qualitas, ita ut nulla illius pars postea esse cœperit: ergo sicut in instanti est qualitas determinata, v. gr. duorum graduum, ita fuit determinata in tempore præcedenti. Quamvis enim in illo instanti produceretur aliquid indivisibile illius qualitatis, non tamen propterea fieret major illa qualitas: ergo in illo instanti non est verum dicere quod hoc instanti sit qualitas determinata, immediate ante non fuit. Deinde qualitas contraria quæ per introductionem qualitatis incompossibilis excluditur, corrumpitur secundum determinatos gradus in tempore præcedente instans, siquidem nulla pars illius corrumpitur in instanti. Ergo similiter tota entitas qualitatis determinatæ a qua expellitur forma opposita producta est ante instans. Eodem modo id quod movetur localiter totum spatium divisibile percurrit ante ultimum instans, nec acquirit in instanti novum spatium, atque ideo totum spatium quod in illo instanti vere dicitur percurrisse mobile, vere dicitur percurrisse tempore præcedenti.

Præterea sciendum est, quod in iis quæ incipiunt indivisibiliter, simul est fieri et factum esse; in iis autem quæ fiunt successive præcedit fieri, factum esse sequitur immediate, siquidem factum esse est mutatum esse. Toto enim tempore quo durabat fieri, nondum erat factum esse. Verum est, hoc factum esse non esse aliquid de novo additum (si per mutata esse nihil producitur), sed tantum vel ita jam præterisse rem ut nihil ejus supersit ut accidit in tempore, vel certe totum id quod successive fiebat simul permansisse ut in qualitate. In conclusione ergo dicimus, quod et Conimbricenses citati art. 3. post primam assertionem docent, partem determinatam intensionis in fieri non incipere per ultimum sui esse, siquidem ut ostendimus tota illa pars determinata quæ est in instanti immediato post motum, extitit in tempore præcedenti, cum nihil illi addatur divisibile in ultimo instanti; illud enim non fieret successive, nec esset pars. Sicut ergo motus non habet ultimam partem, ita nec forma accipit illa mediante ultimam partem per quam fiat determinata, ut ita possit incipere esse determinata per primum sui esse. Unde sicut motus indeterminatus et forma per eum producta incipit esse per ultimum non esse in tempore indeterminato, ita motus determinatus ac proinde forma quæ per motum acquiritur (eadem enim est utriusque ratio) incipit esse per ultimum sui non esse in tempore determinato, quatenus jam non est, et in toto tempore determinato continue secuturo post instans erit totus. Unde non ita dicimus incipere determinatam intensionem in fieri per ultimum non esse ut intellexerunt Conimbricenses concl. 1., quasi immediate post instans in tempore indeterminato acquiratur determinata intensio in fieri, sed quod in tempore determinato continue post instans secuturo incipiat. In facto esse tamen, vel ut Suarez illo tom. 3. sect. 2. §. Ad argumentum ergo, loquitur in esse perfecto incipit determinata intensio per primum sui esse quod solum volunt forte Conimbricenses. Ratio est. Nam mutatum esse terminans actionem præcedentem incipit per primum sui esse: ergo et factum esse formæ. Et quod de inceptione dictum est, idem de corruptione successiva dicendum.

Dico septimo. Qualitas determinata in parte subjecti indeterminata incipit per ultimum non esse in fieri. Ita Conimbricenses citati dicto 2., quæ conclusio solum habet locum in qualitatibus quæ successive intenduntur et extenduntur propter resistentiam contrarii, vel successivam applicationem agentis, ex quibus capitibus

oritur ut uniformiter difformiter producatur qualitas, hoc est, ita ut in partibus passi vicinioribus agenti sit intensior et intensior juxta proportionem qua partes passi sunt viciniores et viciniores agenti, contra vero in remotioribus sit remissior et remissior, prout remotior est pars passi ab agente, de quibus latius in lib. De gener. Ex hoc autem modo productionis oritur ut recte Conimbricenses, quod sit instans in quo verum est dicere, in aliqua parte passi proximiore agenti deesse certum et determinatum gradum intensionis qualitatis, v. gr. gradum ut duo, tamen quemlibet gradum illo determinato minorem esse in subjecto illo, vel certe verum est dicere in superficie proxima agenti esse qualitatem v. gr. ut duo determinatam, in qualibet parte remotiore esse minorem illo gradu determinato, ita tamen ut in illa parte sit quilibet gradus minor determinato. Nisi enim hoc ita esset revera non extenderetur qualitas uniformiter difformiter.

Dicimus ergo in parte indeterminata subjecti sic disposita ut in ea sit quilibet gradus qualitatis minor gradu determinato, incipere qualitatem in fieri per ultimum non esse, ita ut verum sit dicere, in parte subjecti indeterminata hoc instanti non est calor determinatus, immediate post in tempore indeterminato successive erit. Probatur. Nam posito quod ante illud instans uniformiter difformiter extensa sit qualitas, in illo instanti solum deest in parte subjecti indeterminata aliquid indeterminatum qualitatis ad hoc ut in illa parte qualitas sit determinata v. gr. ut duo. At indeterminata intensio qualitatis incipit per ultimum non esse connaturaliter, sicut omnis forma per motum producta ut diximus. Et hæc est causa ut dicto 4. ostendimus cur successive fiat quarumdam formarum substantialium, requirentium determinatam intensionem dispositionum in subjecto, generatio. Dixi incipere per ultimum non esse in fieri, nam in facto esse incipiunt per primum sui esse in instanti quod sequitur post partem indeterminatam temporis. — Vide apud Conimbricenses solutiones trium argumentorum contra hanc conclusionem, quæ omnia hoc tantum petunt quomodo gradus qualitatis cujus additione fit determinata intensio immediate post instans incipiat. Sed revera non minus facile intelligitur quomodo post instans incipiat indeterminata pars qualitatis successive cujus additione fiat præexistens qualitas determinata, quam quomodo incipiat indeterminata pars temporis cujus tamen una pars prior est altera.

Disputatio III.

DE LOCO ET VACUO.

Post quantitatem agendum est de loco, siquidem beneficio quantitatis habent corpora naturalia ut locum occupare possint. Sit igitur

QUAESTIO PRIMA.

Quid sit locus, ubi de ejus immobilitate, aliisque passionibus.

Recte Aristoteles 4. Phys. text. 1. supponit tanquam per se notum, dari locum; omnes enim consentiunt et fatentur res esse in loco naturali, vel extra illum, quiescere in loco etc. quæ vera non sunt si non sit locus. Ex quo etiam constat locum esse ens reale et nullo intellectu cogitante existens, licet quæ sit ejus ratio formalis, et quæ res habeat illam rationem formalem per quam denominatur locus, sit valde incertum. Agit autem Aristoteles de loco duntaxat corporum naturalium, non vero de loco rerum spiritualium. Et ut naturam loci inquirat propositis variis dubitationibus illo 4. Phys. usque ad text. 30. proprietates quas omnes homines loco attribuere solent enumerat. Unde text. 30. ait locum debere continere rem locatam; deinde locum primum seu proximum et proprium non debere esse minorem vel majorem re locata. Licet enim locus communis qui etiam mediatus dicitur rerum naturalium excedere possit singulas res naturales quæ sunt in loco, quomodo cœlum excedit omnia corpora, proprius tamen locus adæquatur rei locatæ, nec excedit illam. Ad hæc, locum non posse ita destitui ut sit sine ullo locato, quamvis possit res relinquere locum quem semel habet. Denique quælibet res ait tendit ad suum locum naturalem, ibique manet. Textu vero 41. addit locum esse immobilem. Jam ergo

Antiqui non pauci ut refert Pererius lib. 11. cap. 4., Conimbricenses 4. Phys. cap. 5. qu. 1. art. 2. censuerunt locum esse spatium quoddam, quod a corpore occupatur. Hoc tamen spatium aliqui ut Proclus relatus a Simplicio digressione in 4. Phys. text. 49. volunt esse quoddam ens reale verum et positivum, omnino immo-

bile. Alii vero ut Philoponus 4. Phys. digress. in text. 42., Scaliger Exercit. 5. n. 3. hoc spatium ajunt non esse aliquod ens reale, sed solum immaginarium. Sicut enim si intelligamus in vase dari vacuum, inter latera vasis foret quoddam intervallum capax recipere corpora, ita in toto universo esse quoddam spatium simile, omnino immobile, incorporeum, nec tamen unquam sine aliquo corpore quod in tali existat loco reperiri. Hanc sententiam Conimbricenses illo art. 2. a nemine hactenus ajunt efficaciter refutatam; imo in fine articuli immobilitatem loci explicant per immaginariam superficiem ambientem corpus, quæ non potest moveri. Et hæc fuit sententia Fonsecæ. Is enim 5. Metaph. cap. 15. qu. 7. sect. 5. ad 4. et latius qu. 9. sect. 2. in fine ait superficiem corporis ambientis esse materiale in loco, formaliter autem locum esse superficiem ambientem spatium in quo est corpus, et ideo ratione hujus locum esse immobilem, et quantumvis superficies corporis mutetur, semper in eodem loco remanere rem ipsam, quousque manet intra eandem superficiem spatii immaginarii. Capite vero 13. qu. 7. sect. 1. postquam ostendisset hoc spatium imaginarium non esse quantitatis speciem, subdit: hoc spatium quod etiam extra cœlos infinite in omnem partem est distinctum, non ideo dici imaginarium quasi nullum sit nisi nos fingamus, sed solum quia spatium quod revera semper fuit et erit non est vera quantitas, sed ficta. Hoc autem spatium ait esse aptitudinem, seu non repugnantiam corporum capiendorum, nec ipsum est alicubi, vel in aliquo subjecto, sed potius est id ubi est quidquid alicubi est, nec mirum est si in nullo subjecto sit ait, cum puræ negationes non sint privationes ut egeant subjecto. Idem vero cap. 5. qu. 1. sect. 1. spatia hujusmodi ait non esse ficta, sed quæ dentur vere absque intellectus operatione, esseque omnino necessaria, ita ut nulla ejus pars possit non esse, non tamen est res aliqua, licet lib. 5. cap. 15. qu. 7. sect. 5. ad 6. concedat dici posse ens reale, et esse terminum motus localis qui in vacuo fieret.

Fundamentum hujus sententiæ est, nam immobilitas loci sine tali spatio salvari non potest. Nam superficies corporis ambientis flante vento movetur et nova superficies acquiritur. Deinde locus est id quod acquiritur per motum localem; sed tale spatium acquiritur ut patet si Deus totum mundum transferret, nihil enim aliud præter spatium hujusmodi posset acquiri, sicut etiam si res moveretur in vacuo. Unde ait Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 9. sect. 4.

locum ad quem fit localis motus esse spatium immaginarium vel superficiem talis spatii. Quia tamen inquit hujusmodi spatium vel superficies ipsius non est res ulla vera et realis, ideo Aristoteles cum videret semper in motu acquiri superficiem aliquam corporis hanc vocavit locum, non absolute, sed quatenus est immobilis, i. e. quatenus incidit in immobilem superficiem imaginariam.

Hæc tamen sententia mihi nullam unquam probabilitatem habere visa est. Nam hoc spatium vel est aliquid, vel nihil nisi figmentum nostrum. Si est aliquid, et actu reperitur in rerum natura non per solum figmentum: ergo illud productum est a Deo, et ab eodem corrumpi potest, eritque vel substantia vel accidens. Quodcunque dicatur superflue ponitur tale spatium. Sicut enim hoc spatium non eget alio spatio in quo receptum sit, ita nec ulla corpora egebunt, vel si alia corpora egent, etiam ipsum spatium aliud spatium in quo recipiatur præexigit, eritque infinitus processus in spatiis. Præterea sive dicatur esse substantia spiritualis sive corporea, et si est accidens sive dicatur esse sine ullo subjecto seu potius migrare de subjecto in subjectum pro diversitate rerum quas recipit, innumera inferri possunt absurda. Si est figmentum et omnino nihil, non erit passio corporis naturalis, nec res naturales dicerentur esse in loco magis quam dicerentur esse in hircocervo vel in nihilo, nec ulla ex proprietatibus loci ut quod sit æqualis locato, quod ipsum contineat etc. figmento possunt applicari. Nec in his figmentis diutius est morandum. Recte ergo div. Thomas 3. p. qu. 57. art. 4. ad 2. ait extra cœlum non esse potentiam vel capacitatem susceptivam corporis, sed in corpore esse potentiam eo perveniendi ubi scilicet nihil est. Fundamenta illius sententiæ infra refutabimus. Et ut omittam alias minus probabiles opiniones de loco

Aliqui recentiores locum ajunt non esse aliquid extrinsecum, sed intrinsecum locato, scilicet ipsum ubi per quod res est præsens alicui corpori, licet aliqui ex istis concedant locum extrinsecum rei esse ipsam superficiem corporis ambientis, quamvis ajunt locus intrinsecus sit ille modus præsentiæ. Probatur primo. Quia huic ubi seu præsentiæ duntaxat convenit quod sit immobilis ut infra dicetur; neque enim transferri alio potest, cum ex natura sua sit ratio constituendi rem in hoc loco. Secundo. Illud est locus quod est terminus motus localis, sed proprius terminus illius est hoc ubi quod producitur per motum localem ut disp. De motu locali

ostendemus. Et patet, nam si res moveatur in vacuo vel extra cœlos non acquirit ullam superficiem, sed hoc ubi duntaxat. Deinde quia res spirituales ut angeli sunt in loco; sed illorum locus non est superficies etc.

Hæc tamen sententia mihi nunquam placuit. Licet enim ut mox dicemus verissimum sit dari tale ubi, seu talem præsentiam per quam res formaliter est in loco, revera tamen illa præsentia non potest dici locus rei, tum quia ut recte Aristoteles 4. Phys. text. 30. locus non est aliquid ipsius rei locatæ, et text. 17. et 18. non est forma rei locatæ, sed aliquid extrinsecum quod a re locata relinquitur, unde dicimus ait in locum aeris aquam succedere etc. quæ omnia falsa sunt, si ille modus sit locus. Tum quia res dicitur esse in loco, non dicitur autem esse in illo modo, sed potius ille modus dicitur esse in re: ergo ille modus non est locus, sed forma per quam res constituitur in loco. Tum denique quia ego sum in loco; sed locus secundum adversarios est in me tanquam subjecto: ergo ego sum in meipso. Et fingere locum cui nulla conveniat ex proprietatibus quæ ab omnibus attribuuntur loco, est nihil aliud quam fingere.

Ad argumenta contraria. Ad primum respondeo. Infra dicemus quomodo locus sit immobilis. Ad secundum. Terminus intrinsecus motus localis non est locus, sed ubi quod per illum motum producitur ut infra dicemus. Et solus motus corporum naturalium habet terminum extrinsecum, locum ipsum, qui extrinsecum quid est ipsi locato. Res autem spirituales non habent alium locum, quam illam rem in qua sunt; si vero sint in vacuo, vel extra cœlos, licet habeant ubi per quod constituantur ibi ubi nihil est, non tamen habent locum ullum, sicut nec res in vacuo existens habet ullum locum proprium et proximum.

Aristoteles igitur 4. Phys. text. 41. postquam loci proprietates exposuisset, hanc loci definitionem colligit: locus est terminus corporis continentis immobilis primus. Per *terminum* autem non intelligit extremam aliquam partem corporis ambientis ut volunt aliqui negantes superficies terminativas, sed superficiem. Vult enim text. 34. locum esse extremum continentis; nulla autem pars quantitatis est extrema, sed post quamlibet est alia. Similiter locum ait æqualem esse locato text. 33.; at nulla pars corporis continentis est æqualis locato. Dicitur *primus* ut explicat Aristoteles illo text. 33. ut excludatur locus communis seu locus qui non est immediatus

corporis sed mediatus, ut est cœlum respectu omnium corporum sublunarium quomodo etiam ego dicor esse in hac schola tanquam in loco quia scilicet aer qui me ambit est in hac schola. Addit *immobilis* ut distinguat locum a vase. Nam vinum dicitur esse in eodem vase, non tamen est in eodem loco si Vienna Græcium deferatur. Atque ideo nisi locus sit immobilis poterit aliquid moveri localiter et tamen manere in eodem loco.

Contra hanc definitionem Aristotelis multa adferunt argumenta Conimbricenses 4. Phys. cap. 5. qu. 1. art. 1., Pererius lib. 11. cap. 6., Toletus 4. Phys. qu. 1. Primo enim superficies corporis ambientis non est immobilis. Cum enim hæc superficies sit in corpore ambiente tanquam in subjecto, una cum subjecto poterit moveri. Secundo. Locus est id quod per motum localem acquiritur, et fundamentum propinguitatis et distantiæ. Sed res potest moveri sine ulla superficie circumscribente, sicut etiam distare ut patet in extrema superficie supremi cœli etc. Confirmatur. Nam terra immota manente licet omnes superficies corrumperentur in eodem loco maneret in quo nunc: ergo. Tertio. Si locus est superficies: ergo amittere quis potest locum sine motu locali et ulla mutatione intrinseca ut si ventus perflet et a turri immota superficiem qua ambiebatur removeat, vel in aqua demersus palus hæreat; sed hoc est absurdum: ergo. Quarto. Locus debet esse æqualis locato; sed superficies ambiens solum est æqualis superficiei corporis locati: ergo sola illa superficies est in loco.

Dico primo. Locus corporis naturalis est immediata superficies corporis continentis. Ita Aristoteles. Probatur, nam locus est aliquid extrinsecum locato ut ostendimus, et continens locatum ipsique æqualis. Sed hoc soli superficiei corporis continentis convenit. Ergo. Minor patet. Nam ut ostendi nulla pars rei continentis est æqualis locato præter solam superficiem extrinsecam quæ omnino æqualis est superficiei corporis contenti. Et ratio est: nam superficies intime præsens alteri est æqualis illi. Sed superficies continentis est intime præsens superficiei corporis contenti ex Aristotele text. 35., siquidem indivisibile non potest immediate esse extra indivisibile, secaret enim continuum in duobus punctis immediatis, contra ea quæ disp. De quantitate qu. 3. ad 1. primæ sententiæ diximus. Solum autem locus proprius et rei quiescentis debet esse æqualis locato, nam res cum movetur majorem occupat semper locum seipsa ut disp. De quant. diximus. Et ex hac conclusione patet,

non quamlibet superficiem esse locum; neque enim superficies terminativa corporis est locus ipsius corporis, sed debet esse superficies corporis continentis, ac proinde ad rationem loci requiritur corpus continens. An vero sufficiat si possit continere licet actu non contineat ullum corpus, ac proinde an si daretur vacuum, superficies illa intra quam esset vacuum esset locus, quamvis actu nil contineret, quæstio est de nomine.

Certant etiam aliqui, an continere locatum conveniat superficiei corporis, an potius ipsi corpori ut vult Soto qu. 1. art. 2. ad 6., Pererius lib. 11. cap. 1. Sed res non est difficilis. Si enim per continere intelligatur idem quod ambire et circumdare locatum, revera superficies etiam continet. Si vero illud dicitur continere quod impedit ne possit exire contentum sine ruptione continentis, id proprie corpori convenit. Si enim sola superficies ambiret corpus, exire posset corpus ab illa, non rumpendo superficiem quia cum nullam habeat profunditatem, nec habet impenetrabilitatem secundum profunditatem, sicut alteri superficiei potest simul esse intime præsens, ita et corpori posset successive.

Dico secundo. Superficies corporis continentis quæ rationem loci habet, debet esse immobilis; ita Aristoteles 4. Phys. text. 41. ubi distinguit vas a loco, quod vas possit transferri cum re quam continet, locus autem minime. Unde text. 17. vas inquit est locus transferri valens; text. vero 43. locum ipsum ait esse veluti vas quoddam, sed immobile. Et sane communis usus hominum hoc recipit, nam licet vinum sit in vase, tamen non est in illo ut in loco. Unde ut supra diximus licet maneat in eodem vase vinum, si tamen Græciam Vienna transferatur per motum localem, revera non nisi stultus diceret vinum in eodem jam loco esse in quo ante fuerat. Eodem modo ait Aristotele illo text. 41. partem fluvii quæ defert navim non esse locum navis, sed potius tanquam vas, eo quod cum navi transferatur.

Hanc tamen loci immobilitatem non eodem modo omnes explicant. Fonseca enim, Conimbricenses etc. ajunt locum ideo esse immobilem, quia superficies imaginaria spatii imaginarii quæ ambit rem locatam nunquam movetur. Sed hoc non est explicare immobilitatem loci, verum immobilitatem spatii imaginarii. Alii juniores ajunt locum esse immobilem, eo quod ubi seu præsentia in loco per quam res constituitur hic, non possit moveri, ille enim modus cum ex ratione sua et per propriam entitatem sit ratio constituendi

rem hic, non potest esse nisi hic; ita sentit Suarez 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 5. initio, quod et fatentur qui admittunt locum intrinsecum. Sed cum talis præsentia seu ubi non sit locus, hi non explicant immobilitatem loci. — Alii ut Scotus 2. dist. 2. qu. 6. volunt locum esse immobilem secundum æquivalentiam, quia licet locus semper mutetur, succedit tamen alius æquivalens illi. Idem innuit Ferrariensis 4. Phys. qu. 1. Contra tamen est, nam eodem modo res cum movetur dici posset non moveri nec mutare locum quia semper retinet aliquem locum per æquivalentiam. Deinde non posset vas a loco distingui si locus revera sit mobilis ut hi concedunt.

Minus probabile est quod aliqui dicunt locum esse solum mobilem per accidens, scilicet ad motum corporis in quo est, et ideo dici immobilem. Eodem enim modo superficies vasis est immobilis, ac proinde erit locus. Divus Thomas 4. Phys. text. 41. et alii ut Suarez disp. 51. sect. 2. n. 6. ajunt præter superficiem in ratione loci includi distantiam a polis mundi et centro, quæ cum eadem semper maneat quantumvis mutetur superficies, idcirco dicitur ratione hujus distantiæ locus immobilis. Sed revera talis distantia cum sit relatio non est aliquid essentiale loci, sed potius consequitur rem in tali loco constitutam. Deinde eodem modo dicerem superficiem vasis esse locum ut est in tali distantia a polis etc. quia ut sic immobilis est. Deinde si manente homine in eodem loco Deus deprimeret polos cœli, non mutaretur locus hominis et tamen distantia a polis mutaretur. Similiter si aliqua pars terræ esset æquabilis ita ut a centro omnes ejus partes æque recederent, et sub æquatore moveretur quis ab oriente in occasum, semper æque distaret a polis et centro, ac proinde non mutaret locum licet moveretur localiter, quod est absurdum.

Existimo ergo, immobilitatem loci in hoc consistere quod non possit locus simul cum re locata transferri, sed necessario quando res locata movetur rumpit locum, ita ut ille non remaneat amplius. Et hanc solam esse immobilitatem quam Aristoteles ad locum requirit, constat. Nam illam immobilitatem attribuit loco propterea ut a vase distinguat. Ergo cum vas sit locus in quo res transferuntur, locus proprie dictus erit superficies in qua res non possit transferri, neque enim locus est aliquid aptum ad transferenda ea quæ sunt in loco, sicut vas aptum est ad transferenda ea quæ sunt in ipso, sed potius eo ipso quod res incipit transferri, super-

ficies ambiens quæ est locus rumpitur, et alia superficies acquiritur. Unde constat non bene Pererium lib. 11. cap. 3. hanc immobilitatem ad sola naturalia loca elementorum referre, cum Aristoteles in communi omni loco dicat convenire immobilitatem, et ideo velit aquam quæ navim defert non esse locum navis, sed veluti vas.

Ad argumenta contraria. Ad primum. Jam diximus quomodo locus sit immobilis. — Ad secundum respondeo: locus est extrinsecus terminus motus localis, non intrinsecus, nec ad eum necessarius. Unde motus localis formaliter est via ad ubi per quod res fit præsens loco, vel fieret præsens si aliud corpus adesset. Hoc autem ubi produci potest etiamsi absit omnis superficies ac locus, et est fundamentum propinguitatis etc. Licet ergo nomen motus localis a loco sit impositum, non est tamen necessarium ut semper acquiratur locus per talem motum, quia ut qu. 1. proœmiali in Logica diximus ex div. Thoma sæpe aliud est a quo nomen rei imponitur, et aliud quod nomen significat. Ad confirmationem. Terra tunc nullum haberet locum, licet idem ubi intrinsecum retineret quod nunc habet, sicut infra dicemus supremam sphæram nullum habere locum.

Ad tertium. Respondet Toletus 4. Phys. qu. 1. ad 7., Conimbricenses supra qu. 1. ad 2. etiamsi superficies ambiens mutetur, tamen ego non muto locum inquit quamdiu retineo idem ubi. Licet enim superficies ambiens sit locus, tamen ad mutationem loci præter extrinsecam superficiem, etiam mutatio ubi intrinseci necessaria est, cum mutatio loci ex communi usu sumatur per acquisitionem novi loci per veram actionem in mobili subjectatam per quam verum ubi acquiritur, ac proinde quamdiu res non est mota localiter, et consequenter non acquisierit novum ubi, non dicitur mutasse locum, licet ambiens superficies sit diversa. Unde licet concedi possit rem non motam mutare superficiem, tamen concedi non debet rem non motam acquirere novum locum, propterea quod acquisitio loci significet motum existentem in mobili. Alii tamen concedunt vere et physice loquendo tunc mutare locum illam turrim, vulgo tamen dicitur esse in eodem loco, quia vulgus rem semper in eodem loco esse putat quamdiu eandem præsentiam et eundem situm retinet. Utraque solutio optima est.

Ad quartum. Ita vere est, æqualitatem loci et locati solum esse secundum extimas superficies ut diximus; nihilominus sicut totum corpus dicitur esse in loco, et totum corpus dicitur continere

locatum, licet solum se tangant secundum extimam superficiem, ita corpus dicitur æquale ratione extimæ superficiei. Addendum vero est, non esse necessarium ad unitatem loci ut sit continua superficies, sed sufficit si sit contigua, ut cum baculus cujus dimidia pars est in aqua, dicitur esse in uno loco etc., hæc enim unitas est per aggregationem. Ex his etiam constat cur locus dicatur ab Aristotele text. 30. continere locatum, quia scilicet excedit omnia quæ sunt in locato, ita ut nihil ipsius locati sit extra superficiem corporis continentis, et omnia quæ sunt in locato excedit locus præter superficiem extimam locati atque ita et continet locatum et est æqualis illi ratione superficiei.

Dicitur etiam locus conservare locatum ut innuit Aristoteles 4. Phys. text. 48., 4. Coeli 23. quod potissimum de loco naturali intelligi debet. Locus autem naturalis elementorum est ille, in quo secundum rectam dispositionem universi quodlibet elementum naturaliter esse postulat. Sicut enim elementa sunt partes mundi, ita rectam ejus dispositionem et constitutionem appetunt, quæ cum consistat potissimum in ordine, hinc est ut naturalitas loci proveniat ex certo ordine quem perfectio universi postulat, ut scilicet graviora sint sub levioribus, et ideo disp. De motu locali qu. 2. ostendemus elementa moveri ad loca naturalia non quia tale spatium appetant, sed ut leviora sint supra graviora, sicut partium animalis naturalis dispositio est quam exigunt ad obeundas functiones. Mixtorum autem naturalis locus dicitur qui magis conducit ad eorum conservationem, quomodo piscium locus est aqua, stirpium etc. terra in qua radices agunt etc. Et de loco mixtorum in primis intelligi debet quod conservent locatum, eo quod locus naturalis illorum positive deserviat ad ejus conservationem, ut aqua ad piscium. Locus etiam naturalis dicitur conservare elementa quatenus in eo magis sit remotus a contrariis corrumpentibus, quam in quolibet alio.

QUAESTIO SECUNDA.

An res quaelibet sit in loco formaliter per accidens de praedicamento ubi, et quaenam res, quibusve modis sint in loco.

Certum est multas res esse in loco, et esse præsentes loco, sed quid sit formaliter esse in loco, seu per quid formaliter res constituitur præsens alicui loco, difficile est explicatu.

Prima sententia est: rem quamlibet seipsa et sua entitate esse in loco formaliter, et non per aliquid ex natura rei distinctum a se. Unde rem esse in loco, seu præsentiam localem ajunt vel esse extrinsecam denominationem a loco ambiente sumptam ut vult Fonseca 5. Metaph. cap. 15. qu. 7. sect. 3., Soncinas 5. Metaph. qu. 40., Sotus 3. Phys. qu. 2., div. Thomas 1. p. qu. 110. art. 3. et qu. 6. De potentia art. 3., qu. 16. De malo art. 10.; vel certe relationem loci ad locatum ut sentit div. Thomas 5. Metaph. lect. 15. ubi præsentiam ait esse relationem loci ad locatum. Probatur primo. Nam si Deus removeat a me omnia accidentia præter quantitatem et ea accidentia quæ habui antequam hunc locum occuparem, tunc remanerem nihilominus præsens eidem loco cui ante, et penitus non mutarem locum: ergo sola substantia est sufficiens ad constituendum me in hoc loco. Confirmatur. Nam si fingatur modus aliquis per quem ego constituor hic, ablato divina virtute vel saltem per intellectum illo modo, adhuc secundum meam substantiam ego non recedo ab hoc loco, nec moveor localiter, nec quidquam intercipietur inter me et corpus ambiens, atque adeo ero præsens illi sine ullo accidente superaddito: ergo. Secundo. Per motum localem ait Aristoteles 8. Phys text. 59. nihil eorum quæ intrinseca sunt mobili variantur. At si modus aliquis acquiritur per quem res sit præsens loco, id falsum esset.

Si objicias his auctoribus substantia et entitas rei quæ est in loco semper est eadem: ergo si per suam entitatem constituitur in hoc loco, semper erit in hoc loco. Similiter relatio præsentiæ et distantiæ quam res habet ad corpora variatur cum res est in diversis locis; at relatio non potest mutari nisi aliqua mutatio fiat in absoluto: ergo aliquid absolutum producitur cum res acquirit præsentiam etc. — Respondent: substantia rei ex se indifferens est ut sit in hoc vel illo loco, habeat præsentiam vel absentiam etc. Ex se tamen apta est ut si per motum localem transferatur sit seipsa hic vel ibi, habeat relationem præsentiæ ad hoc vel illud. Unde ratio fundandi relationem præsentiæ ad hoc corpus est motus localis per quem huc transfertur res, sicut ratio fundandi relationem paternitatis est generatio.

Dico primo. Licet rem esse in loco actu, includat denominationem extrinsecam a loco cum non sit aliud rem esse in loco quam loco circumdari, id quod non est aliud quam denominatio sumpta a loco extrinseco, tamen res formaliter constituitur præsens et in tali loco per accidens aliquod intrinsecum locato, ac proinde præ-

sentia in rebus creatis omnibus præter ipsam substantiam, dicit aliquid absolutum, intrinsece illam afficiens. Hæc sententia est Molinæ 1. p. qu. 52. art. 1. ubi præsentiam angeli ait esse accidens aliquod de prædicamento ubi; Suaresii 3. p. tom. 3. disp. 47. sect. 1. ubi de præsentia corporis Christi in Eucharistia idem sentit. Dixi *in creatis*, nam ut optime notavit Suarez loco citato disp. 48. sect. 4. §. Prima ergo ratio, Deus præsens est rebus omnibus per suam immensitatem, ita ut per illam non tantum sit præsens rebus existentibus, sed etiam ita dispositus est per suam præsentiam, ut sine mutatione sui possit esse præsens omnibus rebus possibilibus etiamsi in infinitum augerentur.

Probatur hæc conclusio a Molina, quia motus localis est actio in mobili existens: ergo cum per omnem actionem debeat aliquis terminus fieri et produci, per motum localem aliquid producitur intrinsecum mobili quo ante carebat. Illud autem non est nisi ubi per quod res formaliter est in loco: Ergo. Sed revera hoc argumentum non concludit. Nam licet ut disp. De motu locali ostendemus, hoc argumento evidenter probetur per motum localem produci aliquod accidens intrinsecum mobili, scilicet ubi successivum, cum tamen toto tempore motus occupet mobile majus spatium seipso et illud ubi quod per actionem successivam producitur non maneat in mobili cessante motu (si enim maneret revera constitueretur mobile post motum in toto spatio in quo fuit dum moveretur): dicere quis posset, in ultimo instanti quo primum non est motus, nihil produci in mobili permanens per quod constituatur hic, sed se ipso formaliter esse in hoc loco.

Probatur ergo primo cum Suaresio illa sect. 1. concl. 2. Nam nova denominatio realis advenire non potest rei nisi de novo aliquid reale producatur in re denominata, vel in eo a quo fit denominatio. Sed cum post motum localem res denominatur esse in loco in quo ante non fuerat, nihil producitur de novo in loco præexistenti. Ergo producitur in mobili. Major patet. Nam res ante existens et non denominans aliquid, non potest incipere denominare nisi aliqua fiat mutatio. Deinde novæ relationes non incipiunt esse sine productione alicujus absoluti. Sed cum corpus incipit esse in hoc loco, incipit habere relationem præsentiæ, contactus et distantiæ ad hoc corpus quæ ante non habebat. Nihil autem de novo producitur in loco. Ergo in re locata debet aliquid produci. Non autem producitur nisi ubi. Ergo.

Respondere possent auctores primæ sententiæ: ad novam denominationem vel relationem sufficere si motus localis præcesserit, sicut ut paries dicatur fuisse visus sufficit si visio præcesserit, et ut quis dicatur pater sufficit si olim genuerit. Contra hanc tamen responsionem est in primis quia Angelus v. gr. cum creatur in coelo habet præsentiam etc. ad coelum, sine ullo motu præcedente. Deinde sola creatio non potest esse totale fundamentum denominationis extrinsecæ, vel relationis propinguitatis ad hanc rem potius quam ad illam, siquidem eadem numero creatio esse poterat, licet alibi fuisset producta res, et ita non habuisset præsentiam respectu hujus corporis: ergo præter talem actionem creativam debet aliqua ratio accidentalis produci in re creata, per quam res sit hic, et quæ fundet relationem præsentiæ etc.

Secundo. Potest res existens in uno loco poni a Deo in secundo loco ut mox dicetur, etiamsi non producatur substantialiter. Ergo aliquid præter entitatem rei producere debet Deus in re, per quod formaliter constituatur in secundo loco. Similiter postquam res posita est in uno loco, potest Deus facere ut desinat esse in altero, sine corruptione rei substantiali. Hoc autem facere non potest alio modo nisi cessando ab aliqua actione qua conservabit id per quod res formaliter erat in illo loco. Ergo aliquod accidens est in re per quod formaliter constituitur in loco, et quod producitur cum Deus ponit corpus in novo loco. Confirmatur. Nam ut conclusione 4. dicemus explicari non potest quare corpus Christi Domini constituatur totum in qualibet parte hostiæ consecratæ sine tali ubi seu modo præsentiæ.

Tertio probatur. Nam aliquid reale acquiritur per motum localem ut diximus cum Molina, hoc autem non est locus extrinsecus, nam ille non producitur per motum, et quamvis produceretur quando res movetur in plano, tamen cum movetur in vacuo, vel supra cœlos certum est tunc non acquiri superficiem. At per motum localem aliud non acquirit mobile quam ut successive sit in diversis locis. Ergo hoc quod est esse in loco successive, est accidens productum per motum. Sed nulla est ratio cur necessarium sit tale accidens ad hoc ut res successive sit in loco, et non sit necessarium ut permanenter sit in loco. Ergo. Quod vero tale accidens sit quid absolutum et non relatio probat optime Suarez sect. 2. dicto 2. disp. 47. Nam hoc accidens cum sit reale non potest esse relatio rationis, nec realis, quia producitur per actionem

distinctam a qualibet alia re, cum tamen relationi id non conveniat. Confirmat Suarez ut in simili de unione diximus 1. Phys. disp. 4., quia nullum habet terminum realem. Si enim res poneretur in vacuo, adhuc haberet tale accidens; imo si nulla creatura esset præter unicam. Et tamen tunc non esset terminus realis. Verum responderi posset tunc esse præsentem et propinquam rem ipsi Deo, atque ita Deum esse terminum realem talis relationis.

Dico secundo. Hoc accidens ex natura rei distinguitur a mobili; ita Suarez illa disp. 47. sect. 1. concl. 3. Probatur. Accidens sine quo realiter existere potest subjectum, ita ut tale accidens esse desinat et non propter solam desitionem extrinseci termini, distinguitur ex natura rei a subjecto ut alibi ostendimus. Sed sine præsentia vel ubi quo ego formaliter sum hic, possum esse etiamsi reliqua omnia entia mundi eodem modo se habeant quo prius, quod multo clarius apparet si res in duobus locis existens in uno esse desineret sine motu locali. Ergo. Deinde hoc accidens producitur per novam actionem realem, distinctam ab actione per quam substantialiter res est producta. At quæ diversis actionibus producuntur, diversa sunt ex Aristotele 7. Top. loco 3. Denique hoc accidens producitur a potentia loco motiva ut a gravitate etc., et per ejus receptionem mutatur subjectum. At subjectum non potest esse effectus potentiæ loco motivæ, nec mutaretur per receptionem ubi, si esset idem subjectum et ubi. At certum est mutari rem cum movetur localiter. Ergo. Fallitur igitur Pererius qui lib. 13. cap. 9. qu. 10 ad 4. docet ubi quod per motum localem acquiritur esse idem cum mobili, quod et Toletus 3. Phys. qu. 3. concl. 2. innuit.

Dico tertio. Hoc accidens est modus quidam accidentalis constituens prædicamentum ubi. Ita Suarez citatus dicto 4. et sect. 2. dicto 4. Omissa probatione Suaresii quæ non est efficax, probo breviter. Nam hoc accidens seipso unitur rei quam constituit in loco. Si enim per aliam unionem uniretur: ergo illa unio deberet habere aliud ubi per quod constitueretur in loco, siquidem ut ostendemus quælibet entitas distincta ex natura rei ab alia, habere debet suum proprium ubi. Et sic vel dabitur infinitus processus unionum ubi, cum rebus existentibus in loco, vel ad aliquod ubi veniendum est quod seipso uniatur. Et idem dici potest et debet de primo ubi. Cum ergo ut 1. Phys. disp. 4. qu 2. explicavimus in hoc consistat ratio modi, quod seipso sit actualis nexus cum

aliquo, atque idcirco non possit esse nisi actu uniatur alteri, clarum est, hujusmodi accidens esse modum.

Quod vero non sit modus substantialis, sed accidentalis, optime probat Suarez illa sect. 2. Nam modus substantialis debet ad compositionem et complementum substantiæ intrinsece pertinere. Si enim substantia in suo genere sit completa et constituta, omnis modus illi adveniens est accidentalis et extra rationem substantiæ. Nisi enim hoc tanquam certum statuatur, non est ratio cur omnes modi cujuscunque prædicamenti non dicantur substantiales. Sed iste modus præsentiæ non pertinet ad complementum substantiæ rei; tam enim completus est homo substantialiter si habeat hanc præsentiam, quam si illam non haberet, sed aliam. Denique quod iste modus accidentalis constituat prædicamentum ubi, tradit ibidem Suarez dicto 4. Et probatur. Nam hoc accidens non est aliud quam ratio positiva et intrinseca per quam res est hic vel ibi, et puæ producitur per motum aut mutationem localem. Sed hoc non nisi prædicamento ubi convenit. Ergo. Deinde tale accidens non potest ad ullum aliud prædicamentum spectare, ut inductione patet.

Hoc igitur ubi est participatio quædam limitata immensitatis divinæ, sicut duratio æternitatis. Ut enim Deus per suam immensitatem est ubique etiamsi nulla creatura existat in rerum natura, et ratione illius immensitatis habet quidquid necessarium est ut sit præsens creaturæ existenti, absque ulla mutatione, ex eo solum quod creatura incipiat esse, ita res creata habet quandam participationem illius immensitatis finitam ac limitatam, ratione cujus sine ullo ordine ad extrinsecum corpus, per rationem absolutam de prædicamento ubi, est alicubi, et propter suam mutabilitatem potest jam hoc, jam illud ubi acquirere atque ideo moveri localiter. Unde esse hic vel ibi non est coëxistere huic vel illi rei in eodem spatio, aut habere relationem præsentiæ ad illam, sed est informari accidente absoluto, quæ est ratio essendi hic, et fundamentum præsentiæ aut coexistentiæ cum alio in eodem loco. Unde sicut ratio ubi in communi est ratio constituens rem alicubi, ita hoc ubi ex ratione numerica est ratio constituendi hic, illud ibi etc. Ex quo constat hoc ubi quo sum hic seipso esse rationem constituendi hic, ita ut non possit constituere alibi, quod eodem modo probatur quo ostendimus unionem natura sua esse actualem nexum. Si enim hoc ubi ex sua ratione numerica non est ratio actualiter constituens hic, sed tantum potens constituere hic: ergo aliquid

necessario addi debet per quod fiat actualiter constituens hic. Si enim nihil addatur: ergo cum istud ubi non constituit corpus hic, sequitur corpus habere rationem per quam formaliter constituitur hic, et tamen non esse hic, quod implicat contradictionem. Ex quo constat quodlibet ubi ex ratione sua numerica penitus immobile esse, et plura ubi quæ diversas res, vel eandem diverso tempore in eodem loco constituunt, convenire quatenus quodlibet illorum habet ex propria ratione constituere hic licet numero differant. Neque enim redit eadem præsentia numero quam ante res habuit, cum iterum in hoc loco constituitur.

Dico quarto. Ubi non est ipse locus ut denominans locatum extrinsece, ac proinde falsum est quod aliqui ajunt, sicut concretum albedinis est album, ita concretum loci esse ubi. Est contra eos qui ultima prædicamenta volebant in Logica esse denominationes extrinsecas. Probatur. Tum quia ubi est terminus motus localis in ipso mobili existens ut disp. 5. dicetur; locus autem est extrinsecus. Tum quia res, etiamsi non sit in loco extrinseco potest moveri localiter, ac proinde habere potest ubi quod est terminus motus localis. Ergo ad rationem ubi non spectat locus extrinsecus. Tum quia actio per quam Deus ponit corpus in secundo loco habet pro termino ubi, non locum extrinsecum vel corpus locatum. Denique id per quod corpus Christi in Eucharistia constituitur totum in toto, et totum in qualibet parte est accidens intrinsecum. Nam ex ablatione solius extensionis in ordine ad locum non sequitur corpus Christi futurum totum in qualibet parte, sed potius totum in puncto. Ergo idem dicendum est in aliis.

Dico quinto. Licet non sit necessarium res omnes actuales esse in loco physico, tamen omnino necesse est, omne quod est, alicubi esse, ac proinde nec virtute divina fieri potest ut res existat realiter et nusquam sit, seu quod idem est, non habeat ubi intrinsecum ratione cujus conveniat illi præsentia vel distantia a rebus ceteris. Et idcirco in Logica in prædicamento qualitatis diximus ubi esse accidens quod omnibus rebus existentibus conveniat. Prima pars patet. Nam licet omnia alia infra supremum orbem cœlestem sint in loco, tamen ultima sphæra non est in loco ut Aristoteles 4. Phys. text. 45. docet, quia inquit locus est aliquid extrinsecum ambiens. Sed extra universum nihil est quod ambire possit ultimam superficiem. Ergo. Recte autem probant Conimbricenses 4. Phys. cap. 5. qu. 2. art. 1. centrum non esse locum

cœli, licet Pererius lib. 11. cap. 9. concl. 6. contrarium velit. Et quamvis Conimbricenses citati art. 2., Toletus 4. Phys. qu. 7. Aristotelem velint sensisse supremæ sphæræ quamlibet partem esse in loco, scilicet in superficie illam ambiente, id tamen mihi non placet. Tum quia locus non est nisi superficies corporis continentis æqualis locato; tum quia licet hoc dicatur, adhuc tamen extima illa superficies non erit in loco; tum denique quia Aristoteles ibi per partem cœli intelligit orbes inferiores, et per cœlum intelligit totum aggregatum ex orbibus. Deinde res potest constitui in vacuo divina virtute, et de facto corpus Christi Domini super omnes cœlos exaltatum esse ait div. Thomas 3. p. qu. 57. art. 4. ad 2., atque ita non est in loco extrinsecus ambiente. Nec ad hoc ut res moveri possit localiter, necessarius est talis locus ut qu. 1. ad 2. arg. diximus.

Secunda pars est divi Augustini Epist. 57. ad Dardanum. Spatia ait tolle corporibus et nusquam erunt, et quia nusquam erunt, neque erunt. Probatur. Impossibile est ut sit res ulla quæ non sit propingua vel distans nobis, et quæ non sit præsens et propingua saltem Deo. Sed hæc præsentia est ubi. Ergo. Deinde et efficacius. Nam res omnis creata potest non esse ubi semel est; sed non nisi per corruptionem alicujus per quod formaliter dicebatur esse hic vel ibi, ut supra ostendimus: ergo.

Ex his constat omnia accidentia rei distincta ex natura rei præter ubi et actionem per quam producitur ubi, ac durationem ipsius, esse in loco per ubi seu præsentiam distinctam. Dixi: præter ubi etc. Nam ubi seipso formaliter est hic, sicut 1. Phys. disp. 4. qu. 2. ad 1. arg. diximus. Actio etiam per quam producitur ubi cum non distinguatur ex natura rei ab ipso ubi, non eget alia præsentia, sicut disp. De tempore qu. 2. dicto 2. diximus propter similem rationem actionem productivam durationis non durare per aliam durationem distinctam. Et denique tam de actione productiva, quam de duratione ipsius ubi probatur. Nam si hæc sint in loco per ubi distinctum: ergo cum illud ubi iterum habeat suam durationem et actionem per quam producitur, illa etiam per aliud ubi constituetur in loco et sic in infinitum. De aliis accidentibus probatur. Tum quia quodlibet accidens habet proprium motum localem per quem movetur: ergo et ubi proprium quod per motum acquirit. Tum quia Deus potest conservare rem in eodem loco, ita ut accidens illius desinat esse in eo loco: ergo

habuit ubi distinctum quod corrumpi potest, remanentibus ubi aliarum accidentium. Tum quia puncta v. gr. quantitatis non sunt in loco per ubi quantitatis, non solum quia sunt extra totam quantitatem et deinceps cum illa, sed etiam quia per ubi quantitatis constitui deberent in loco divisibili.

Constat secundo: ubi dividi posse tanquam in species essentialiter diversas in spirituale quale est animæ, angeli etc., et corporeum quale est materiæ. Similiter præsentia in loco sursum et deorsum sunt accidentales differentiæ ipsius ubi, sicut etiam motus sursum et deorsum solum accidentaliter differt ut disp. De motu qu. 5. dicetur. Et ratio est quia eidem rei cum eadem præsentia remanente convenire potest locus sursum et deorsum ratione diversorum corporum. Et similiter cum eadem præsentia res potest manere ita ut nec sit sursum nec deorsum, si cetera omnia corrumpuntur; et tamen si esset prædicamentum essentiale hujus præsentiæ esse sursum, non mutaretur ipsa remanente. Similiter si Deus cœlum deprimeret, corpus quod nunc est in infima aeris regione ac proinde deorsum, esset sursum.

Præter has divisiones ubi, sicut triplex est modus quo res dicitur esse in loco ut optime Fonseca 5. Metaph. cap. 15. qu. 9. sect. 2., ita triplex est præsentia. Una dicitur immensa per quam Deus immense est non tantum præsens creaturis, sed etiam ubi nihil est aliud, ita ut Deus cœli ambitu non contineatur, sed per suam immensitatem etiam extra cœlos ubi nihil aliud est, Deus ipse sit ut late ostendit Molina 1. p. qu. 8. art. 1. disp. 3., Fonseca loco cit. sect. 4., Conimbricenses 8. Phys. cap. 10. qu. 2. quod quomodo intelligendum sit dicto 3. ostendimus. Sicut enim ut ibi diximus esse hic vel ibi non significat coëxistere huic vel illi rei, ita esse Deum per suam immensitatem extra cœlos, non significat eum esse in nihilo tanquam loco, sed significat habere eum immensitatem per quam actualiter constituatur ubicunque possibile est esse aliquid. Et hæc immensitas sicut ad prædicamentum ubi non spectat ita communicari non potest creaturæ ut recte ostendit Suarez 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 4. §. Prima ergo ratio, licet concedamus posse Deum collocare creaturam ubique.

Alia præsentia est circumscriptiva seu commensurativa, per quam res ita constituitur in loco, ut pars rei sit in parte loci, et tota res in toto loco. Et hic modus existendi in loco solis rebus quantis convenit. Denique alia præsentia seu alius modus existendi

in loco est definitivus. Sed quid sit esse in loco definitive, non eodem modo omnes explicant. Aliqui enim ajunt tunc dici rem definitive esse in loco, cum res ita est in spatio definito et determinato ut tota sit in toto et tota in qualibet parte, et ita hi sentiunt etiam corpus Christi esse in Eucharistiæ sacramento definitive. Alii vero censent ad hoc ut res dicatur definitive esse alicubi non sufficere ut tota res sit in toto, et tota in qualibet parte, sed necessarium esse ut res ita definiatur et terminetur loco, ut ex modo essendi in illo habeat quod non possit esse in alio loco connaturaliter. Et ideo anima non dicitur ajunt esse definitive in brachio, sed in toto corpore, quia scilicet potest esse præter brachium etiam in capite etc. Sed hæc dissensio ait Suarez 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 4. §. Ultimo ex dictis, videtur esse de nomine; posterior tamen modus loquendi mihi placet, et ideo nec angelum in loco inadæquato, nec animam in brachio dicerem esse definitive, sed potius in toto corpore, ac proinde ut ibi docet Suarez corpus Christi in Eucharistia non est proprie loquendo definitive, sed sacramentaliter.

Ex quibus patet rem quæ est in loco circumscriptive, habere debere partes, et ita etiam ejus præsentiam componi ex partibus; res vero quæ definitive est in loco potest esse vel indivisibilis, vel certe divisibilis licet ejus partes non proportionentur loco. Ipsa vero præsentia per quam res est in loco divisibili, pluribus partibus constet necesse est ut innuit Suarez 3. p. tom. 3. disp. 47. sect. 2. §. Contra hanc, Molina 1. p. qu. 52. art. 5. Nam anima rationalis informans diversas partes præsens est illis per diversas partes ubi, et ideo abscisso uno digito ait Suarez amittit partem præsentiæ. Et eodem modo corrupta una parte hostiæ, remanet corpus Christi præsens alteri parti per eandem partem præsentiæ quam antea habebat. Similiter ait Suarez angelus qui prius occupabat spatium bipedale potest dimidiam relinquere, vel successive occupare totum gymnasium; sed hoc incrementum successivum non potest esse nisi præsentia composita ex partibus juxta proportionem partium loci: ergo præsentia subjecti indivisibilis ex pluribus partibus constat. Similiter cum homo successive nutritur anima successive acquirit novum ubi. Licet ergo tale ubi animæ et angeli sit spirituale et a materia independens, constat tamen pluribus partibus. Nec magis absurdum est in substantia angeli recipi tale ubi quam recipi motum successivum vel durationem successivam, vel certe habitus inten-

sos constantes pluribus partibus quarum una acquiritur, altera non acquisita etc. — An vero præsentia circumscriptiva et definitiva essentialiter differant, mihi non liquet.

Constat tertio ex dictis quomodo res spiritualis sit in loco. Nam si sit præsens alicui corpori ut cœlo, vel terræ etc. dicitur esse in cœlo etc. per ubi intrinsecum per quod constituitur hic vel ibi. Si autem nullum sit corpus cui sit præsens, tunc non est in ullo loco, sicut nec suprema sphæra, nec res in vacuo existens, quamvis habeat suum ubi intrinsecum, nam ut supra ostendimus, hoc ubi intrinsecum non est locus rei ullius, nisi abuti velimus vocabulis. Verum tamen est Aristotelem 1. Cœli text. 100. docere substantias immateriales non esse in loco, eo scilicet modo quo corpora, ut aliqua superficie ambiantur.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum. Non potest Deus rem conservare sine ullo ubi ut dicto 4. ostendimus. Si autem præscindamus per intellectum omnia ubi a re, tunc intelligitur nusquam existens, et ita licet non intelligatur mota, intelligitur tamen non ubicata. Ad secundum disput. De motu locali explicabimus mentem Aristotelis.

Explicandum erat hoc loco, an supplente Dei virtute unum corpus possit esse in pluribus locis simul; naturaliter enim certum est nonnisi in uno loco rem quamlibet esse posse. Sed quoniam late de hoc agunt Suarez 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 4. et 5., Bellarmin lib. 3. De Euchar. cap. 3., et obiter Fonseca 4. Metaph. cap. 4. qu. 4. sect. 5., Conimbricenses 4. Phys. cap. 5. qu. 5., et certum est apud catholicos id esse possibile, cum Christi corpus de facto sit in cœlo et in Eucharistia: idcirco prætermittimus id examinare, maxime cum ea omnia quæ de hoc dici possent optime explicavit Suarez. Illud tamen noto, fieri non posse ut idem corpus in duobus locis positum, substantialiter corrumpatur in uno, et tamen remaneat in alio ut optime Suarez illo tom. 3. disp. 48. sect. 2. §. Contra hanc, ubi ait quod si in uno loco res conservatur in alio non corrumpi substantialiter, sed solum amittere præsentiam, licet postea disp. 48. sect. 6. §. Tertio probatur, velit in uno loco posse corrumpi rem et non in alio. Idem habent Conimbricenses et ab ipsis relati Scotus, Gabriel etc.

Nihilominus tamen oppositum existimo omnino certum, et probo. Nam si corpus ponatur in duobus locis, et in uno corrumpatur, licet in alio remaneat, quæro: an corpus amittat in uno

loco aliud quam ubi, an nihil. Si nihil, non magis dari potest corrumpi substantia quam si per motum localem amittat ubi quod nunc habet. Si aliud amittit et v. gr. unio vel forma corrumpatur, contra est. Nam non alio modo corrumpitur quam quia Deus cessat ab actione qua conservabat unionem et formam. Corruptio enim non est actio, sed cessatio ab actione qua res indigebat ad hoc ut habeat esse communicatum a causa. Ergo si eodem numero concursu Deus conservet formam in diversis locis, si cessat ab illo concursu corrumpitur res in utroque loco. Si autem diverso concursu conservaret in hoc et in illo loco adhuc ex eo quod cesset ab uno concursu quo rem conservabat in hoc loco, non sequitur rem illam corrumpi, si conservetur ex vi alterius actionis in alio loco, sed tantum sequitur illam rem non amplius conservari tali concursu. Sicut si eodem loco Deus conservaret eandem rem duplici actione, licet ab una cessaret, si tamen altera perseveraret, revera non corrumperetur illa res. Confirmatur. Nam quando aliqua ita se habent ut uno corrupto realiter, aliud non corrumpatur, realiter distinguuntur. Sed secundum adversarios hoc corpus quod est in hoc loco corrumpi potest, non corrupto illo quod est alibi. Ergo.

Existimo similiter, ex eo præcise quod res ponatur in pluribus locis non habituram majorem vim activam quam habeat in uno loco. Unde si in uno loco exerceret actum adæquatum suæ potentiæ, v. gr. elevaret pondus maximum quod posset, in alio nihil posset naturaliter elevare, et quanto plus in uno elevat tanto minus in alio posset elevare; eadem enim penitus est utrobique virtus, nec aucta est vel geminata ex eo quod sit in duobus locis. Unde nec potest habere plures actus vitales in diversis locis naturaliter, quos in eodem loco simul habere non posset, atque ideo non posset in uno loco assentiri uni propositioni, in alio dissentiri, hic amare Deum, ibi odisse, cum enim potentia non sit aucta ex eo quod sit in duplici loco, non poterit habere naturaliter formas quæ in eodem loco sunt incompossibiles. Imo nec de potentia absoluta potest in uno loco habere quis actum charitatis, in alio odii, non solum quia hi actus in eodem subjecto etiam de potentia absoluta simul esse nequeant verum etiam quia si hoc fieret, Deus esset causa principalis existentiæ peccati simul cum amore, cum totus ille effectus a causa naturali esse non possit.

Patet etiam, quod si hic applicetur agens corpori potest in

eo producere effectum hic, et non alibi, quia agens naturale non potest producere suum effectum in duobus locis. Si tamen totus effectus qui ab hac causa produci posset in corpore hic, jam ab alia causa producta sit alibi, et expleta capacitas passiva corporis ad talem effectum, tunc agens hic applicatum nihil in tali corpore produceret, licet forte connaturaliter postulet illud corpus ut accidentia absoluta independentia a loco si producantur in re hic existente, constituantur a Deo etiam alio in loco ubi est idem corpus. Ex vi enim solius agentis naturalis non posset utrobique esse. — Sed de his et similibus fusius Suarez, Fonseca et Theologi in 3. p. ubi est proprius hujus quæstionis locus.

QUAESTIO TERTIA.

De vacuo et modo quo agentia naturalia obsistant ne detur vacuum.

Vacuum Aristoteles definit 4. Phys. text. 57. locum in quo nihil est; unde vacuum dicit superficiem aptam continere et carentem corpore quod contineat. Ex quo constat extra coelum non esse vacuum, nec locum ut recte Aristoteles 1. Cœli text. 99., div. Thomas 3. p. qu. 57. art. 4. ad 2. nec ubi nunc est mundus ante creationem fuisse vacuum, sicut nec erat superficies apta continere sed omnino nihil erat. Jam ergo

Certum est primo ut recte Conimbricenses 4. Phys. cap. 9. qu. 1., Toletus 4. Phys. qu. 10., Soto qu. 3., non dari vacuum in natura. Probatur. Nam experimur naturam vehementer refugere vacuum, et quidvis potius experiri quam admittere vacuum, ita ut res sæpe contra naturalem impetum moveantur ad vacuum propulsandum, nec ulla est ratio quæ cogat admittere vacuum: ergo. Antecedens probatur a Cardano 1. De subtil. folio 6., quia aqua per canalem ascendit attracto prius aëre ex canali, cucurbitulæ simili de causa trahunt sanguinem, aër enim ab igne rarefactus cum condensatur frigefactus vacuum reliqueret nisi caro attraheretur. Similiter vas angusto orificio, aqua plenum si invertatur non effluit; vas fictile foraminibus inferne plenum si aqua repleas, ejusque superius orificium digito occludas (ut in irrigandis hortis fieri solet) suspensa et pendula aqua non effluet, donec superius orificium aperiatur per quod aër ingredi in locum aquæ

effluentis possit. Eadem de causa, si vas aqua calida plenum ita obstruatur ut aër intrare nequeat, atque ad aërem frigidum condensetur aqua, rumpet vas; folles etiam undique occlusi franguntur citius quam elevantur. Et si duo plana immediate se tangerent sine aëre intercepto, quod an fieri possit disp. De motu qu. 6. examinabimus, æqualiter non posset elevari unum quin alterum simul elevaretur, sicut experimur cum orbem ex aqua æqualiter volumus elevare, aquam attrahi quousque ingredi possit aër loco aquæ. Ratio huius est, nam si æqualiter attolleretur orbis ab aqua et simul relinqueret aquam secundum omnes partes, cum non posset simul occupare aër extimas partes et medias orbis, deberet circa medium orbem vacuum manere ut latius illa qu. 6. dicetur. Ratio autem cur natura vacuum sic refugiat et partium universi contiguitatem conservet, est non solum quia cœlestium corporum influxum sine hac contiguitate recipere non possent ut tradit Aristoteles 1. Meteor. cap. 2., sed etiam quia non possent agere et pati res naturales ut ex iis quæ 2. Phys. disp. 3. qu. 4. diximus constat, ac proinde actiones sensuum, mutuæ rerum transmutationes et alterationes etc. cessarent.

Certum præterea est divina virtute dari posse vacuum ut recte Conimbricenses citati qu. 2. ostendunt. An autem virtute alicujus angeli dari possit vacuum, ita scilicet ut angelus aliquis productus vel producibilis a Deo posset superare resistentiam qua aër v. gr. resistit ne a corpore contiguo avellatur, incertum est. Negant Conimbricenses loco cit. qu. 3. Nihilominus cum illa vis qua aër se agglutinat contiguo corpori et illud trahit finita sit, Deus autem qualibet finita virtute majorem producere possit, non video cur producere nequeat Deus aliquod agens, tam efficax ut aërem a terra avellat arceatque ne ejus loco aliquid succedat, sicque detur vacuum. Unde solum restat ut breviter dicamus a quo moveantur interdum gravia sursum et levia deorsum ut vacuum vitetur, de quo Fracastorius lib. De sympathia et antipathia rerum cap. 2.

Quidam volunt fieri a vacuo, sed falluntur. Cum enim vacuum non sit actu in rerum natura, agere nequit. Alii ajunt a cœlis moveri, ita ut cœlum trahat corpus vel deprimat etc. prout necessarium est ad fugam vacui. Sed id non est probabile. Nam vis cœlorum finita est: ergo in majori distantia minus aget. At videmus ad conservandam contiguitatem universi et vitandum vacuum,

eadem vi ac celeritate fieri motum in locis distantibus a cœlo ac in vicinis. Ergo. Deinde explicari non potest quomodo cœlum faciat hos motus nisi imprimat qualitatem per quam nunc sursum gravia, nunc deorsum pellat levia. Quomodo ergo scire potest cœlum an motum sursum vel deorsum producere debeat. Si autem semper habent corpora illas qualitates a cœlo impressas, cur non semper moventur?

Scaliger Exercit. 8. et 11. existimat omnibus corporibus sicut datam vim naturaliter ut se ad proprium locum moveant, ita etiam datam vim movendi diversam ad conservationem contiguitatis universi et boni communis, et ita moveri naturaliter a propria forma corpus contiguum corpori attracto, eo ipso quod attrahatur aliud corpus. Idem docent Conimbricenses 4. Phys. cap. 9. qu. 1. art. 4.

Alii denique putant corpus quod removetur vel attrahitur efficienter trahere secum corpus contiguum quod est post ipsum, ut hoc modo vacuum vitetur et contiguitas universi servetur. Unde cum a seipso movetur aliquid trahit a seipso corpus illi contiguum, cum vero ab alio trahitur, tunc ab illo eodem trahitur etiam corpus quod sequitur immediate sicut traheretur si esset continuum et postquam semel tractio inchoata est quælibet pars tracta trahit sibi vicinum. Ita enim res tota concipienda est, quod quemadmodum in magnete datur vis attractiva ferri, atque ideo qui elevat magnetem elevat etiam particulas ferri adhærentes, ita quodlibet corpus habet vim trahendi post se corpus contiguum quod minus resistit, atque ideo qui movet unum, debet etiam attrahere alterum ad occupandum locum illius, nec possit amoveri corpus aliqua vi suo loco, nisi eadem vis sufficiat ad movendum consequenter corpus contiguum. Hæc autem vis non distinguitur ex natura rei a quolibet corpore, cum ex nullo signo talis distinctio constet. Verum est quod si sola rarefactio corporis quod trahitur sufficiat ad impediendum vacuum, et facilius potest rarefieri res tracta, quam attrahi corpus vicinum, natura contenta est rarefactione, et ideo forte Cardenas 1. De subtil. dixit hunc motum fieri ad vitandam nimiam raritatem, sicut in tormentis fit tantus impetus ad nimiam raritatem flammæ vitandam, ut agentes de tonitru diximus, et contra in cucurbitulis, vel si ollæ calefactæ aqua supponatur experimur attrahi res vicinas ut aër rarefactus ad debitam se densitatem revocet.

Et hæc sententia posterior est verior, tum quia Aristoteles 4. Cœli 39. ait vi ascendere aquam, aëre subtracto. At nulla ex speciebus motus violenti convenire potest tali motui præter tractionem ut ex dicendis constabit. Ergo. Tum quia experimur tracto aëre attrahi quidem aquam consequenter, sentiri tamen resistentiam venientis aquæ eo majorem quo major vis aquæ trahatur; tanta enim gravitas sentitur, quanta sentiretur si aqua affixa esset aëri tracto: ergo signum est eum qui trahit aërem etc. efficienter trahere aquam perinde ac si unita esset aëri: ergo cum eodem modo defatigetur manus elevando corpus quod sequitur aliud corpus ad replendum vacuum, ac si illud affixum esset corpori quod elevatur efficienter ut patet in hydraulo, signum est efficienter attrahi ab homine. Cum ergo duæ fistulæ ita conjunguntur ut angulum faciant et una extremitas in vas demergatur, atque ex altero ore extrahatur aër, tanta debet esse attractio, quanta sufficiat ad trahendas partes vini vicinas aëri in fistula existenti, quæ partes deinde trahunt alias etc. Neque enim homo trahit immediate totum liquorem qui ex vase per talem fistulam effluet, cum maxima vis liquoris esse possit. An vero fieri possit motus localis in vacuo, disp. De motu locali qu. 2. examinabimus.

Disputatio IV.

DE MOTU ET MUTATIONE IN COMMUNI.

Disputat Aristoteles de motu in primis libro 3. Physicorum in quo explicat quid sit motus et in quo subjecto sit, sed interposita eodem libro disputatione de infinito et libro 4. disputatione de tempore et loco, iterum libro 5. ad motus considerationem revertitur, ejusque species, unitatem et diversitatem, denique etiam oppositionem explicat. Sexto autem Physicorum ostendit motum esse continuum et divisibilem, nec ex partibus indivisibilibus componi, ubi etiam Zenonis argumenta qui motum omnem tollebat rejicit. Septimo libro postquam ostendit omne quod movetur ab alio moveri, nec in motibus dari progressum infinitum et denique alterationem non dari ad omnes species qualitatis, confert inter se motus quoad tarditatem et velocitatem. Octavo denique libro

quoniam statuerat omne quod movetur ab alio moveri, ostendit veniendum esse ad unum primum motorem, immobilem, perpetuum, magnitudinis expertem, a quo ab æterno motus profluxerit, si enim ab æterno quievisset inquit text. 7. et postea cœpisset moveri, mutatus esset. Nos tamen ut methodo certa rem expediamus, conjungemus hac disputatione ea quæ sparsim tradit Aristoteles.

QUAESTIO PRIMA.

Quid sit mutatio et motus, quomodo inter se et a termino differant, et in quo praedicamento ponantur.

Mutatio in communi aliud non est quam transitus ex quodam in quoddam ut docet Aristoteles 5. Phys. text. 7., ex quo apparet semper subjectum mutationis aliter se habere debere post mutationem quam se habuerit ante, ac proinde in omni mutatione præter subjectum quod mutatur, dandum esse terminum a quo, et ad quem, et præterea principium unde talis mutatio, quod est causa efficiens ut habet Aristoteles 2. Phys. a text. 29., et 5. Metaph. cap. 2. Ex quo infert optime Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 9. sect. 1. subjectum quod mutatur necessario prius debere existere sub termino a quo, posterius sub termino ad quem, quod et div. Thomas docet locis ab eo citatis et præterea 1. p. qu. 53. art. 3. et qu. 77. art. 6. ad 3. ubi productionem passionum ait fieri sine mutatione, quod tamen non esset si ad mutationem non exigeretur existentia subjecti prior tempore. Idem Scotus 3. dist. 2. qu. 3. ad 3. Aristoteles etiam id habet 8. Phys. text. 4. ubi necesse est ait existere res quæ possunt moveri et prius oportet esse combustibile antequam comburatur. Et probatur. Nam principia transmutationis sunt privatio, forma et subjectum quod transit ab uno termino ad alium. Sed si ante mutationem non extitit non transit ab uno termino ad alium, siquidem ante non habebat privationem, cum non erat. Ex quo patet res quæ creantur non mutari ut recte div. Thomas 1. p. qu. 44. art. 2. ad 2. et idem est de rebus annihilatis. Similiter nec totum compositum quod generatur, nec forma quæ producitur mutantur sed sola materia ut notat Fonseca. His positis

Aristoteles 3. Phys. text. 6. et 16., 11. Metaph. sum. 4. cap. 1. definit motum esse actum entis in potentia, prout in potentia,

quam definitionem varii varie explicant. Nos conformiter, ad ea quæ mox probabimus ita explicamus: dicitur esse *actus* seu *ἐνέργεια* vel *ἐντελέχεια* i. e. forma actuans; *entis in potentia* quibus verbis ostenditur subjectum hujus formæ. Quid autem intelligat per ens in potentia, explicat cum text. 6. ait alterationem esse actum alterabilis ut alterabile, quod etiam textu 23. repetit, et text. 7. ædificabile quatenus tale ait esse subjectum ædificationis, et text. 9. subjectum motus v. gr. æs ait esse quatenus mobile est, non quatenus æs, et text. 10. actum possibilis quatenus possibile est ait esse motum. Unde constat nomine entis in potentia intelligi subjectum receptivum formæ qua privatum est. Id enim est ædificabile et mobile, seu quod idem est, ens aliquod existens potens esse tale quale actu nondum est. Dicitur autem illud ens esse in potentia, non respectu motus quem tanquam actum in se receptum jam possidet, sed respectu alterius formæ saltem ratione distinctæ a motu, et ideo sensus definitionis est: motum esse formam entis quod est in potentia ad aliam formam saltem ratione distinctam ut concl. 4. dicetur.

Verum quia hoc totum adhuc convenit calori ut duo v. gr., qui est in ligno, ideo ut explicetur natura motus addit: *prout in potentia,* per quam particulam ab aliis formis distinguitur. Sciendum enim est duplicem esse actum quo aufertur potentialitas ab ente quod est in potentia, seu potius quo reducitur ad actum talis potentia, ut colligitur ex 3. Phys. text. 15. Unus est perfectus et hic est ipsa forma privationi opposita, ut per calorem reducitur ad actum potentia receptiva caloris; alter imperfectus qui non aufert omnino seipsa formaliter subjecti potentialitatem, et talis actus est ipsa operatio per quam fit in subjecto actus perfectus qui saltem ratione debet esse distinctus ab operatione, quomodo si res calefactibilis quæ habet potentiam ad calorem quo privatur, ipso fieri caloris seu calefactione recedit subjectum a potentialitate qua dicebatur calefactibile et vere fit calidum, sed ut sic nondum intelligitur perfecte calidum, nec perfecte ablata a subjecto illa potentialitas quam habet respectu caloris, licet auferatur imperfecte, quia jam tendit in actum perfectum. Motus ergo non est actus perfectus explens potentialitatem subjecti, sed imperfectus quo mediante subjectum tendit ut amittat potentialitatem per verum actum perfectum, et ideo Aristoteles dixit esse actum entis quod sit in potentia ad ulteriorem actum, prout est in potentia ad illum,

i. e. prout nondum omnino expletam habet potentiam, sed prout tendit ad perfectum actum a quo potentialitas expleatur.

Ex quo facile est intelligere cur calor v. gr. ut duo existens in ligno non dicatur actus entis in potentia, prout in potentia. Cùm enim res est in potentia ad actum perfectum quo caret, immediate non ordinatur ad formam perfectam sed ad fieri ipsius formæ, ut calefactibile magis immediate ordinatur ad calefactionem quam ad calorem ad quem solum mediante calefactione ordinatur. Unde fit ut id quo mediante acquirit subjectum formam qua caret, sit actus illius subjecti ut est in potentia ad formam qua privata est. Illud enim est actus subjecti prout est in potentia etc. quod immediate respondet potentiæ per quam ordinatur subjectum ad habendam formam qua caret, et ita talis actus est actus subjecti prout in potentia ad ulteriorem actum, cum tamen actus perfectus non sit actus subjecti ut illud est in potentia ad ulteriorem actum, est enim mere per accidens respectu formæ perfectæ quod adhuc subjectum ejus sit in potentia ad ulteriorem formam, vel quod non sit. At vero respectu motus quo mediante res existens in potentia tendit ad actum perfectum per quem ultimo actuetur, id non est per accidens. Actus ergo v. gr. calefactibilis ut calefactibile non est calor, sed calefactio, quod ex eo patet quia si esset subjectum quod calorem amittere non posset, non diceretur esse calefactibile, sed calidum, sicut sol dicitur lucidus non illuminabilis, quia cum non possit lucem amittere, nec potest dari actio illuminans, respectu cujus formalissime dicitur res illuminabilis, i. e. petens illuminari, et actionem illuminandi recipere. Unde breviter sensus definitionis clarius hoc modo poni potest:

Motus est via per quam subjectum acquirit formam ad quam est in potentia, et ideo est actus imperfectus subjecti per quem producitur actus perfectus, qualis est calefactio respectu caloris, ac proinde per hanc viam aliter se habet subjectum quam prius. Hanc definitionem etiam Suarez disp. 49. sect. 2. n. 10. adfert et juxta eam ait etiam instantaneas mutationes hac definitione contineri. Et hoc modo explicata definitione Aristotelis omnes objectiones quas Pererius lib. 13. cap. 2., Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 9. sect. 3. adferunt, facile solvuntur. — Sed ut hæc expositio definitionis clarior evadat, explicandum est quomodo motus a termino differat, et an sit vera actio pertinens ad prædicamentum actionis. In quæ re

Prima sententia est Gregorii 2. dist. 1. qu. 4. art. 1. quam aliqui recentiores ut Suarez qu. 7. De motu etc. sequuntur, ubi ait motum non esse aliquid distinctum a rebus permanentibus, sed ait esse ipsum terminum quatenus aliqua ejus pars jam est in subjecto, et alia sequetur. Unde tum ibi, tum etiam dist. 2. qu. 1. art. 1. docet motum non posse esse nisi aliqua pars formæ sit acquisita, alia supersit acquirenda, ac proinde impossibile est ut motus sit totus simul. Et definitionem motus ab Aristotele allatam sic explicat: motus est actus entis quod aliquid recipit et ulterius aliquid potest recipere, et in cujus receptione continua existit, seu quod cum recipiat aliquid termini, adhuc est in potentia ad posteriores partes termini. Eadem est sententia eorum quos citant Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 1. qui volunt motum esse formaliter ipsam formam quæ acquiritur sucessive.

Probat Gregorius ostendendo motum successivum distinctum a rebus permanentibus impossibilem esse, iisdem argumentis quibus disputatione præcedenti qu. 2. ostendebat tempus non esse aliquid reale, quia scilicet componitur ex partibus quarum nulla est realis, ac proinde cum totum sint ipsæ partes unitæ, nec totum erit aliquod ens verum, sed fictum. Nec possunt partes præteritæ et futuræ magis inter se continuari ait, quam chimæra et tragelaphus. Sed hæc argumenta eodem modo solvenda sunt quo de tempore agentes diximus. — Probat præterea primo. Nam si est talis entitas a re permanenti distincta, posset Deus separare illam a termino, et ita fieri posset ut aliquid calefieret vel moveretur localiter non acquirendo locum, vel acquireret novum locum et non moveretur. Confirmatur. Nam illam entitatem motus acquirit subjectum, et non per aliam entitatem distinctam; sic enim esset infinitus processus. Ergo similiter acquirere potest rem permanentem sine alia entitate. Et his argumentis probat nec mutationem instantaneam distingui a re permanente, et Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 3. art. 2. concl. 1. his argumentis conantur probare motum a termino non distingui realiter. Secundo. Si motus est aliquid distinctum a rebus permanentibus, sequitur aliquam rem eodem tempore quo generatur corrumpi. Nam motus successivus corrumpi non potest post tempus in quo fuit, siquidem jam tunc non est. Ergo in ipso tempore quo fuit, corruptus est. Ergo simul corruptus est et productus. Tertio. Ut res mutetur sufficit ut de novo aliquam formam recipiat, nam per formam receptam res nunc aliter se habet

quam prius: ergo ipsa forma, v. gr. calor receptus in subjecto est mutatio.

Dico primo. Licet motus successivus et mutatio instantanea inter se distinguantur, tamen hac definitione motus explicatur ab Aristotele ratio communis utrique, atque ideo omnibus mutationibus positivis convenit definitio ab Aristotele allata, ut illa disp. 46. citata innuit Suarez, non tamen mutationibus privativis. Quod ut probemus sciendum est, illo 5. Phys. text. 7. ab Aristotele tres mutationum species poni. Cum enim mutatio in communi sit transitus ex quodam in quoddam, vel hic transitus fit ex subjecto in subjectum, vel ex non subjecto in subjectum, vel ex subjecto in non subjectum et ex his ait text. 9. eam solam mutationem vocari motum quæ est ex subjecto in subjectum, reliquas nomine generationis stricte sumpto vocari mutationes. Per subjectum autem intelligit Aristoteles subjectum habens formam aliquam positivam; nomine non subjecti intelligit idem subjectum carens forma positiva. Unde text. 7. ait subjectum se vocare quod affirmatione monstratur, i. e. de quo aliqua forma affirmatur. Unde idem est dicere mutationem esse ex subjecto ad subjectum atque dicere esse transitum ex subjecto affecto aliqua forma, ad subjectum affectum alia forma, sicut ex non subjecto ad subjectum transitus est cum ex subjecto privato forma, fit transitus ad formam ut accidit cum aër illuminatur, et contra quando lux corrumpitur fit transitus ex subjecto in non subjectum. Ex quo constat Aristotelem distinguere motum a mutatione, quod tam terminus a quo, quam etiam terminus ad quem sit positivus, quod etiam Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 8. sect. 1. docet; mutationis vero positivæ terminus a quo sit privatio, et mutationis privativæ per quam scilicet subjectum amittit formam quam habebat, terminus ad quem sit privatio. Sed hoc discrimen ut verum fatear non satisfacit. Nam si in materia prima destituta omni accidenti produceretur a Deo successive calor, revera esset motus et non mutatio instantanea. Similiter si in instanti expelleretur frigus ut octo per productionem caloris ut octo ex subjecto, esset mutatio instantanea.

Puto igitur motum proprie dictum a mutatione positiva, seu a motu communiter dicto distingui, quod motus fit successive, mutatio autem in instanti, ita ut tota sit simul. Jam ergo quod hæc definitio motus conveniat omnibus mutationibus positivis, licet negent Sotus 3. Phys. qu. 1., Pererius lib. 3. cap. 5., Fonseca

ubi supra et Gregorius citatus qui solis motibus successivis hanc definitionem applicant, docent tamen div. Thomas hic, Simplicius, Themistius 5. Phys. text. 4., Averroës 4. Phys. text. 23. Probatur. Nam Aristoteles 3. Phys. text. 1. proponit se velle explicare et definire motum cujus principium est natura, ut scilicet perfecte cognoscatur natura, ac proinde nomen motus eo modo hic sumitur quo in definitione naturæ. Sed motus cujus principium est natura, non solum est instantaneus, sed etiam successivus. Ergo hac definitione non solum successivam sed et instantaneam mutationem definit Aristoteles, maxime cum hanc nullo alio loco definiverit. Confirmatur. Nam text. 6. datam definitionem motus exemplis illustrans, instantaneas mutationes ut generationem et corruptionem adfert. Respondet Fonseca citatus sect. 1. et Conimbricenses qu. 1. art. 2. ad 3., nomine generationis non intelligere Aristotelem momentaneam formæ introductionem, sed dispositionem per quam subjectum præparatur ad formam. Contra est. Nam talis dispositio est alteratio. At Aristoteles illo text. 6. generationem ponit ut mutationem distinctam ab alteratione, augmentatione, latione seu motu locali, quæ omnia ibi enumerat. Deinde nulla particula hujus definitionis est qua excludatur mutatio instantanea quæ est via per quam et qua mediante subjectum acquirit terminum, seu accedit ad terminum quo carebat. Illa autem expositio definitionis motus quam Gregorius adferebat mox refutabitur.

Ex quo constat generationem substantialem esse motum, cum sit actus subjecti ut hoc est aptum ex cujus potentia educatur forma, ac proinde productio formæ substantialis est mutatio respectu materiæ, licet non sit mutatio ipsius formæ cum hæc immediate ante non extiterit. Similiter motus localis violentus et artificialis, intellectio etc. hanc definitionem motus participant, quia sunt actus entis in potentia etc., per intellectionem enim intellectus fit ex non cognoscente cognoscens. Nec Aristoteles locis citatis a Pererio lib. 13. cap. 5. dub. 6. contrarium sentit, solum enim vult non esse motum successivum et sensibilem ipsam intellectionem.

Addo tamen mutationes privativas non contineri hac definitione ut recte Fonseca citatus qu. 3. sect. 4. ad 2. ubi addit Aristotelem 3. Phys. text. 6. adferre quidem exempla decretionis, corruptionis etc. non tanquam aliqua quæ hac definitione contineantur, sed ut mutationibus quæ definitione continentur aliquas oppositas dari mutationes doceret.

Objicis: mutatio instantanea non est actus entis in potentia prout in potentia, nam simul est cum actu perfecto, ac proinde cum est ipsa, jam subjectum non est in potentia ad actum perfectum, sed actuatur ab illo: ergo non est actus subjecti ut privati forma perfecta. Respondeo: Sensus definitionis motus non est quod ejus subjectum debeat actualiter esse in potentia ad formam perfectam, ita ut simul cum mutatione debeat in subjecto esse privatio formæ ad quam terminatur. Id enim impossibile est; sicut enim actio non potest esse in subjecto quin simul ejus terminus sit ut 2. Phys. ostendimus, ita nec ulla pars motus potest actuare subjectum quin simul ejus terminus actuet subjectum. Sensus ergo est: motum esse actum subjecti quatenus hoc a potentialitate recedit ad actum, et ita non debet simul esse cum motu privatio termini motus, sed tantum necesse est præcessisse talem privationem. Et ita solum natura prior est motus termino, sicut et actio suo termino, quatenus est ratio per quam formaliter fit terminus.

Dico secundo: Motum non esse formam permanentem v. gr. calorem acquisitum in subjecto. Probatur. Nam si motus est talis forma vel hæc forma dicitur motus quatenus primum denominat subjectum tale quale prius non erat, vel ut vult Gregorius quatenus aliqua ejus pars est in subjecto, et immediate post alia acquiretur. Non primum. Tum quia mutatio est transitus a quodam etc. ut diximus; at forma denominans subjectum v. gr. calidum quale ante non erat, non est transitus, sed potius est id quoddam ad quod est transitus. Similiter talis terminus acquiritur per motum ut calor per alterationem, et tamen alteratio non acquiritur per aliam alterationem, nec calor acquiritur per calorem. Tum quia calor ut octo qui nunc primum productus est, non est motus, siquidem non est actus entis quod sit in potentia ad formam ulteriorem. Tum denique quia actus calefactibilis ut calefactibile est, non est calor sed calefactio; calor enim est actus calidi, sicut supra diximus lucem esse actum lucidi, et non actum illuminabilis. Nec secundum, quia ille actus est motus a quo causa efficiens dicitur movens et subjectum motum, ut v. gr. ignis calefaciens. Clarum enim est non dici calefacientem ab aliqua forma quam in se habeat et Aristoteles 3. Phys. text. 18. eundem ait esse actum a quo movens et motum denominantur. Sed non denominatur movens nisi ab actione transeunte; a calore enim v. gr. non dicitur ignis calefaciens, sed calidus: ergo sicut actio transiens non est pars termini acquisita et

acquirenda, sed aliquid ab illo distinctum ex natura rei, ita etiam motus.

Dico tertio. Omnis motus et mutatio physica tendens ad esse, est formaliter actio seu via ad terminum ut recte Conimbricenses citati art. 2. Unde actioni solum addit motus quod ejus subjectum immediate ante extiterit in potentia ad illam actionem, ex quo sequitur ut per motum aliter se habeat subjectum quam ante. Explico. Nam mutatio privativa, ut quando aer ex lucido fit obscurus etc. non est actio, siquidem corruptio formæ non tam est actio, quam cessatio ab actione per quam forma conservabatur, ut intellecta natura actionis est per se evidens et ostendemus disp. 1. in lib. De gener. qu. 1., et ideo non dixi absolute omnis mutatio, sed addidi tendens ad esse. Quod vero talis motus sit actio formaliter, habet Aristoteles 3. Phys. text. 22. ubi motum ait actionem et passionem continere, i. e. in eo reperiri et esse idem cum illis; deinde ex 3. Phys. text. 6. alteratio, generatio etc. sunt motus. At hæc omnia formalissime loquendo sunt actiones: ergo et motus.

Ratione probatur primo. Movens in quantum movens est vera causa efficiens, ita ut licet aliqua causa efficiens sit quæ non sit movens ut Deus cum creat etc., omnis tamen movens sit efficiens, siquidem principium unde motus est vera causa efficiens ut diximus. Ergo motus est proprius actus causæ efficientis. At proprius actus causæ efficientis est actio. Ergo. Confirmatur. Movere formalissime est operari; operari autem est agere: ergo a conjugatis sicut operatio est actio ita et motus. Similiter calefacere est movere; at calefacere est formalissime agere: ergo et movere. Confirmatur 2. Nam potentia motiva, v. gr. potentia calefactiva ignis est potentia productiva constituens rem in esse potentis ut causet effective: ergo actus hujus potentiæ est actus causæ efficientis: ergo est actio. Denique confirmatur. Nam si solum intelligitur actio per quam producitur in subjecto forma qua ante carebat, eo ipso intelligimus causam efficientem movere et mutare subjectum transferendo illud a potentia ad actum: ergo hoc solum intellecto, intelligitur ratio essentialis mutationis: ergo præter talem actionem non debet quæri aliquid aliud quod sit motus.

Secundo. Motus est transitus rei ab uno termino ad alium ad quem est in potentia, seu est via per quam acquiritur terminus motus, et per quam traducitur subjectum ex uno ad aliud. Sed actio est per quam formaliter transit terminus a non esse ad esse,

et mediante actione tanquam formali ratione pervenit mobile ad terminum quo carebat et formalissime loquendo per id subjectum transit ad unum terminum quo carebat, per quod talis terminus transit a non esse in subjecto, ad esse in subjecto; hoc autem fieri per actionem per quam educitur e potentia subjecti clarum est: ergo per eandem actionem movetur: ergo motus formaliter est actio.

Addidi in conclusione motum supra actionem solum addere quod sit in subjecto quod immediate ante extitit in potentia ad illam; sicut enim similitas supra curvitatem addit quod sit in tali subjecto, scilicet naso, ita mutatio supra actionem addit quod per illam subjectum aliter se habeat quam prius, seu quod per illam a privatione ad formam transeat subjectum. Unde constat actionem de cujus ratione solum est ut per illam producatur aliquid, latius patere quam motum. Actio enim non petit quod ejus subjectum aliter se habuerit ante quam modo cum potius actio conservativa talis sit ut per eam subjectum eodem modo se habeat nunc ac prius, et per actionem similiter creativam non mutetur quidquam, atque ita sicut curvitati accidentale est ut sit in naso atque adeo ut sit similitas, ita actioni accidentale est ut sit in tali subjecto quod mutetur per illam.

Dico quarto. Motus sæpe distinguitur a termino qui fit per illum ex natura rei, interdum tamen non distinguitur nisi ratione. Et quidem quod motus ex natura rei distinguatur a mobili seu subjecto, clarum est. Nam ut dixi subjectum mutationis prius tempore esse debet quam ipse motus: ergo possunt separatim existere: Et similiter remanet subjectum corrupto motu: ergo. Quod vero ex natura rei distinguatur sæpe a termino est Suaresii disp. 49. sect. 2. n. 5. et quos ibi citat div. Thomæ, Alexandri etc. et Toleti 3. Phys. qu. 2. qui ait esse communem sententiam naturalium. Probatur. Tum quia motus essentialiter est actio: ergo sicuti quædam actio ex natura rei differt a termino, ita et motus. Tum quia absque ulla operatione intellectus cessat et corrumpitur motus, manente ejus termino. Et licet Gregorius loco citato art. 2. ad 3. respondere conetur ad hoc argumentum, eodem tamen modo refutari debet quo similis responsio de actione refutata est. Conimbricenses vero quod 3. Phys. cap. 2. qu. 2. art. 3. ad 3. ajunt ea quæ non sunt idem re posse separatim existere, ex disp. 2. De univers. qu. 2. dub. 4. refelluntur. Porro quod Aristoteles 3. Phys. text. 4. dicit,

motum non esse præter res, sensus est ut recte ibi Conimbricenses, motum non dari sine termino. Quod denique interdum non distinguatur nisi ratione a termino, eodem modo probandum est quo de actione. Ex quibus constat idem esse subjectum motus et actionis, ac proinde motum esse in mobili ut frequentissime docet Aristoteles, et ostendimus 2. Phys. cum ageremus de actione.

Dico quinto. Ex dictis facile intelligitur motum secundum integram rationem formalem quam habet ad nullum prædicamentum pertinere, et hæc fuit causa cur Aristoteles inter postprædicamenta numerarit motum in Logica. Probat hoc Fonseca 5. Metaph. cap. 13. qu. 8. sect. 3. quia est actus imperfectus atque ideo incompletus. Sed revera eodem modo actio est actus imperfectus et tamen ponitur in prædicamento. Ratio ergo est. Nam motus supra actionem addit quod existat in subjecto quod præcessit cum privatione, in qua ratione super essentiam actionis includitur subjectum ante existens cum privatione. Sed hoc totum non est ponibile in ullo prædicamento. Ergo motus secundum suam rationem formalem integram quam supra actionem includit in nullo prædicamento ponitur. Licet enim secundum quod est actio directe spectet ad prædicamentum actionis, quo etiam modo similitas ad nullum prædicamentum spectat cum sit ens per accidens, licet curvitas ad prædicamentum spectare possit. Revocatur tamen motus ad prædicamentum actionis. Quod vero non sit species quantitatis quæstione sequenti ostendemus.

Ad argumenta Gregorii. Ad primum. Nego consequentiam. Sicut enim diximus 2. Phys. actionem non posse esse sine termino, nec posse produci terminum nisi per actionem, ita dicendum est, non posse motum esse sine termino, nec ejus terminum produci sine motu. Ad confirmationem. Sicut actio non producitur alia actione, eo quod sit ratio formalis producendi aliud, ut 2. Phys. diximus, ita nec motus per alium motum producitur, cum essentialiter sit actio. — Ad secundum. Falsum est quod simul fieret et corrumperetur, ut ex disp. præced. patet, ubi ostendimus tempus et alias res successivas corrumpi in instanti extrinseco, licet verum sit ens successivum immediate postquam extitit corrumpi. Ad tertium. Per receptionem formæ subjectum aliter se habet quam prius, eo quod nunc sit calidum, ex quo tamen non sequitur formam esse transitum per quem movetur subjectum, sed tantum esse terminum ad quem fit motus. Nam motus non est quilibet actus per quem

aliter denominatur subjectum quam prius, sed est ille actus per quem tendit ad habendam hanc denominationem. Unde non a forma accepta habet subjectum ut transeat ea mediante ab esse in potentia ad esse actu, sed id habet ab actione qua mediante fit in subjecto ante privato forma.

QUAESTIO SECUNDA.

An successio per quam motus a mutatione proprie dicta distinguitur, sit de essentia motus; ubi et de mutatis esse.

Motum presse sumptum, a mutatione proprie sumpta distingui eo quod motus sit acquisitio termini successiva, i. e. talis acquisitio ut per eam prius una pars termini, postea alia acquiratur; mutatio vero sit instantanea, ita ut per eam totus terminus simul acquiratur, conveniunt auctores, ut div. Thomas 3. Phys. lect. 2., Themistius text. 6., Toletus lib. 3. et 5. qu. 1., Pererius lib. 13. cap. 5., Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 2. art. 1., Fonseca et alii supra citati, et docet Aristoteles 3. Phys. text. 1., 4. Phys. text. 99., 5. Metaph. text. 18. ubi motum ait esse continuum, deinde iisdem locis ait proportionari tempori, divisibilem esse juxta divisionem temporis et mensurari tempore etc., quæ omnia falsa sunt si motus proprie dictus posset in instanti et totus simul fieri. Ergo fatendum est motum ut distinguitur a mutatione esse successivum.

Suppono ergo primo tanquam certum dari motum successivum a parte rei qui sit verum ens reale, nam nullo intellectu cogitante lapis per suam gravitatem successive descendit, res calefit etc. successive: ergo nullo intellectu cogitante datur acquisitio successiva loci, caloris etc., hæc autem acquisitio est motus ut ostendimus. Confirmatur. Nam hujusmodi acquisitio successiva est actus potentiæ et causæ efficientis realiter: ergo est realis. Causa enim efficiens realis habet realem actum. Denique per motum successivum formaliter producitur terminus realis. At per id quod non est reale, produci non potest formaliter aliquid reale. Ergo. Argumenta autem quæ contra hoc adferri possunt disp. De tempore solvimus.

Suppono secundo. Dupliciter posse nos fingere acquisitionem alicujus termini fieri successive. Vel ita ut per continuam trans-

mutationem acquiritur una pars termini post aliam, ut si absque interruptione duret aliqua acquisitio per horam; vel ita ut ista acquisitio fiat discontinuate eo quod mutationes instantaneæ sibi succedant, sic ut inter quamlibet mutationem intercedat tempus, ut si per calefactionem instantaneam producitur calor ut unum, et cesset actio aliquantum, postmodum iterum per similem actionem instantaneam producitur calor ut duo etc. Et quamvis multi putent alterationem et augmentationem hoc posteriori modo fieri successive, quos lib. De gener. refellemus, et rejiciunt bene Conimbricenses qu. 2. art. 1. tamen motum localem non fieri illo modo per mutatiunculas instantaneas, evidens est. Ratio est, nam non potest aliqua pars divisibilis medii transiri in instanti, quantumvis minima, nisi transferatur res ab extremo ad extremum sine medio. Cum enim non possit simul esse mobile in pluribus locis naturaliter, prius necessario debet esse in medio quam in extremo spatii.

Ex quo etiam sequitur hujusmodi motum necessario constare partibus divisibilibus; spatium enim per quod fit motus divisibile est, et pars ejus divisibilis transiri non potest parte indivisibili motus, cum ut dixi mobile prius transeat partem viciniorem quam remotiorem spatii, nec possit simul in utraque esse. Si autem concedamus talem motum successivum constantem partibus divisibilibus, necessario concedi debet illas partes inter se continuas esse; partes enim sine unione aliqua unum efficere nequeunt: ergo vel nullus est motus continuus, vel si est communi aliquo termino partes hujusmodi motus copulari debent.

Duplex autem continuitas in motu reperiri potest ut recte Pererius lib. 14. cap. 7., sicut etiam sunt duplices partes illius ut ex disp. 1. in lib. De gener. qu. 3. dicto 3. constabit. Primo enim continuatur motus secundum diversas partes quas habet simul in diversis partibus subjecti, ut cum totus homo movetur, pars motus est in capite, alia in collo etc. Sicut enim totus homo ex capite, collo etc. componitur, ita motus totius hominis ex motu omnium partium conflatur, et de hac continuitate loquitur Aristoteles 6. Phys. text. 33. et 39. cum ait motum divisibilem esse ad divisionem subjecti. Secundo continuatur motus secundum partes sibi succedentes in eadem parte subjecti, sicut continuantur partes temporis sibi succedentes. Prima illa continuitas per accidens convenit motui successivo, quatenus hic est in subjecto divisibili. Si enim res indivisibilis moveatur ut angelus motu locali, licet ejus motus

sit continuus secundum partes successivas, non est tamen continuus secundum partes extensionis quas non habet. Idem est in alteratione successiva per quam habitus animæ etc. intenduntur. Verum est difficile esse explicatu per quid formaliter continuentur partes extensionis motus. Ego salvo meliori judicio puto quod sicut in substantia ostendimus disp. De quantit. qu. 4. dicto 3. dari indivisibilia continuativa partium substantiæ, ita in quolibet accidenti extenso dari sua indivisibilia existentia in indivisibilibus quantitatis vel substantiæ per quæ formaliter uniantur ejus partes, quod iisdem argumentis probari potest, quibus de substantia ostendimus.

Difficilius est explicatu quomodo partes successivæ motus continuentur. Et quidem si eadem actio per quam primum successive productus est terminus remanet et per eam conservatur terminus, facile dici potest ejus partes permanentes continuari per productionem unionum quibus partes intensionis qualitatis inter se uniuntur, quam in tempore produci disp. præced. qu. ult. dicto 3. ostendimus. In motibus autem quorum una pars corrumpitur cum alia producitur, certum est, non posse continuari hujusmodi motus partes aliqua unione utramque partem modificante ut diximus etiam de tempore, ac proinde solum dicuntur hæ partes continuari, quia inter unam et aliam nulla mora temporis intercedat, sed idem numero mutatum esse est finis unius partis determinatæ et initium alterius. Partes autem indeterminatæ motus eodem modo uniuntur, quo partes indeterminatæ temporis. Unde sicut partes temporis instantibus, ita partes motus mutatis esse continuantur. Atque ita motus determinatus continuus erit quæ habet tales partes ut finis unius sit initium alterius. Contiguus vero motus est qui etsi sit deinceps cum alio motu, tamen finis unius non est initium alterius ex natura sua, quod fit vel cum mobilia sunt numero diversa et discontinua, vel cum motus sunt diversi etc.; tunc enim finis unius ex natura sua non est initium alterius, atque ita non possunt continuari motus specie distincti. Ex quo recte inferunt Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 2. art. 3. in fine, diversam esse continuationem partium motus sibi succedentium a partibus temporis, sicut diversa est continuitas partium substantiæ a partibus quantitatis per quas extenditur substantia.

Ut autem explicemus quid sit mutatum esse suppono tertio: Negari non posse, saltem in motu locali dari aliquid indivisibile

secundum successionem in motu, per quod producitur aliquid termini motus localis indivisibile secundum successionem. Dixi: *secundum successionem*, nam potest esse divisibile in ordine ad subjectum licet non constet partibus succedentibus sibi, sed sit totum simul et mensuretur duratione indivisibili, ut cum homo movetur, omnia ejus membra habent in instantibus aliquid ipsius motus indivisibile secundum successionem, quod sic probo. Licet verum sit, in motu locali nullum novum spatium acquiri a mobili in instanti ut disputatione De tempore qu. 4. dicto 6. ostendimus, tamen in instanti producitur aliquod ubi in subjecto, diversum ab eo quod habuit toto tempore præcedenti, per quod constituatur in loco sibi adæquato, cum immediate ante fuerit in loco majori se ut disputatione sequenti fusius dicetur. Ergo in quolibet instanti producitur aliquid in motu locali, et non per motum localem qui non fit in instanti: ergo per mutationem instantaneam. In aliis vero motibus, an similiter in eadem parte subjecti producatur aliquid in instantibus, mihi non liquet.[1]

Ex una enim parte videtur quod agens necessarium sicut in tempore producit aliquid, ita etiam in instanti producere debeat aliquid, ne concedamus agens debite approximatum passo vel in instanti esse otiosum. Ex alia vero parte non video quid, vel qua de causa debeat aliquid produci in instanti. Nam licet verum sit partes intensionis qualitatis in eodem subjecto debere uniri aliqua unione permanente, illam tamen in tempore produci disp. præc. qu. ultima dicto 3. ostendimus. Alia autem indivisibilia secundum successionem admittere præter unionem in qualitatibus otiosum videtur, nisi dicas illis indivisibilibus reddi partes intensionis determinatas. Jam ergo mutata esse videri possent alicui esse istæ indivisibiles mutationes in motu. Sed revera etiam sine hujusmodi mutationibus indivisibilibus secundum successionem, intelligi potest mutatum esse, ac proinde etiamsi nihil producatur in instantibus temporis, quo fit motus. Unde Conimbricenses 6. Phys. cap. 6. qu. 1. art. 2. mutatum esse docent aliud non esse quam existentiam subjecti sub forma ad quam immediate ante movebatur, seu quod idem est actuatum esse subjectum forma quam immediate ante acquirebat. Unde ad mutatum esse necessarium esse dicunt

[1] Dixi *in eadem parte,* nam in successiva extensione qualitatis puto saltem in ultimo instanti produci aliquid indivisibile terminativum partium extensarum qualitatis, existens in indivisibili termino quantitatis.

præcessisse motum immediate ante, atque hac de causa non dari in motu primum mutatum esse, ut docet Aristoteles 6. Phys. a text. 46.

Et quidem verissimum est quod ait Aristoteles in motu non dari primum mutatum esse, sed ante quodlibet motum præcedere, quia ut disp. De tempore qu. ultima dicto 5. ostendimus, nullus motus ut connaturaliter fit, habet primum indivisibile terminativum a quo incipiat, tamen in universum loquendo non puto necessarium esse ut ante quodlibet mutatum esse præcesserit motus. Per mutationes enim instantaneas revera mutatur subjectum, et in talibus mutationibus simul est mutari et mutatum esse, ut disp. De tempore diximus. Addit Aristoteles illo text. 46., in fine motus dari ultimum mutatum esse, quia scilicet ut supra ostendimus motus desinit in instanti per primum non esse, atque ita in illo primum instanti consistit subjectum in termino motus. Addunt tamen Conimbricenses quod si subjectum corrumpatur in illo instanti, tunc non dabitur ultimum mutatum esse.

His positis in præsenti quærimus, an habere talem continuationem partium succedentium, seu talem extensionem successivam partium, ut scilicet una continue succedat alteri, sit de essentia motus, atque ita mutatio presse sumpta essentialiter distinguatur a motu, eo quod hic sit essentialiter successivus. In simili quæri posset, an substantia v. gr. divisibilis essentialiter habeat quod sit divisibilis, ita ut per hoc quod sit extensa et divisibilis essentialiter distinguatur a re spirituali, an vero hoc solum sit accidentale ipsi.

Prima sententia est dicentium, motum essentialiter esse successivum, et ita etiam continuationem secundum partes sibi succedentes, quod omnino idem est, ei esse essentialem; atque ita essentialiter distingui motum a mutatione. Ita Toletus 3. Phys. qu. 1., Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 2. art. 2. Probatur. Tum ex Aristotele qui 3. Phys. text. 1. motum ait esse de genere continuorum: ergo habere partes successivas et continuas est ratio generica, atque adeo essentialis motus. Secundo. Si successio est accidens motus, sicut v. gr. quantitas substantiæ: ergo poterit eadem numero mutatio intelligi sine successione et cum illa. Sed impossibile est ut motus localis qui semel est successivus non semper sit successivus, nisi dicas motum localem posse totum simul fieri et permanere in suo esse. Confirmatur. Nam definitio

motus ab Aristotele data soli successivo convenit; deinde motus mensuratur tempore successivo: ergo est successivus.

Dico breviter. Successionem non esse de essentia motus, ac proinde differentia successivi non contrahit essentialiter mutationem ad motum successivum; ita Gregorius 2. dist. 2. qu. 1., Zimara in Contradictione 9. et 10. libri 5. Phys. etc. Suppono autem idem omnino esse quærere, an motus sit essentialiter successivus et an sit essentialiter continuus secundum partes succedentes. Evidens enim est non alia ratione constitui ens successivum quam quod ejus partes succedentes continuantur, quæ si non continuarentur non esset unum ens successivum. Jam probatur conclusio primo. Motus essentialiter est actio ut supra ostendimus: ergo non potest esse differentia essentialis motus quod non est differentia essentialis actionis. Sed successio non potest esse differentia essentialis actionis: ergo. Minor probatur. Nam differentia essentialis unius prædicamenti non potest esse differentia essentialis alterius; diversitas enim generum non subalternatim positorum diversæ sunt differentiæ ut ex Aristotele ostendimus disp. De differentia in fine. Sed successio est differentia essentialis quantitatis, constituens tempus quod habet partes extra partes secundum prius et posterius. Ergo non potest esse differentia motus. Confirmatur. Successio essentialiter includit rationem quantitatis, scilicet habere partes extra partes; impossibile enim est ut sit successio ubi non sunt plures partes quarum una sequitur post aliam. Ergo sicut impossibile est ut ex actione et quantitate fiat una essentia, ita impossibile est ut ex motu qui essentialiter est actio et successione fiat una essentia. Et iisdem argumentis ostenditur nec actionem, nec ullam qualitatem posse esse successivam essentialiter, sed tantum accidentaliter per quantitatem.

Secundo. Successio potest adesse et abesse ab aliqua actione ejusdem omnino speciei. Nam calefactio qua producitur nunc hic numero calor ab igne successive, postquam corrupta est, potest a Deo iterum reparari, ita ut in instanti producatur totus calor qui ante erat productus. Tunc autem actio illa calefactiva cum terminetur ad calorem ejusdem speciei, erit omnino ejusdem speciei cum calefactione successiva jam corrupta, imo etiam erit eadem numero actio, siquidem non est ulla ratio cur eadem numero non possit reparari: ergo. Ratio a priori conclusionis est. Nam actio per durationem successivam seu per tempus formaliter habet ut

una ejus pars post aliam sequatur, ac proinde ne omnes simul incipiant esse, sicut substantia per quantitatem habet ut una ejus pars sit extra aliam. Unde sicut si a substantia quantitas tollatur omnes ejus partes possunt esse in indivisibili etc., ita si ab actione tollatur duratio, potest tota actio qua v. gr. producitur calor ut octo in instanti simul esse, sicut lumen totum simul producitur. Unde formalissime tempus est extensio motus secundum prius et posterius. Ex quo confirmatur aperte conclusio. Nam tempus intrinsecum cujuslibet motus tribuit aliquem formalem effectum ipsi motui. Sed aliud non potest tribuere, quam ut partium motus una sit extra aliam successive secundum prius et posterius. Sicut enim permanens quantitas seipsa formaliter tribuit substantiæ ut una ejus pars sit extra aliam permanentem, ita successiva quantitas formaliter faciet ut una pars sit post aliam. Ergo per tempus formaliter habent extensionem successivam partes motus, atque ideo frustra poneretur extensio successiva motus distincta a tempore.

Ex quo constat falli Conimbricenses 3. Phys. cap. 2. qu. 2. art. 3. qui præter successionem motus ajunt dari continuitatem in motu quæ formaliter extendat continue motum successivum et hanc extensionem ab extensione temporis diversam esse putant, et ens quoddam completum. Fonseca vero 5. Metaph. cap. 13. qu. 8. sect. 3. ait hanc extensionem continuam motus esse speciem quantitatis distinctam a tempore, ab Aristotele tamen inter species quantitatis non numerari. Et hanc continuitatem seu extensionem continuam ajunt non esse de essentia motus. Et quod hæc extensio continua motus sit distincta ab extensione temporis probat Fonseca, quia potest esse continuitas motus magna, temporis parva cum scilicet motus est velox, vel contra cum motus est tardus. Sed ut in Logica qu. 3. De quantit. diximus hoc solum ostendit plures partes motus posse extendi parvo vel magno tempore, sicut in eadem materia major vel minor extensio reperiatur prout rarior est vel densior. Et præterea ostendit hoc argumentum alias esse partes et uniones partium motus et temporis, sicut etiam partes et uniones materiæ a partibus et unionibus quantitatis sunt diversæ, non ideo tamen substantia habet extensionem aliam quam a quantitate ut supra ostendimus. Ita in præsenti.

Constat etiam ex dictis, motum successivum esse aggregatum per accidens, sicut substantiam quantam quia dicit actionem exten-

sam per tempus, ac proinde in nullo prædicamento poni. Et hac de causa dixit Aristoteles 5. Metaph. text. 18. motum esse quantum per accidens, ac proinde ut in Logica diximus non esse speciem quantitatis. Ex quo etiam constat divisionem motus in successivam et instantaneam esse subjecti in accidentia, sicut si dicerentur hominum alii albi, alii nigri etc.

Ad primum primæ sententiæ. Cum Aristoteles ait motum esse de genere continuorum eo modo intelligitur quo dicitur cygnum esse de genere candidorum ut in Logica explicavimus cum Fonseca. — Ad secundum. Concedo totum motum, seu quod idem est productionem totius termini posse esse in instanti, si non habeat durationem successivam seu tempus, quod etiam in motu locali puto divina virtute fieri posse, ut scilicet in instanti producantur omnes partes ubi quæ producerentur per motum localem in mobili, ac proinde ut mobile sit in toto medio simul, per quod successive transivisset, licet verum sit hoc fieri non posse, nisi simul penetrarentur partes corporis inter se. Ex quo evidenter sequitur nec esse differentiam essentialem motus localis, nam ut ostendimus disp. 4. in Post. qu. 1. dicto 4. quoties invenitur aliquod prædicatum quod non constituat speciem diversam ab aliis quæ sub eodem genere non participant illam differentiam, talis differentia accidentalis est respectu talis generis. Ad confirmationem. Definitio motus ut supra a nobis explicata est, communis est etiam mutationi instantaneæ. Tempus autem extrinsecum mensurat quidem motum extensum per durationem intrinsecam, tamen duratio intrinseca motus non mensurat proprie loquendo motum ut disp. præced. ostendimus.

QUAESTIO TERTIA.

De terminis motus; ubi ad quae praedicamenta detur motus successivus.

Cum motus sit transitus alicujus ex quodam in quoddam ex 5. Phys. text. 49., certum est debere in eo reperiri et terminum a quo transit subjectum, et terminum ad quem transit. Hi autem termini ut recte Aristoteles 5. Phys. text. 49. in motu debent esse contrarii. Et ratio est, nam adveniente termino ad quem, debet expelli terminus a quo: ergo hi termini sunt incompossibiles, ac proinde

oppositi aliquomodo, et hoc patet ex disp. 1. in lib. 1. qu. 4. ubi principia ostendimus esse contraria. Verum controversia est, an inter terminos motus proprie dicti ut scilicet hic distinguitur a mutatione debeat esse oppositio solum privativa, an vero contraria. Aristoteles enim 5. Phys. text. 55. ait mutationem esse inter contradictoria, motum autem inter contraria, ubi sicut etiam qu. 1. concl. 1. diximus evidenter velle terminos motus proprie dicti debere esse contrarie oppositos et non solum privative. Existimo tamen in omni motu et mutatione ut mutatio est, terminum a quo proprium, principalem et essentialem esse privationem, ac proinde sufficere ad verum motum si termini opponantur privative, licet terminus secundarius et materialis a quo possit opponi positive termino ad quem.

Primum patet. Nam in primis ex 1. Phys. disp. 1. qu. 3. constat, ad omnem mutationem in genere necessariam esse privationem quæ abjiciatur tanquam terminus a quo. Et ratio est, nam illud est terminus formalis a quo mutationis, quod formaliter abjicitur per acquisitionem termini ad quem; at privatio est quæ in omni acquisitione termini abjicitur, nec necessarium est ut semper aliquid positivum abjiciatur ut ibi ostendimus in illuminatione, visione etc. Deinde quod sola privatio sit terminus essentialis a quo, probatur. Quia cum motus essentialiter sit transitus ex quodam in quoddam essentialiter requirit ut per eum unus terminus a quo abjiciatur alter acquiratur: ergo id omne quod simul manere potest cum termino ad quem, non est terminus a quo. Si enim simul maneret terminus a quo et ad quem revera non esset factus transitus ex quodam in quoddam, ac proinde nec mutatio. Sed divina virtute fieri potest ut res ita acquirat calorem ut frigus non amittat, et tamen ut illa qu. 3. primi Phys. dicto 1. in fine diximus cum Conimbricensibus et Fonseca constare tunc vera ratio motus. Similiter ut supra qu. 1. diximus posset calor a Deo successive produci in materia prima nuda. Denique sol per motum approximatus cuilibet parti aëris successive producit lucem, atque ideo per alterationem successivam, et tamen nullum terminum positivum expellit: ergo. Et revera si principium motus sit terminus positivus a quo, non tria sed quatuor principia erunt mutationis. Addidi tamen: mutationis ut mutatio est, nam ut conversio, ex ratione sua habere debet terminum positivum a quo, ut patet in Transsubstantiatione quæ conversio est, et non mutatio; si vero detur

mutatio quæ simul sit conversio ut est nutritio, tunc in illa distinguendæ sunt duæ rationes formales per intellectum, et dicendum quod ut mutatio est, habeat terminum a quo privationem, ut conversio formam cibi.

Secundum vero, quod scilicet terminus a quo secundarius posset esse oppositus positive, patet cum ex calido fit frigidum etc. Verum tamen est hanc oppositionem positivam non debere proprie esse contrariam, sed sufficit si sint incompossibiles illi termini, quomodo unum ubi alteri repugnat licet sint ejusdem speciei, colores intermedii extremis ut 5. Phys. text. 52. habet Aristoteles, minor extensio majori etc.

Circa terminum ad quem, seu terminum qui producitur per motum successivum major est difficultas. Aristoteles enim 5. Phys. a text. 8. de hac re disputans ad tria tantum prædicamenta ait dari motum scilicet ad quantitatem, qualitatem et ubi. Et quod ad substantiam non detur motus, probat primo. Si ad substantiam est motus: ergo generatio erit motus, ac proinde quod generatur movetur. Sed hoc est falsum; nam quod movetur debuit existere, siquidem per motum mutatur, quod autem generatur ante non fuit: ergo. Secundo probat text. 10. Motus est a contrario in contrarium; sed substantiæ nihil est contrarium: ergo. Quæ tamen rationes Aristotelis infirmæ videntur. Ad primum enim dici posset, illam consequentiam non valere; generatio est motus: ergo quod generatur movetur. Nam simili modo contra Aristotelem argumentor: generatio est mutatio; ergo quod generatur mutatur, quod tamen falsum est. Et ratio est, nam per motum vel mutationem non debet terminus motus moveri, sed ejus subjectum, ac proinde sufficit si materia moveatur vel mutetur per generationem seu actionem productivam formæ quam recipit, et non est necesse ut compositum quod generatur mutetur per generationem. Ad secundum jam constat ex dictis non requiri veram contrarietatem ad terminos motus, sed sufficit si sint incompossibiles quomodo major quantitas minori, album viridi etc. repugnant.

Alii volunt ad quantitatem non dari motum successivum, sed sicut nutritionem, ita etiam augmentationem fieri ajunt per instantia inter quæ tempus intercedat. Pro solutione quæstionis

Suppono, hic nos solum agere cum Aristotele de terminis qui per se primo terminare possunt motum, i. e. qui ex se et non ab aliquo alio termino alterius motus habent partium inter se velut

distantiam ratione cujus postulant successive produci. Unde forma, quæ non ex se sed ratione alterius id postulat, non dicitur terminus per se, sed terminus per accidens motus, vel certe terminus per se secundarius, quia scilicet terminus ille ex se non petit produci successive, licet successive producatur eo quod ratione alterius formæ habet velut quandam partium distantiam. Ex quibus constat, ad hoc ut ad aliquem terminum detur motus per se hæc necessaria esse. Primo ut possit esse terminus per se, alicujus actionis per quam educatur e potentiâ subjecti, quod subjectum immediate ante præextiterit. Ratio est. Nam omnis motus est actio: ergo terminus motus debet esse terminus actionis. Et cum mutatio exigat subjectum quod tempore prius fuerit, ejus etiam terminus id exigit. Unde div. Thomas 1. p. qu. 77. art. 6. ad passiones rei proprias quæ simul tempore producuntur cum re ait ob hanc causam non esse motum, licet per veram et propriam actionem producantur ab aliqua causa efficienti, quod immerito negant Cajetanus 1. p. qu. 77. art. 6. et qu. 54. art. 3., Soto 5. Phys. qu. 2. art. 1., Vallesius Controv. 29. ut 2. Phys. disp. 3. qu. 7. initio ostendimus, cum omnino impossibile sit aliquem effectum incipere esse, nisi ex vi causæ efficientis per actionem communicantis esse rei.

Secundo necessarium est ut terminus motus habeat plures partes quarum una post aliam producitur. Sicut enim in motu sunt partes priores et posteriores ita et in terminis. Et præterea hæ partes termini aliquam inter se habere debent velut incompossibilitatem vel distantiam ratione cujus simul acquiri non possunt, ita ut ab hac distantia oriatur ratio successionis, quomodo primus gradus caloris habet distantiam ab octavo etc. Revera enim nisi talis distantia reperiatur totus terminus motus produci potest simul.

Dico primo. Mutationem per se dari ad omnem formam cujusvis prædicamenti quæ acquiri potest propria actione et distinguitur ex natura rei a subjecto ut ex dictis patet. Unde ad relationes et similes formalitates per intellectum tantum distinctas a subjecto non datur mutatio per se.

Dico secundo. Nec actio et passio, nec relatio, situs et habitus, nec denique ipsa substantia sunt per se termini alicujus motus. Et omissa probatione Fonsecæ quam adfert 5. Metaph. cap. 13. qu. 9. sect. 4. ad 4. quæ mihi non placet, probatur de actione. Nam terminus motus debet esse terminus actionis; sed actionis

non potest esse alia actio per quam producitur, quia sic daretur infinitus processus ut 2. Phys. ostendimus: ergo. Ad passionem non dari qu. 1. dicto 3. ostendimus, quia cum actio et passio sint idem, si detur ad passionem dabitur et ad actionem. Ad relationem non dari motum probatur, tum quia relatio non producitur per aliquam actionem distinctam a fundamento; revera enim si produceretur, ipsa relatio posset habere relationem effectus ad causam. Tum quia relatio incipit esse in subjecto sine mutatione ipsius ex eo solum quod aliud extremum mutetur, tunc enim incipit fundatum esse conceptibile in ordine ad terminum, cum ante conceptibilis non esset ut in qu. 4. De relat. explicavimus. De situ et habitu constat. Nam ut in Logica ostendimus hæc revera non sunt prædicamenta distincta ab aliis, cum nullam rationem formalem includant quæ non sit posita in alio prædicamento et præsertim in ubi, nam eo ipso quod vestis et homo sint in tali loco, remanet homo vestitus etc. Idem de situ.

De substantia probatur. Licet enim verum sit ad substantiam dari mutationem instantaneam, siquidem ad hoc ut aliquid terminet mutationem sufficit ut sit terminus actionis in subjecto præcedenti, formæ autem substantiali id revera convenit. Similiter licet verum sit ut alibi ostendemus in nutritione successive produci formam substantialem, et similiter cum lignum successive in ignem vertitur per partes, tamen per se non est motus successivus ad substantiam, sed solum per accidens, quatenus extenditur per quantitatem et habet pārtium distantiam ratione illius. Ratio est. Nam terminus ad quem per se datur motus, debet habere plures partes ex se cum distantia debita ad causandam successionem in via per quam acquiritur, eo quod ratione illius distantiæ una pars post aliam postulet acquiri, alias enim non esset terminus per se et ex propria ratione motus successivi. Substantia autem non habet talem latitudinem partium, nam licet ex se habeat plurus partes, non habet tamen latitudinem intensivam partium heterogenearum quarum una necessario supponat aliam, ut habere qualitates alibi ostendemus. Nec latitudinem extensionis, quam per quantitatem formaliter habet, ac proinde solum ratione quantitatis habent partes distantiam et petunt produci successive quatenus partes materiæ distant inæqualiter ab agente ratione quantitatis, ac proinde diverso modo ab agente disponuntur, quod per se non convenit substantiæ, et ideo non datur per se motus ad illam. Et hæc est vis secundæ

rationis ab Aristotele allatæ. Nam licet termini motus non proprie debeant esse contrarii, tamen debent esse incompossibiles, constantes partibus aliquo modo distantibus per se, ratione cujus distantia debeat acquiri successive. At hoc non convenit substantiæ ex se: ergo.

Dico tertio. Ad quantitatem, qualitatem et ubi duntaxat datur per se motus successivus. Ita Aristoteles supra. De quantitate patet. Nam constat posse quantitatem successive acquiri vel per rarefactionem extendi ut cum ignis crescit etc. Hæc autem successio oritur vel ex eo quod partes quantitatis inæqualiter distant ab agente, et ideo quædam partes citius uniantur agenti, hæc autem distantia per se nascitur ex quantitate; vel quia extensio major incompossibilis est minori, qualis per rarefactionem acquiritur etiam ex propria latitudine et per se convenit quantitati. Ad durationem rei successivæ quæ simul cum partibus successivis motus corrumpitur, non datur motus cum ejus subjectum, nempe partes motus, non mutentur per illam durationem, siquidem non perseverant immediate ante partes motus. Ad durationem tamen rei permanentis quæ successive per ipsam rem permanentem fluit, non video cur non detur motus proprie dictus. De qualitate late ostendemus lib. De gener. ad eam dari motum alterationis successivum, ubi explicabitur id quod Aristoteles loco cit. disputat, an ad solam tertiam speciem qualitatis detur motus. Ratio breviter est, quia qualitas ex se habet partes intensionis, ac proinde aliquam latitudinem et distantiam partium intensionis. De ubi res etiam clarior evadet disputatione sequenti. Breviter probo. Nam *ubi* quod per motum localem acquiritur habet partes quarum una distat ab alia in spatio loci, ita ut una non possit nisi in hoc spatio constituere mobile, altera non nisi in alio spatio.

QUAESTIO QUARTA.

De subjecto motus, an scilicet possit esse aliquod indivisibile.

Prius examinabimus an aliquod indivisibile moveri possit localiter successive, deinde de subjectis aliorum motuum breviter dicemus.

Aristoteles ergo 6. Phys. a text. 32. et a text. 86. contendit non posse ullum indivisibile moveri, sed necessario debere esse

dividuum quod est mobile. Idem lib. De sensu cap. 6. et 8., 8. Phys. text. 40. et 1. De gener. text. 64. in quo sequuntur ipsum Conimbricenses 6. Phys. cap. 10. qu. 1. art. 2. et quos ipsi citant Capreolus, Jandunus, Aegidius, Bannez 1. De gener. cap. 6. qu. 4. etc. Probat Aristoteles primo in text 32. et 87. Quod movetur partim est in termino a quo, partim in termino ad quem; si enim sit totum in termino a quo, vel in termino ad quem, non movetur. Sed indivisibile non potest habere partem in termino a quo, partem in termino ad quem, cum nullas habeat partes. Secundo. Mobile prius quam transeat spatium majus se, transire debet minus, et æquale. At indivisibili id non convenit. Si enim prius transeat spatium sibi æquale quam majus se: ergo cum punctum quiescit in puncto, si immediate post moveatur, prius transibit per punctum quam per lineam, atque ita in linea punctum erit immediate post punctum. Et ideo concludit Aristoteles tunc demum indivisibile posset moveri, si et linea ex punctis, et tempus ex instantibus constaret, quia ut ajunt Conimbricenses quod per se movetur debet singulis partibus magnitudinis per quam movetur successive adæquari commensurative; indivisibile autem adæquari nulla ratione potest divisibili: ergo nec moveri poterit.

Alii vero ut Scotus 2. dist. 2. qu. 9. ibique Lychetus et Bassolis ac Mayronis qu. 12. volunt posse indivisibile per se moveri, quod nec Aristotelem negasse ajunt, qui solum docuit inquiunt, non posse ita moveri indivisibile per se ut successio motus oriatur ex ipsa latitudine indivisibilis rei, licet ratione spatii divisibilis habere possit successionem. Sed recte Conimbricenses ostendunt Aristotelem revera voluisse indivisibile moveri non posse successive neque etiam ratione spatii divisibilis, quia si quid probant, id convincunt ejus rationes.

Suppono: indivisibile aliud esse quod nullas omnino habet partes atque ideo omnino indivisibile est in ordine ad se et in ordine ad locum, ut angelus et anima rationalis, puncta etc.; aliud esse indivisibile quod habet quidem partes, tamen caret extensione in ordine ad locum, quomodo corpus Christi et ejus quantitas in Eucharistia est sine extensione in ordine ad locum, cum totum corpus sit in toto spatio specierum, et totum in qualibet parte. Et quidem fatentur Conimbricenses quod si puncta divina virtute constituantur in loco divisibili, tunc possint moveri, sicut etiam angeli et anima rationalis; addunt tamen art. 3. ad 4.

quod si angeli in puncto existerent, non possent moveri continue, quia eadem absurda sequerentur ajunt quæ ex motu puncti. Illud autem certum est punctum non esse proprie in loco cum non ambiatur superficie. Ac proinde solum quæritur, an si daretur punctum separatum necessario deberet immotum in eodem loco manere, vel alio moveri posset quamvis locum extrinsecum non acquireret. Cum autem punctum non ambiatur superficie eo quod sit indivisibile, non quærimus an acquirat locum extrinsecum, sed solum an necessario debeat esse immotum.

Dico primo. Indivisibile ut punctum existens in continuo movetur per accidens, ita tamen ut in se recipiat motum eumque subjectet. Et quidem quod moveantur puncta in continuo docet expresse Aristoteles 6. Phys. text. 86., mota magnitudine ait in qua est indivisibile, et hoc movetur, sicut mota navi movetur homo in navi. Et ratio est. Nam cum aliquod corpus ex uno loco defertur, omnia ejus puncta deferuntur et mutant locum, ac incipiunt approximari quibusdam et distare ab aliis. Sed cum dupliciter aliquid moveri possit per accidens, vel primo quia licet habeat motum intrinsecum sibi, distinctum a motu alterius rei, tamen quia conjunctum est cum aliquo quod principaliter movetur, et ad motum cujus sequitur motus alterius, ideo dicitur moveri per accidens ut nauta in navi; vel secundo quia non habet motum in se receptum intrinsece, sed tantum conjungitur per accidens ei quod motum recipit, et tunc sola denominatione extrinseca a motu in alio recepto denominatur moveri, quomodo cum homo calefit, motus calefactionis per accidens convenit musico etc. Dicimus ergo: indivisibilia corporis primo modo moveri per accidens, et id sentit Aristoteles cum loco citato ait moveri per accidens puncta ut nauta in navi, cum certum sit nautam habere proprium motum intrinsecum sibi distinctum a motu navis: ergo.

Ratio est, nam puncta corporis transferuntur ex uno loco in alium: ergo moventur localiter, quæ consequentia ex terminis est nota. Sed non moventur per motum partium divisibilium formaliter: ergo per motum proprium etc. Minor probatur. Motus partium divisibilium divisibilis est, et plures habens partes realiter distinctas sicut et res quæ movetur, nam eadem numero pars motus non potest esse in diversis partibus subjecti ut per illam moveantur plures partes: ergo quælibet pars mobilis habet partem motus propriam. Ergo si punctum moveatur formaliter motu partium,

simul movebitur pluribus motibus et acquiret simul plura ubi, quod naturaliter impossibile est. Et confirmatur. Nam moveri possunt lineæ partes, puncto continuativo illarum immoto, ut patet in circulo qui dum in orbem movetur centro immoto vel axe, omnes partes lineæ moventur: ergo punctum non movetur motu lineæ.

Dico secundo. Cum impossibile sit punctum ab omni linea separari, impossibile est illud moveri per se. Probatur. Nam disp. De quant. ostendimus non posse esse punctum separatum ab omni linea, eo quod punctum sit modus vel uniens vel terminans partes; idcirco fieri non potest ut per se moveatur, i. e. separatum ab omni alio.

Dico tertio. Si vel quantitas sine extensione in ordine ad locum, vel substantia in indivisibili existunt, poterunt localiter motu successivo cieri. Probatur ratione Scoti. Nam indivisibilia ut puncta existentia in continuo moventur successive per suum proprium et intrinsecum motum, distinctum a motu partium quantitatis ut ostendimus. Ergo etiam si separata sit res indivisibilis a qualibet alia re moveri poterit. Nam ex eo quod moveatur continue, independenter a motu rei divisibilis nullum sequitur incommodum, quod non æque inferri possit, si moveatur indivisibile in continuo existens ut ex solutione argumentorum patebit. Confirmatur evertendo fundamentum Aristotelis. Nam sphæra tangens planum in puncto movetur per lineam continue: ergo idem punctum in corpore existens potest transire lineam, et tamen ex eo non sequitur talem lineam constare indivisibilibus: ergo licet indivisibile separatum ab omni magnitudine transiret successive eam lineam, non sequeretur lineam componi ex punctis, vel punctum illud prius semper debere transire partem sibi æqualem vel majorem. Et præterea semper concedi debet illud punctum etiam cum est in continuo, dum movetur partim esse in termino a quo, partim in termino ad quem. Sicut ergo Aristoteles solvere debet rationes a se allatas in nostro casu, ita et nos solvemus.

Respondent Conimbricenses art. 3. ad 1. Illud punctum non moveri continue per lineam, licet globus continue moveatur, atque ita punctum globi post quodlibet punctum a se tactum tangit discreta puncta infinita. Si objicias illis, immediate post hoc instans quo punctum globi tangit punctum in plano, movebitur punctum globi. Revera enim sicut globus non cessat a motu interquiescendo, ita nec ejus punctum nisi relinquatur a globo poterit quiescere;

ergo immediate post movetur continue et partes divisibiles lineæ pertransit continue: ergo non solum discrete tangit puncta lineæ, sed et partes lineæ. Respondent ad tertium: punctum illud solum ideo dicitur non cessare a motu, quia non cessat a contactibus discretis, sed in quolibet momento temporis tangit punctum plani. Contra est. Post hoc punctum in continuo non est immediate aliud punctum ut supra probatum est, sed pars divisibilis. Eam ergo partem vel tanget punctum sphæræ in motu, vel elevatum a plano trasilit, quod est contra hypothesim. Ergo cum illam partem in instanti tangere non possit utpote majorem se, debet tangere in tempore quo moveatur. Et id quod dicunt Conimbricenses audeo dicere nec ipsosmet aut intellexisse, aut credidisse.

Ad primum Aristotelis argumentum respondeo. Illam majorem solum esse veram hoc sensu, quod res quæ movetur non debeat tota esse in termino, seu in spatio in quo erat immediate ante motum, sic enim quiesceret; nec in termino in quo cessat motus, sed debet esse in medio inter terminum a quo et terminum ad quem, quod est aliquo modo esse partim in termino a quo, partim in termino ad quem. Et hoc invenitur etiam in motu rei indivisibilis, quæ toto tempore motus est in spatio medio inter illud indivisibile in quo quiescebat ante motum, et illud in quo post motum quiescet, quia habet ubi successivum per quod continue recedit a termino a quo, accedit ad terminum ad quem. Illa item major habet alium sensum verum respectu mobilium divisibilium, quod scilicet tale mobile non simul relinquat totum spatium in quo erat immediate ante motum, sed cum aliqua pars rei acquirit locum distantem, secundum aliam partem adhuc mobile est in eo spatio in quo erat ante aliqua pars mobilis quæ jam ulterius est promota. Hic tamen sensus respectu rerum indivisibilium, quæ totæ recedunt inde ubi erant, verus non est.

Ad secundum respondeo. Major non est vera. Indivisibile enim immediate postquam fuit in spatio æquali sibi, tangit spatium majus se. Imo etiam res divisibilis quando movetur semper tangit spatium majus se, et cum tangit æquale, tunc non movetur. Ita ergo punctum in instanti quo non movetur correspondet puncto, in tempore vero lineæ. Et hoc etiam Aristoteles fateri debet in motu indivisibilium continui. Illud vero quod addunt Conimbricenses, id quod per se movetur debere successive adæquari spatio, si sensus sit: debere totum spatium percurrere, verum est; si

vero sensus sit: debere mobile esse æquale alicui parte divisibili spatii, gratis assumunt quod probare debuerant.

Dico quarto. Res materialis et quanta existens in indivisibili, et inextensa in ordine ad locum, non potest ab ulla causa naturali moveri, nec motu locali nec alterationis aut generationis. Dixi: res *materialis etc.,* nam angeli, anima rationalis etc. licet sit indivisibilis moveri potest localiter et alterari per productionem intellectionis, volitionis etc.

Prima pars patet. Nam indivisibilia quantitatis sunt subjecta indivisibilium quibus partes qualitatis extensæ copulantur, et singuli gradus habent singulas uniones diversas ab unione gradus præcedentis, siquidem potest continuatio primi gradus cum primo gradu dari cum nondum datur continuatio secundi gradus cum secundo existente in alia parte quantitatis. Licet verum sit hæc indivisibilia non posse ita alterari ut ipsa sola alterentur ut disp. De tempore qu. 4. dicto 5. ostendimus, quamvis divina virtute posset punctum recipere gradus omnes qualitatis, et non sola continuativa qualitatum. Unde cum Aristoteles 1. De gener. text. 64. ait indivisibile esse impassibile et inalterabile, solum vult non posse ab agente naturaliter alterari indivisibile quin simul alteretur divisibile, nec posse alteratione corporea completa alterari, i. e. terminata ad completam qualitatem corpoream, et non ad solas uniones, nam qualitas corperea completa naturaliter exigit extensionem aliquam. Vide Toletum 1. de gener. qu. 16.

Secunda pars est Suaresii 3. p. tom. 3. disp. 53. sect. 1. et 2. ubi ostendit corpus Christi existens indivisibiliter in ordine ad locum non posse ab aliqua virtute naturaliter per se moveri localiter, vel alterari. Idem multi auctores citati ab ipso. Ratio est quam adfert Suarez. Nam rei materiali et quantæ non convenit naturaliter esse in loco indivisibili et sine extensione in ordine ad locum, sed pure supernaturaliter. Res enim quanta connaturaliter exigit modum existendi divisibilem et extensum, non indivisibilem: ergo etiam accidentia quæ conveniunt rei quantæ, et præsertim si immediate subjectentur in quantitate connaturaliter exigunt eundem modum existendi extensum in ordine ad locum. Ex quo sequitur, etiam hujusmodi accidentibus supernaturale esse ut sint in indivisibili non minus quam ipsi quantitati. Quo posito sic argumentor: si aliquod agens naturale producere posset in re materiali indivisibiliter existenti vel ubi, vel aliam qualitatem etc. illud deberet producere

inextensum in ordine ad locum, licet esset extensum in ordine ad se, siquidem hæc omnia reciperentur in subjecto inextenso in ordine ad locum, omne autem quod recipitur accommodatur recipienti. Et præterea quia sicut ista accidentia non habent quantitatem nisi subjecti, ita non possunt esse extensa ad locum, nisi per extensionem ad locum quæ debetur quantitati. Cum ergo quantitas illa non habeat talem extensionem, nec accidentia illam habere possunt. Sed impossibile est ut naturaliter producatur res divisibilis et quanta sine extensione ad locum, cum id sit omnino supernaturale talibus accidentibus sicut corpori Christi et ejus accidentibus supernaturale est ut sint tali modo. Ergo. Ex quo sequitur nec generari, nec augeri naturaliter posse hujusmodi rem propter eandem rationem, et quia generatio et auctio fiunt alterationibus præcedentibus.

Supernaturaliter tamen et alterari et generari posse hujusmodi rem, sicut et moveri localiter, certum puto. An vero res hoc modo existens agere possit, res non est omnino certa ut ostendit Suarez sect. 2. dicto 2. Soncinas 7. Metaph. qu. 7 concl. 1 negat, Nominales asserunt apud Suaresium. Utrumque probabile est, neutrum efficaciter potest probari.

QUAESTIO QUINTA.

De unitate generica, specifica et numerica motuum.

Hæc quæstio quam tractat Aristoteles 5. Phys. a text. 31. magna ex parte dissoluta manet ex iis quæ de actione specifica distincte dicta sunt. Quare breviter

Dico primo. Unitas vel distinctio generica vel specifica motus non sumitur a motore vel mobili, vel etiam a tempore aut a termino a quo. Probatur. Nam calefactio et illuminatio sive a sole sive a candela fiat, et similiter motus localis sive ab homine sive ab equo productus, tam in saxo quam in ligno, hoc vel illo tempore, est ejusdem penitus rationis, et ideo Aristoteles 5. Phys. text. 35. sanationem duorum hominum ait esse ejusdem speciei, et ex diversitate subjecti solum habere diversitatem numericam, et text. 36. ait diverso tempore fieri alterationem ejusdem speciei. Terminus autem a quo, si de positivo termino loquamur, cum ille materialiter et per accidens sit terminus, non potest dare speciem

motui. Terminus vero privativus a quo seu privatio licet sit terminus essentialiter requisitus ad mutationem, quia tamen diversitas harum privationum ex diversitate formarum quarum sunt privationes sumi debet, ideo non tam ab illis quam a terminis ad quem sumi debet essentialis distinctio motuum.

Dico secundo. Successivum et permanens, violentum et naturale, regulare et irregulare, velox et tardum, sursum et deorsum, non faciunt motus diversos essentialiter. Primum patet ex qu. 2. et docet Suarez disp. 48. sect. 3. n. 20., ubi ostendimus motum quod sit successivus habere a quantitate, ac proinde accidentale esse ipsi ut sit successivus, et ita divisionem motus in successivum et instantaneam esse subjecti in accidentia. Secundum est Suaresii 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 5. in secundi modi refutatione, et patet. Nam ut ex 2. Phys. disp. 1. qu. 3. elucet, motus quod sit naturalis vel violentus solum provenit a subjecto; subjectum autem non causat essentialem distinctionem motus. Deinde eadem calefactio continua potest esse naturalis et violenta secundum diversas partes, ut si manus frigida calefiat usque dum producatur calor proportionatus manui, motus est naturalis, postea cum exceditur proportio violentus, et tamen est idem motus continuus. Certum autem est ea quæ sunt unum numero esse unum specie. Ergo. Tertium patet. Nam idem numero motus continuus potest esse irregularis, ut motus lapidis deorsum initio tardior est in fine velocior. Similiter motus projectorum initio velocior in fine est tardior. Eodem modo probatur velox et tardum non distinguere essentialiter, siquidem idem numero motus continuus potest secundum diversas partes velocior esse et tardior.

Denique quod motus sursum et deorsum, seu ascensus et descensus non essentialiter sed solum accidentaliter distinguatur, ac proinde quod a spatio non sumatur specifica diversitas motus, probatur primo. Quia illa differentia motus localis accidentalis est quæ abest et adest sine corruptione subjecti. Sed ab eodem numero motu potest abesse ascensus et descensus, nam ascensus, dicitur qui est a medio universi, descensus qui ad medium, ac proinde sine ordine ad universum non dicitur aliquis motus ascensus vel descensus. At idem numero motus potest fieri a Deo in lapide qui nunc est cum in aliquam partem universi fertur etiamsi nulla alia res existeret præter lapidem, et ita moveretur per vacuum; tunc autem ille motus nec esset ascensus nec descensus. Imo Deus ita

creare posset ceteras mundi partes ut talis motus posset esse ascensus vel descensus indifferenter, ut si centrum universi collocasset ubi nunc est sol, idem motus qui nunc fit a sole ad centrum, tunc fuisset ascensus, cum jam sit descensus. Ergo non minus est accidentarium motui quod sit ascensus vel descensus, quam respectu hominis stare vel sedere, quæ non convenit illi nisi in ordine ad partes universi.

Secundo probatur. Motus diversi specie continuari nequeunt ex Aristotele 5. Phys. text. 41. Sed ascensus et descensus possunt continuari; nam ut Aristoteles in Quæst. mechan. initio docet, cum sphæra aliqua continue rotatur, illius motus componuntur ex descensu et ascensu, eadem enim pars quæ prius descendebat postea continue ascendit ut in rota constat. Eodem modo si terra ad centrum usque gravitatis universi perforaretur et globus eo usque demitteretur ille naturaliter moveretur donec medius in centro consisteret, tunc autem media pars illius moveretur usque ad centrum deorsum, et ultra centrum moveretur continue illa medietas sursum et a centro donec centrum globi et centrum universi coinciderent. Eodem modo si Deus totum globum terræ ad lunæ sphæram sublatam demitteret, ejus pars dimidia postquam centrum attingeret sursum moveretur continue, usque dum centrum gravitatis terræ æqualiter ab omnibus partibus cœli distaret.

Tertio. Aristoteles sæpe docet ut 3. Cœli text. 18. etc. unius corporis simplicis unum esse motum simplicem; sed aër si sit sub aqua sursum ascendit, si supra ignem deorsum: ergo si motus sursum et deorsum specie distinguitur ut fatetur Toletus 5. Phys. qu. 2. ad 2. non conveniret aëri unus motus simplex, et tamen Aristoteles ex numero motuum simplicium colligit numerum elementorum, quod penitus nihil valet si eidem corpori simplici plures motus specie diversi conveniant. Eodem modo existimo in motu locali non causari specificam differentiam ex eo quod motus fiat per lineam rectam vel curvam, licet Soto 5. Phys. qu. 3. art. 1. concl. 4. contrarium velit et Suarez disp. 48. sect. 3. n. 18. sub dubio relinquat. Tum quia motus per lineam curvam et per lineam rectam continuari possunt ut patet si pars aquæductus sit semicirculus et alia pars per lineam rectam, aut si manum quis moveat aliquantum in orbem et postea attollat continue; tum quia si hi motus specie distinguantur: ergo cum lineæ circulares et curvæ sint specie diversæ, omnes motus per illas lineas specie distin-

guentur, quod videtur incredibile. Ratio a priori est. Nam terminus qui producitur per motum rectum et circularem, scilicet ubi, solum differunt accidentaliter vel numerice, ac proinde non possunt causare essentialiter motuum diversitatem. Et multo minus medium per quod transit mobile causabit specificam motus distinctionem, nam lapis a concavo lunæ per ignem, aërem, aquam ad terram usque delatus, est unus specie et continuus, tamen media per quæ transit diversa sunt. Sed de his plura disp. 2.

Dices: ex Aristotele 5. Phys. text. 59. motus sursum est contrarius motui deorsum et similiter motus naturalis motui violento; at si essent ejusdem speciei non essent contrarii: ergo. Respondeo: ut motus motui dicatur contrarius non requiritur specifica distinctio illorum, licet aliquando specie distinguantur motus contrarii ut motus ad album et nigrum, eo quod in hac contrarietate distinctio terminorum specifica reperiatur, quod in motu locali non accidit. Unde ascensus lapidis violentus et ignis naturalis, ejusdem speciei sunt, nec inter se contrarii, sed solum ascensus lapidis et descensus ejusdem. Sed de hoc qu. sequenti plura.

Dico tertio. Sicut de actione dixi, quoties terminus productus per motum est specie vel genere distinctus in esse rei, toties motus esse specie vel genere distinctos. Est Aristotelis 5. Phys. text. 31. ubi motum genere diversum ait qui terminatur ad diversa genera, specie diversum qui ad terminum specie distinctum. Ratio est. Nam motus est acquisitio termini ad quem et ab illo sumit denominationem ut 5. Phys. text. 48. habet Aristoteles; ab eo autem debent desumi essentialia rei prædicata a quo desumuntur denominationes: ergo. Unde patet tot esse motus genere quot sunt termini qui per motum acquiruntur genere distincti, atque ideo motus ad substantiam, quantitatem, qualitatem et ubi genere differunt, licet quia ut diximus ad substantiam non datur per se primo motus, aliquando Aristoteles tria tantum genera motuum assignet, quia scilicet tria tantum sunt prædicamenta ad quæ per se primo datur motus. Sub quolibet autem genere distingui possunt variæ species subalternæ ut motus spiritualis et corporeus, naturalis et supernaturalis etc.

Dico quarto. Ad unitatem numericam motus requiritur unitas termini ad quem, unitas agentis, temporis, subjecti, loquendo connaturaliter; et præterea continuitas inter partes sibi succedentes. Est Aristotelis 5. Phys. text. 34. ubi unitatem subjecti, termini et

temporis exigit et 8. Phys. text. 49. ubi et continuum esse debere, et ab uno movente, et unius rei. Si enim diversorum est quod movetur non erit motus continuus ait sed consequenter. Licet vero etiam unitas termini a quo i. e. privationis requiratur, hæc tamen cum unitatem sumat a forma seu termino cujus est privatio, ideo sub unitate termini continetur. Probatur. Nam idem numero in diverso tempore vel subjecto produci non potest, et multo minus potest, pluribus agentibus non facientibus unum totale agens eadem numero forma simul vel successive produci ut ex 2. Phys. disp. 3. qu. ultima patet. Similiter plures partes realiter inter se distinctæ unum facere non possunt nisi per unionem; unio autem partium sibi succedentium est continuatio: ergo. Motus autem specie diversi continuari non possunt, sed ii solum sunt contigui et deinceps ut docet Aristoteles 5. Phys. text. 40. et sequ., Fonseca 5. Metaph. cap. 4. qu. 3. sect. 2. concl. 1. Ratio a priori eadem est quam 1. Phys. disp. 3. qu. 3. attulimus. Nam res quæ non possunt facere unam speciem, nec possunt facere unum numero individuum per continuationem; sed motus specie distincti non possunt facere unam speciem: ergo. Motus ergo continuus dicitur qui tales habet partes ut finis unius sit initium alterius. Contiguus vero est qui licet sit deinceps cum alio motu tamen finis unius non est initium alterius ex natura sua, quod fit cum mobilia vel moventia sunt numero distincta, vel termini motus specie distinguuntur.

Objicies: Homo si ex loco alto cadat et in via moriatur eodem numero motu movebitur post mortem quo ante, et tamen non est idem subjectum post mortem et ante. — Respondeo: In homine diverso motu movetur anima, corpus, accidentia, nam motus animæ et ejus ubi est spirituale, corporis materiale etc. Unde mortuo homine, motus materiæ, quantitatis etc. continuatur et eorum est idem subjectum quod ante, forma vero cadaveris et accidentia de novo producta diverso motu moventur a motu animæ, qui motus formæ cadaveris producitur quasi per tractionem a gravitate materiæ ratione continuationis.

Illud tamen addo quod cum dicimus unitatem subjecti, temporis etc. requiri ad unitatem motus, non dicimus unitatis numericæ causam esse subjectum et tempus etc., sed solum dicimus non posse naturaliter unum numero motum esse in diversis subjectis etc. simul vel successive, cum semel productum reproduci nequeat, nec a duobus subjectis totalibus possit dependere adæquate, aut a

duabus causis efficientibus. Solum ergo volumus de facto semper unitati numericæ motus conjunctam unitatem agentis etc., licet divina virtute aliter fieri possit.

QUAESTIO SEXTA.

De motuum inter se et cum quiete contrarietate; ubi an inter motus contrarios quies necessario intercedat.

De motuum oppositione agit Aristoteles 5. Phys. a text. 46. ubi postquam enumerasset varios quibus unus motus alteri dici posset contrarius, concludit text. 48. ad contrarietatem motuum non sufficere si termini a quo sint contrarii, ut si unus motus sit ex sanitate, alter ex ægritudine, sed propriam contrarietatem motuum sumendam ex terminis ad quos. Sicut enim ait denominationem et consequenter speciem sumit motus a termino ad quem, non a termino a quo, ita etiam contrarietatem. Et ideo solum illos motus esse contrarios qui sunt ad terminos contrarios, si vero producitur terminus carens contrario ait text. 51. tunc non esse proprie motum sed mutationem, eique opponitur mutatio corruptiva ut generationi corruptio etc. quia termini harum mutationum opponuntur saltem privative. Unde sive terminus a quo sit contrarius termino ad quem ut cum ex calido fit frigidum sive non, ut cum in materia carente contrario Deus produceret frigus, semper sunt contrarii motus si termini ad quos sint contrarii. Ubi sciendum est, quod cum Aristoteles terminos motuum contrariorum ait debere esse contrarios, non loquitur de propria contrarietate, nam motus sursum et deorsum, ante et retro etc. vocat contrarios text. 59., et tamen termini illorum motuum non sunt proprie contrarii etc. Unde nomine terminorum contrariorum intelligit eos qui talem repugnantiam habent, ut non accedat mobile ad unum quin ab alio recedat, et contra, et quia in hoc assimilantur contrariis, vocat tales terminos Aristoteles contrarios. Unde sicut in terminis motus a quibus sumitur contrarietas motuum, non semper reperitur vera et propria contrarietas, ita nec in ipsis motibus, sed ad motuum contrarietatem sufficit si sint sibi repugnantes, i. e. qui simul eidem mobili nequeant convenire, eo quod unus sit tendentia ad terminum contrarium ei ad quem tendit alter.

Ex quo constat non esse majorem contrarietatem inter motus

quam inter terminos ipsius, ac proinde illos motus esse perfectissime contrarios quorum termini ad quos sunt perfecte contrarii ut nigrefactio et albefactio etc. Si autem termini motuum contrariorum non sint proprie contrarii licet inter se repugnent, nec motus proprie erunt contrarii. Imo si termini motuum contrariorum sint ejusdem speciei etiam motus contrarii poterunt esse ejusdem speciei, ut termini motuum localium licet contrarii sint eo modo quo hic sumit Aristoteles, tamen sunt ejusdem speciei. Nam 5. Phys text. 50., 8. Phys. text. 64. motum a dextris ad sinistram et contra ait esse contrarios motus, sicut et sursum ac deorsum etc. Certum autem est motum progressivum a dextra ad sinistram, et a sinistra ad dextram esse ejusdem speciei: ergo motus contrarii possunt esse ejusdem speciei.

Constat etiam ex dictis quomodo intelligi debeat Aristoteles cum 1. Cœli a text. 27. docet motui circulari cœli non esse ullum motum contrarium, licet non minus contrarius sit motui solis ab ortu ad occasum, motus ab occasu ad ortum, quam motus dextrorsum et sinistrorsum, cum ubi per illos motus producta ita inter se repugnent ut unum acquiri non possit nisi alterum perdatur. Unde si divina virtute cœlum moveretur ab occasu ad ortum contra quam de facto moveatur, revera ille motus contrarius foret ei qui jam est, sicut motus rotæ ab ortu versus occasum, contrarius est motui ab occasu ejusdem ad ortum. Aristoteles tamen naturaliter impossibile esse inquit ut cœlum habeat motum contrarium ei quo nunc movetur, nec necessarium est ad cœli incorruptibilitatem ut ejus motus non possit habere contrarium, sed solum ne possit moveri naturaliter motibus contrariis, quamquam nec ex motibus localibus contrariis inferri posset cœli corruptibilitas. An vero idem subjectum simul possit moveri motibus contrariis cum de reactione agemus explicabitur.

Circa oppositionem quietis et motus Aristoteles 5. Phys. a text. 53. ait: in primis motum quieti opponi privative et quia privatio contraria dicitur formæ, ideo quietem motui contrarium esse; text. 54. addit quietem mobilis esse duplicem, unam in termino a quo, alteram in termino ad quem jam acquisito, ut cum quis ex sano fit æger, præcedit quis in sanitate, postea ægritudine acquisita sequitur quies in illa, et has quietes eodem modo opponi ait quo motus, ita ut quies in sanitate contraria sit quieti in ægritudine. Ait ergo solam quietem in termino a quo esse contrariam

motui, ut quies in ægritudine præcedenti contraria est sanationi, non vero quies in sanitate acquisita per sanationem, quia inquit unum contrarium non est acquisitio alterius, sic enim idem destrueret seipsum. Ergo quies sub termino ad quem non est contrarius motui per quem acquiritur. Concludit deinde text. 55. mutationi non dari aliquam quietem contrariam, quia secundum communem usum quiescere dicitur quod aptum est moveri et non movetur quando et ubi aptum est ut 6. Phys. text. 30. ait. Ergo non quælibet cessatio a mutatione quies dicenda est, sed solum cessatio a mutatione successiva. Verum tamen est ait privationem oppositam mutationi quieti assimilari, atque ideo controversia est de solo nomine.

Sed contra hæc objici potest primo. Quies est privatio motus ut text. 53. ait; at subjectum caret motu postquam acquisivit terminum ad quem, sicut carebat antequam illum acquireret: ergo habet quietem motui contrariam, ac proinde quies in termino ad quem contrariatur motui. Secundo. Motus non est acquisitio quietis ut assumit Aristoteles, nam quies est privatio motus: ergo si motus est acquisitio quietis, est acquisitio carentiæ sui, cum tamen solum sit acquisitio termini ad quem, qui motui non opponitur privative.

Respondeo ad primum. Hic non posse esse controversiam de re, certum enim est quietem mobilis tam in termino a quo, quam in termino ad quem opponi privative motui. Aristoteles tamen solam quietem in termino a quo vocat contrariam motui, nam quies in termino a quo est quæ excluditur a subjecto per motum, at vero quies in termino ad quem sequitur potius ex motu. Unde motus ordinatur ad quietem subjecti in termino ad quem non quidem per se et immediate, sic enim ordinaretur ad corruptionem suam, sed ordinatur proxime ad terminum perfectum, ex quo sequitur privatio motus, consequenter quies in termino, et hoc modo motum ordinari ad quietem nihil est absurdi, non enim nisi secundario consecutive et præter intentionem ordinatur ad sui privationem. Quia vero motus nullo modo ordinatur nec quidem consecutive ad privationem in termino a quo, sed potius ad illius destructionem, ac proinde sub hac formalitate majorem habet contrarietatem motus cum quiete in termino a quo, quam cum quiete in termino ad quem, idcirco dixit Aristoteles motum contrariari solum quieti in termino a quo; ex quo etiam soluta manet secunda objectio. Addo tamen, id quod Aristoteles dicit quietes in terminis

contrariis esse contrarios, non videri verum nisi admodum improprie. Nam cum hujusmodi quietes sint privationes, duæ autem privationes formarum contrariarum non opponantur ullo genere oppositionis inter se, cum privatio solum opponatur formæ, non video quomodo dici possent tales privationes contrariæ. Adde quod in eodem subjecto possunt dari privationes contrariarum formarum, ut in materia, privatio albi et nigri. Unde solum puto velle Aristotelem quietes quæ simul esse non possunt aliquo modo inter se repugnare.

Circa ultimam partem quæstionis quam late explicat Aristoteles 8. Phys. text. 64. in primis certum est, duas mutationes instantaneas non posse sine quiete interposita sibi succedere, sicut nec in tempore possunt dari duo instantia immediata. Similiter certum est duas mutationes quarum una in instanti, alia in tempore exerceatur, etiamsi illa quæ in tempore fit tota simul exerceatur quod fieri posse disp. præcedenti diximus, posse sine quiete interrupta sibi succedere, ut si sol immediate post instans in quo creatus illuminaret suam sphæram, cœpisset moveri, tunc immediate post instans quo producta erat aliqua pars luminis, corrumperetur, siquidem immediate post illud instans erit extra sphæram activitatis solis aliqua pars medii ante illustrati, quam scilicet relinquit. Et idem potest in mutationibus positivis accidere ut si hoc instanti res creetur et immediate post moveatur etc. Denique mihi certum est duos motus contrarios etiam successivos posse in eodem subjecto succedere nulla quiete interposita, ita ut primum non esse motus præcedentis, sit ultimum non esse motus sequentis, ut si aquæ dum calefit applicetur agens frigidum potentius calido. Cum enim incipit refrigeratio, cessat calefactio ut ex iis quæ de reactione dicemus constabit. At certum est tunc non dari quietem interjectam, nam in instanti non est quies, Aristoteles enim 5. Phys. text. 20., 6. Phys. text. 30. quietem ait esse tunc solum cum posset esse motus ut disp. De tempore qu. 4. dicto 5. diximus. Et similiter cum aqua incipit se reducere ad nativum frigus, primum non esse calefactionis est ultimum non esse frigefactionis ut recte Conimbricenses citandi. Aqua enim non impedita statim naturaliter se reducit: ergo eo ipso quod cessat agens calefacere incipit aqua se reducere ad frigus, nisi enim statim incipiat, neque incipiet, cum non sit postea potentia ad reducendum se. Unde licet in universum quando subjectum non movetur simul motibus contrariis quod an fieri possit alibi explicabimus, semper inter motus contrarios

debet instans intercedere quod sit finis motus præcedentis, principium sequentis, tamen in universum, quies temporaria non necessario intercipitur inter illos.

Solum ergo de motibus localibus contrariis est difficultas, an inter illos quies necessario intercedat, ita ut inter ascensum et descensum v. gr. in puncto reflexionis, hoc est in eo loco a quo fit reflexio deorsum, vel sursum, quies intercedat. In qua re

Prima sententia est Aristotelis 8. Phys. a text. 64. ubi inter motus locales contrarios ait necessario debere quietem intercedere, nam ibi ostendere volens nullum motum rectum seu non circularem posse esse perpetuo continuum ait id quod recta refertur, alicubi reflectitur, ibi autem stare debet inquit text. 65. Probat primo. Nam motus sursum et deorsum contrarii sunt: ergo si inter illos quies non intercedat continuabuntur; at id fieri non potest: ergo. Secundo: mobile in puncto reflexionis est tanquam in principio et fine, in ordine ad diversos motus; at hoc non esset nisi in illo permaneret aliquo tempore: ergo. Tertio: mobile antequam moveri incipiat, quiescere debet in termino a quo: ergo aliqua quies debet intercedere inter motus contrarios, siquidem motus reflexi terminus a quo est ille qui fuit terminus ad quem motus directi. Antecedens patet. Per motum semper abjicitur quies in termino a quo: ergo. Sunt tamen aliqui qui existimant Aristotelem non velle in puncto reflexionis semper esse quietem temporariam, sed solum instantaneam, ita ut inter utrumque motum instans intercedat, quod necessarium est ut supra diximus. Tamen Aristoteles de quiete temporaria loquitur; ipse enim quietem solum vult dari in tempore, ut 5. Phys. text. 20., 6. Phys. text. 30. Quare

Dico breviter. Sæpe inter motus locales contrarios, in puncto reflexionis nulla datur quies, interdum tamen ratione resistentiæ et defectu virtutis activæ mobilis dari potest. Prima pars probatur. Tum quia experimur nos movere posse brachium sursum et deorsum, dextrorsum et sinistrorsum etc. nulla temporanea quiete interposita. Tum quia ut recte Soto 8. Phys. qu. 3. ad ult. conf. 2. arg. si ingens ferri moles ex altissimo loco ruat, cui occurrat pila v. gr. vel ignis sursum tendens, non potest aliquo temporis spatio impedire pila motum ferri deorsum, sed ita continue movebitur ferrum ac ante. Ergo cum pila cum ferro non penetret etiam illa deorsum ferretur, nec aliquo tempore post contactum ferri quiescit. Revera enim etiam ferrum deberet quiescere et detineri a lapillo sursum

projecto, quod fieri non potest cum major sit virtus motiva deorsum quam impetus lapidis.

Respondent aliqui: quiescere ante instans contactus, quia aër impulsus a gravi descendente resistit projectæ v. gr. sagittæ ne ascendat. Contra est, nam sagitta facillime scindit aërem quantumvis concitatum ut in vento patet. Deinde sagitta illa ex contactu infigitur mobili v. gr. ingenti ligno quod non fieret si sagitta ante quievisset, nam molis descendens non potest suo impetu infigi sagittæ quiescenti, cum hæc non sit ex alia parte firmata, sed in aëre pendens, aër autem statim cedet, et ita detruderetur sagitta non infigeretur ligno descendenti. Deinde ponamus tunc occurrere illam molem sagittæ cum primum incipit descendere ita ut non habuerit tempus impellendi aërem. Et hanc partem conclusionis veram esse censeo sive uterque motus directus scilicet et reflexus sit violentus, sive uterque naturalis, ut cum homo per motivam potentiam elevat manum, quæ per gravitatem naturaliter deorsum fertur si actus potentiæ motivæ cesset, sive unus sit naturalis alter violentus.

Secunda pars optime probatur a Conimbricensibus 8. Phys. cap. 8. qu. 1. concl. 1. Nam licet si grave projici posset sursum per vacuum, tamdiu sursum tenderet, quoad usque veniretur ad aliquod instans in quo esset æqualis resistentia gravitatis activitati impulsus quo sursum ferebatur grave, tamen quia immediate post illud instans major esset activitas gravitatis, quam resistentia impulsus, eo quod immediate post instans aliqua pars illius impulsus continue desinit esse, hinc est ut immediate post illud instans superata resistentia impulsus, per gravitatem descenderet ut recte Conimbricenses concl. 2. Si tamen grave aliquod per medium planum sursum projiciatur per lineam rectam (si enim projiciatur velut per arcum, secus est) in puncto reflexionis quiescet aliquo tempore exiguo. Ratio est, nam motus sursum rei gravis impulsæ, in eo instanti primum cessat in quo gravitas lapidis et resistentia medii, per quam resistit ascendendo scindenti tanta est, quanta est virtus activa impetus ad movendum, ita scilicet ut licet ille impetus tantus sit ut resistentiam gravitatis per se sumptam superare possit, tamen resistentiam gravitatis et medii simul (utrumque enim resistit) non possit superare, atque ita tantæ activitatis sit impulsus, quantæ resistentiæ est grave simul cum medio, in quo enim instanti hoc modo est dispositum mobile, in eo primum cessat motus sursum. At fieri non potest ut immediate post illud instans majoris activi-

tatis sit gravitas ad movendum deorsum, quam virtus impulsiva ad resistendum gravitati, sicut in vacuo fieri posse ostendimus. Ergo fieri non potest ut immediate post illud instans moveatur deorsum, sed debet aliquo tempore quiescere.

Minor probatur. Nam in illo instanti major est vis activa impulsus ad movendum sursum, quam sit resistentia gravitatis mobilis secundum se, licet non sit major quam sit resistentia gravitatis et medii simul, atque ideo non possit sursum movere. Ergo si immediate post illud instans deberet movere deorsum, immediate post instans deberet esse major vis activa gravitatis solius ad movendum deorsum, quam sit resistentia impetus a quo sursum ferebatur grave, et præterea medii quod eodem modo resistit rei dum movetur deorsum, atque resistebat dum ferretur sursum. At hoc est impossibile, nam licet immediate post instans aliquid virtutis impressæ deperdatur, ac proinde immediate post instans possit esse æqualis virtus motiva deorsum in gravitate virtuti resistitivæ impetus, non potest tamen movere gravitas tunc deorsum. Tum quia cum est æqualis activitas et resistentia non fit motus, immediate autem post instans in quo desiit primum non est motus sursum, solum potest esse æqualis virtus gravitatis ad deorsum movendum, virtuti impetus ad resistendum. Nec potest immediate post illud instans esse major vis gravitatis; cum enim in illo instanti sit major vis motiva impulsus quam solius gravitatis, licet non sit major quam gravitatis et medii simul, prius debet fieri æqualis virtus gravitatis ad movendum, quam major. Tum quia licet immediate post illud instans fieri posset major vis motiva gravitatis, quam impetus secundum se, quia tamen præter impetum etiam medium resistit gravitati ne moveat deorsum, ac proinde ex medio subjecto et virtute impressa quæ est in mobili fit una resistentia tanta, ut utraque simul existente deorsum ferri non possit grave, sed exiguo tempore quiescet, donec tantum minuatur virtus impressa, ut ejus et medii simul resistentia minor sit, quam activitas gravitatis, quæ melius intelligentur ex iis quæ disputatione sequenti dicemus de modo quo desinat virtus impressa a qua moventur projecta.

Quæres: an si corpus durum allidatur alteri duro ita ut neutrum cedat alteri nec comprimatur, resiliatque unum ab alio ut v. gr. ex plano æneo quadratum ferreum, in puncto reflexionis immediate post contactum quiescat aliquo tempore antequam resiliat; si enim non quiescit dabitur vacuum inter quadratum tangens et planum

quod tangitur, nam simul omnes partes corporis resilientis removebuntur a partibus plani tactis: ergo ne detur vacum debet succedere aliud corpus v. gr. aër qui tangat illud planum. At non potest aër ingrediens occupare eodem tempore partes medias plani, quo extimas, sed necessario prius debet occupare partes extimas et transire sensim ad medias. Ergo in illa parte temporis in qua occupantur extimæ partes, mediæ remanebunt vacuæ; ergo ne hoc sequatur dicendum est partes corporis resilientis non simul omnes sejungi a partibus corporis tacti, sed unam post aliam, et ita aliquas partes corporis resilientis quiescere aliquo tempore, quod videtur contra experientiam.

Respondeo: Aristoteles 2. De anima text. 113. docet duo corpora solida et dura nunquam posse se tangere immediate in aliqua quantitate licet exigua, supposito quod ante corpus aliquod inter illa intercesserit, sed remanebit semper aliquid illius corporis interceptum, quod ante incipiebatur ut aëris, aquæ etc. si tamen non lateraliter et quasi labiliter, sed per lineam rectam et perpendicularem applicentur, quod et Toletus ibi qu. 31., Conimbricenses 4. Phys. cap. 9. qu. 1. art. 5. ad 4. et alii sentiunt. Ratio est, nam duo corpora hujusmodi antea distantia non possunt nisi per motum localem applicentur tangere se mutuo: ergo cum toto tempore quo unum v. gr. movetur versus alterum nondum sit contactus, in instanti quo primum non est motus localis, fit talis contactus. Tunc sic argumentor. Toto tempore præcedente illud instans mediabat v. gr. aliquid aëris inter illa corpora, nisi concedas aliqua parte illius temporis quo nondum erat contactus nihil mediasse, ac proinde fuisse spatium vacuum per quod moveretur mobile. In illo autem instanti contactus, aër excludi non potest, quia cum exire debeat per motum localem prius debet partem mediam quam extimam deserere, ac proinde non in instanti. Et quamvis per motum successive relinqueret, tamen aër qui tangit mediam partem plani quod totum simul deberet a corpore solido tangi, prius pervenit ad partem secundam, quam ad tertiam, ac proinde vacua relinquitur pars media etc. Quod argumentum non urget si vel condita sint duo corpora solida ita ut se tangerent sicut de cœlis dicetur, vel certe lateraliter per motum successivum trahendo unum super aliud fiat talis contactus. Verum etiam est aërem v. gr. interceptum inter securim scindentem et lignum, sigillum et hostias etc. exiguum esse, id enim sufficit ad arcendum vacuum. Et licet tale medium natura sua sit molle, admodum

tamen densatum a corpore duro, lignum ipsum ingreditur etc. Eadem ratione cum duo se tangunt in parte divisibili, non potest unum separari totum simul ab alio ut ibidem docent Conimbricenses. Si enim corpus tangens aliud secundum aliquam partem divisibilem, simul secundum omnes partes recedat a corpore contiguo, verum esset dicere, in hoc instanti se tangunt ista corpora secundum extensionem palmarem et immediate post secundum totam illam latitudinem non se tangent. Tunc sic argumentor. Vel immediate post illud instans corpus ambiens occupat totum illud spatium seu totam illam superficiem secundum quam tangebat corpus quod removetur, vel non. Si non: ergo datur vacuum in media parte v. gr. illius antequam occupetur a corpore circumstante; si occupet: ergo cum immediate post hoc instans sequatur pars indeterminata temporis, in illo tempore indeterminato occupat totum spatium, et non in instanti. Si autem in tempore occupat: ergo cum illud tempus habeat partes priores et posteriores, in partibus prioribus illius nondum fuit totum spatium occupatum: ergo aliquid fuit vacuum. Et hoc argumentum æque procedit sive contactus fiat in parte determinata, sive in indeterminata, dummodo in aliqua divisibili.

Jam ergo respondeo ad argumentum cum Conimbricensibus illo 8. Phys. art. 3. in fine. Quod si immediate tangeret quadratum illud planum et non intercepto aëre, revera convinceret argumentum non posse simul removeri totam partem divisibilem quadrati quæ tangit, sicut nec posset tota simul tangere. Verum quia ut ostendimus in tali contactu semper intercipitur corpus molle, idcirco ratione contactus non est necessaria quies in puncto reflexionis, corpus enim molle quod in contactu densatum est, rarescit et replet spatium quod per motum reflexum relinguitur, usque dum detur spatium ut aliæ partes aëris possint subintrare. Recte tamen Conimbricenses supra art. 1. docent quod si projectum cedat comprimaturque aliqua sui parte, in puncto reflexionis quiescit, ut cum pila alliditur ad parietem, post instans enim contactus pars pilæ parieti vicina comprimitur, ipsumque parietem secundum majorem et majorem suæ superficiei partem tangit successive, quousque resilire et parietem deserere incipiat sive eum successive, sive simul secundum omnes partes deserat.

Ad argumenta Aristotelis respondeo ad primum. Si motus contrarii sint ejusdem speciei, ut esse diximus ascensum et descen-

sum, quid ni continuentur; si sunt diversæ speciei non continuantur sed sunt immediate, nam momentanea intercapedo sufficit ad discontinuandos motus si non sint ejusdem speciei. Ad secundum. Sicut mobile in quolibet instanti temporis est in fine præcedentis partis motus et in initio sequentis: ita idem instans potest esse finis unius motus contrarii, initium alterius. Ad tertium. Si nomine quietis intelligatur sola privatio motus licet instantanea, concedo antecedens; si privatio temporaria, nego. Nec per motum semper abjicitur quies temporaria, sed hoc est per accidens ad motum.

QUAESTIO SEPTIMA.

An omne quod movetur ab alio moveatur.

Aristoteles 7. Phys. text. 1. et 8. Phys. a text. 27. omne quod movetur ab aliquo alio moveri ait, ita ut idem non possit esse movens et motum, ex quo principio colligit postea dari debere primum motorem immobilem, æternum, actum purum. Quibus locis Aristoteles non negat, idem posse esse subjectum et causam efficientem motus, dummodo in eo distinguatur pars movens et pars mota per se, ut illo 7. Phys. text. 1. et 8. Phys. text. 29. in hoc distinguit animata et viventia a non viventibus, quod illa a seipsis moventur, hæc minime. Ex quo infert Aristoteles fieri posse ut aliquid quod est causa per se motus alterius, sit etiam causa sui motus, si nimirum moveatur ad motum alterius, quod per se movet, quomodo formæ viventium per se movent aliam partem compositi, moventur tamen etiam formæ ad motum aliarum partium, sicut nauta ad motum navis. Solum ergo controversia est, an subjectum motus secundum se totum possit esse causa efficiens per se motus, quo movetur secundum se totum, ita ut non distinguatur in illo pars movens et pars mota. Non quærimus autem an possit esse causa omnino totalis sui motus, cum certum sit, sine generali Dei concursu non posse movere.

Aristoteles ergo negativam quæstionis partem tuetur, quam 7. Phys. text. 2. sic probat. Omne quod desinit moveri alio quiescente, ab alio movetur; si enim a seipso per se primo moveretur, nunquam desineret moveri ad quietem alterius, eo quod ipsum esset sibi sufficiens causa motus. Sed omne quod movetur per se, secundum omnem sui partem desinit moveri, aliquo quiescente:

ergo omne quod movetur per se primo, ab alio movetur. Minorem probat. Nam omne quod movetur divisibile est; at omne divisibile desinit moveri per se primo, quacunque ejus parte quiescente, nam si ligni bipalmaris primus palmus quiescat, totum quiescet: ergo. Secundo probat 8. Phys. text. 29. Nam si id quod movetur, præter naturam moveatur, certum est ab alio moveri. Si vero naturaliter, vel illa sunt viventia, vel gravia et levia; mixta enim inanimata moventur ad motum elementi prædominantis, ac proinde omnes motus naturales ad hos duos spectant. Sed in animalibus datur pars movens, sicut remiges movent navim, atque ita ab alio moventur. Gravia autem et levia non moventur a principio interno, tum quia moveri a principio interno est proprium animalium; tum quia quod movetur a principio interno potest cessare ante finem motus, gravia et levia non possunt; tum denique quia quod movetur localiter ab intrinseco, ferri potest ad diversa loca ut in animalibus patet. At id gravibus et levibus non convenit. Tertio probat 8. Phys. text. 40. Si idem esset movens et motum, idem esset actu et potentia, ac proinde ut text. 41. subdit idem esset calidum et non calidum.

Sed hæc argumenta rem non concludunt. Ad primum enim respondeo distinguendo majorem. Vel enim sensus est, moveri ejusmodi rem motu dimanante ab alio a quo non recipiatur talis motus, et hoc modo nego majorem; vel sensus est, moveri ab alio non tam effective quam formaliter, i. e. moveri eodem motu saltem inadæquate quo alterum. Et hoc modo major vera esse potest, sed ex eo nihil sequitur ad propositum. Sicut enim res divisibilis formaliter causatur ex partibus, ita motus illius divisibilis formaliter causatur ex partibus motus, et ideo tota res divisibilis movetur non per unam partem motus formaliter duntaxat, sed per omnes motus omnium partium, et ita parte immota fieri non potest ut totum moveatur quia motus totius non est aliud quam motus omnium partium. Ex eo ergo quod motus totius cesset, cessante motu partis, solum sequitur motum partis formaliter includi in motu totius, ac proinde hunc esse non posse, sine illo, quantumvis quælibet pars mobilis seipsam movendo causa sit effectiva sui motus, ac proinde etiam motus totius licet inadæquate, eo quod in motu totius includatur motus quem in se producit, atque ideo illo motu licet inadæquate moveatur totum. Et sane eodem argumento probarem nullum corpus per se moveri ab

alio. Nam in quolibet corpore si quiesceret pars, etiam totum quiesceret: ergo non per se primo moveretur.

Ad secundum. Gravia et levia revera a propria gravitate intrinseca moventur ut disputatione sequenti dicetur. Ex quo non sequitur gravia esse animalia, vel posse in diversas partes moveri, aut etiam posse se sistere. — Ad tertium respondet Scotus, Conimbricenses 6. Phys. cap. 1. qu. 1. art. 2. et Suarez n. 12. solum ostendi illo argumento non posse idem esse motum et movens univocum, ut quando causa movens calida, debet calorem producere; in æquivocis vero vim non habet. Dupliciter enim potest aliquid esse in actu vel potentia respectu formæ alicujus, primo in actu formaliter, cum scilicet actu informatur tali forma; secundo virtualiter, quomodo in actu est quod habet vim ad producendum aliquid licet illud non habeat formaliter. Unde licet non possit aliquid esse simul in actu formaliter, et in potentia formaliter, ita scilicet ut actu careat forma, potest tamen esse in actu virtuali, et in potentia formali, quomodo homo est in actu virtuali ad producendam intellectionem quam nondum produxit.

Ego in hac quæstione, quæ in re nullam habet difficultatem sic sentio. In primis fieri posse quod aliquod agens producat aliquid in seipso, ita ut idem sit agens et patiens, ut patet in omnibus actionibus immanentibus ut intellectione etc. Idem fit in passionum a subjecto emanatione etc. ut notarunt Conimbricenses cit. concl. 2. Similiter si potentia motiva angeli non distinguitur ab eo idem est movens et motum, et similiter cum anima rationalis acquirit novum ubi quo fit præsens parti per nutritionem aggeneratæ, si tamen potentia motiva distinguitur secus est. Præterea clarum est in motibus physicis et materialibus, fere semper distingui partem quæ movet et quæ movetur, ut cum aqua se reducit ad frigus, forma substantialis producit frigus, quantitas subjectat; cum nutritur vel augetur vivens, partes viventis præexistentes alterant cibum, et potentia nutritiva inducit in illum formam, vel unionem cum forma in homine. Cum localiter movetur vivens, pars movens est anima, pars mota materia; similiter si gravia immediate moveantur a gravitate tanquam causa effectiva motus, licet talis motus tribuatur generanti ut disp. sequ. dicetur, tunc gravitas est causa principalis et totalis motus, sicut calor existens in aqua est causa calefactionis, et virtus impressa est causa immediata motus violenti, et ita causa movens gravia et

levia est gravitas, subjectum vero ipsum compositum quod movetur, ad cujus motum per accidens movetur gravitas.

Jam potest esse quæstio de nomine, an cum homo v. gr. movetur dici possit anima per se moveri, ac proinde cum non moveatur ab alia causa efficiente, quam a se ipsa, idem dici possit per se movens et per se motum, an potius materia dici debeat per se mota; dicere enim quis posset materiam per accidens moveri eo quod anima moveat seipsam, unita autem sit illi materia. Hæc inquam quæstio est de nomine, et negari non potest animam habere proprium motum distinctum a motu subjectato in corpore, et hunc motum effective produci ab anima.

QUAESTIO OCTAVA.

An motus vel alia res creata fuerit, vel esse potuerit ab aeterno.

Aeternitas si sumatur pro duratione indefectibili entis quod a se est, nulli creaturæ communicari potest ut optime docuit Molina 1. p. qu. 10. art. 3., nam æternitas hoc modo sumpta conjuncta est cum summa immutabilitate, infinitate et aliis attributis propriis Dei. Si autem sumatur pro duratione defectibili quidem sed carente initio, hoc modo non est attributum Dei, sed potius imperfectionem Deo repugnantem includit. De hac igitur æternitate an communicari possit creaturæ disputamus, an scilicet quomodo res incorruptibiles habent durationem ex se fine carentem, ita produci potuerit res quæ non habuerit initium quo primum ita coeperit esse ut ante non fuerit. Ex dicendis autem in Metaphysica suppono, Deum esse causam efficientem rerum omnium sive eæ fuerint ab æterno, sive non. Et item libere et non necessario operari et producere effectus ad extra. Jam ergo

Prima sententia est Aristotelis 8. Phys. initio et sæpe alibi, qui mundum ab æterno fuisse, nec unquam cœpisse esse testatur, cujus rationes colligunt et solvunt Pererius libr. 15. cap. 2. et 3., Conimbricenses 8. Phys. cap. 2. qu. 4., Toletus ibi qu. 1., Soto qu. 2. Probatur *primo.* In 12. Metaph. text. 30., 8. Phys. text. 53. ait Deus est actus purus, et omnino immutabilis; at si mundus non fuisset ab æterno, Deus ante fuisset duntaxat potestate causa, postea actu. Et similiter si aliquando produxisset et aliquando non, mutatus fuisset: ergo ut Deus sit immutabilis

vel semper produxit et movit, vel nunquam incipere potuit de non movente actu, fieri movens. Confirmatur argumento quod adfert Valentia 1. p. columna 977. Deus ab æterno habuit actum intellectus et voluntatis per quem producit creaturas et constituitur actu producens, cum illi actus sint ipse Deus. Sed impossibile est ut Deus sit actu producens, nisi effectus sit actu productus. Ergo sicut Deus ab æterno fuit creator et causa: ita etc. Quod vero per actum intellectus et voluntatis constituatur Deus causa actu, probatur. Nam certum est non constitui Deum in esse causæ realis per aliquod ens rationis; revera enim licet nullum ens rationis fingatur in Deo, adhuc ipse vere et realiter est causa, nec per aliquid reale quod de novo adveniat Deo, id enim immutabilitati ipsius repugnat: ergo.

Secundo argumentatur Aristoteles 8. Phys. a text. 5. Si non fuit mutatio ab æterno sed cœpit aliquando et data est prima mutatio, vel ergo ait id quod primum mutatur ante fuit, vel non fuit sed de novo producebatur. Si producebatur: ergo præcessit mutatio per quam productum est mobile et ita ut text. 9. concludit, erit aliqua mutatio prior prima. Si fuit ante, absurdum est sempiterno tempore ne unicum quidem motum effecisse. Addit text. 10. quod si tempus non semper fuit: ergo prius non fuit, et posterius deinde cœpit esse. At prius et posterius non datur sine tempore: ergo si tempus cœpit esse, fuit tempus antequam esset.

Tertio text. 56. sic argumentatur. Deus et natura ex possibilibus faciunt semper quod melius est; at melius est motum cœli continuum et æternum fuisse, sicut enim præstat esse quam non esse, ita præstat semper fuisse quam cœpisse esse. Verum div. Thomas 1. p. qu. 46. art. 1. et Valentia in illum locum, Toletus cit. qu. 1. in fine, Argentina 2. dist. 1. qu. 2. art. 1. arbitratur Aristotelem non censuisse mundi æternitatem a se demonstratam esse simpliciter, sed solum contra antiquos qui mundum cœpisse per motum physicum arbitrabuntur. Unde inquiunt 1. Top. cap. 9. problema dialecticum vocat, an mundus sit æternus, vel non. Sed recte Pererius illo lib. 15. initio, Conimbricenses illo cap. 2. qu. 3. art. 1. ostendunt Aristotelem revera sensisse mundum fuisse ab æterno, illud autem 1. Top. vel gratia exempli tantum attulisse, vel certe quia plurimi sapientes censebant mundum non fuisse ab æterno, idque ad rationem problematis sufficiat, ideo vocavit problema dialecticum. Et quamvis Christiani omnes con-

veniant mundum non fuisse ab æterno, Eugubinus tamen relatus a Molina supra credit angelos et cœlum empyreum ab æterno esse condita, quem bene refellit Molina. Si enim ab æterno res quæpiam producta fuisset, verum non esset illud Proverbiorum 8.: Dominus possedit me antequam quidquam faceret.

Secunda sententia est omnium Aristotele antiquiorum, qui mundum non ab æterno fuisse sed genitum esse tradiderunt ut testatur Aristoteles 1. Cœli text. 102. quos late referunt Conimbricenses illa qu. 3. art. 1. ubi etiam ostendunt hanc fuisse Platonis in Timæo et alibi sententia, quod etiam Aristoteles 8. Phys. text. 10. testatur. Licet enim Plato putarit materiam fuisse ab æterno ut loco cit. probant Conimbricenses, a Deo tamen non nisi in tempore mundum esse compactum docet. Et hæc est omnium orthodoxorum indubitata sententia quod scilicet mundus non ab æterno, sed ex tempore sit conditus a Deo. Nam illud Genesis 1. „In principio“ sancti exponunt: initio temporis etc. Inter quos tamen non levis est controversia, an saltem de potentia Dei absoluta potuerit aliqua res creata esse ab æterno, ita ut semper Deo coextiterit, nec unquam fuerit verum dicere Deus est, et talis creatura non est.

Aliqui ergo censent fieri potuisse ut ab æterno produceretur aliqua creatura. Est divi Thomæ 1. p. qu. 46. art. 2., 2. Cont. gent. cap. 46. et 48., Ferrariensis et Cajetani in illa loca, Soncinatis 12. Metaph. qu. 31., Soti 8. Phys. qu. 2., Conimbricensium 8. Phys. cap. 2. qu. 6. art. 2., Pererii lib. 15. cap. 13., Molinæ 1. p. qu. 46. art. 3., Gregorii et Gabrielis 2. dist. 1. qu. 3., ibique Durandi, Occam, Capreoli, Scoti qu. 3. Verum hi non eodem modo omnes sentiunt. Nominales enim ut Occam, Gabriel, Gregorius mundum secundum omnes suas partes ajunt potuisse ab æterno creari, ac proinde eodem modo quo de facto existit mundus cum omnibus rebus etiam successivis, ajunt potuisse ab æterno produci. Et saltem aliquod successivum ab æterno esse potuisse Conimbricenses citati qu. 7. art. 4. et Capreolus, Ferrariensis, Aegydius, Hervæus, quos citant articulo 3. probabilius esse putant sicut et Pererius lib. 15. cap. 13. propos. 4. Contra vero alii ut Durandus etc. volunt solas res permanentes, sive natura sua incorruptibiles, sive corruptibiles quidem natura, sed tamen divina virtute conservatas sine corruptione, potuisse ab æterno procreari. Unde fatetur Durandus res corruptibiles, i. e.

quæ ex sua natura habent durationem finitam si naturæ suæ relinquerentur non potuisse esse ab æterno. Ratio est, nam res corruptibilis non potest connaturaliter durare æterno tempore: ergo corrupta fuisset, et non durasset æterno tempore. Vel ergo corrupta fuisset ab æterno, et sic ab æterno fuisset, et ab æterno corrupta esset, atque ita non fuisset, quod manifeste implicat ut infra ostendemus. Vel non fuisset corrupta ab æterno, sed in tempore, et sic necessario præcessisset æterna duratio illius, quod est contra naturam ipsius, atque ita si ab æterno ignis et stuppa sibi approximata producta essent a Deo, per æternam durationem nulla fuisset inter illa actio, quod est præter naturam hujusmodi rerum corruptibilium. Si ergo hujusmodi res ab æterno essent productæ debuissent a Deo conservari æterno tempore, præter naturam illarum rerum.

Similiter fatetur Durandus etiam res incorruptibiles connaturaliter suis principiis creari non potuisse ab æterno et sine initio durationis. Ratio est, nam licet concederemus substantias incorruptibiles non habere successionem in sua duratione, in actionibus tamen habent successionem connaturaliter, neque enim perpetuo in eadem numero operatione quam semel habuerunt ita permanent, ut alia nunquam succedat nisi miraculose, et præter ordinem naturalem talium rerum. Angelus enim v. gr. plures intellectiones et volitiones liberas sibi succedentes elicit connaturaliter, movebit se localiter etc. et tamen si ab æterno crearetur habens aliquam operationem, infinito tempore in illa permanere deberet, nec posset aliam habere operationem priori succedentem ab æterno, ut constabit ex dicendis. Si autem crearetur sine operatione, ita ut aliquando esset sine ulla operatione, non posset ab æterno ullam operationem habere, sed deberet per infinitam durationem esse sine operatione ut mox ostendetur. Non est autem consentaneum naturæ ullius rei vel infinita duratione esse sine omni operatione, vel cum una duntaxat operatione. Unde si ab æterno crearetur res talis, præter naturam illius deberet Deus vel sine omni operatione, vel cum illa duntaxat quam semel habuit in æternum conservare.

Quod igitur possibile sit saltem per Dei potentiam aliquid fuisse ab æterno, probatur *primo* argumento Pererii, Conimbricensium etc. Quod non implicat contradictionem manifestam potest a Deo fieri. Sed aliquid ab æterno produci non involvit contradictionem: ergo. Minor probatur. Vel enim idcirco implicat quia

causa producens necessario prior esse debet effectu producto; nihil autem prius est æterno. Vel quia aliquod attributum Dei, nempe æternitas et infinita duratio, communicari non potest creaturæ; deberet autem communicari si ab æterno res fuisset. Vel quia Deus libere produceret talem creaturam, ac proinde debuit indifferens esse ad producendum et non producendum antequam produceret, et sic aliquando fuisset Deus cum nondum erat creatura. Sequela probatur. Nam res dum est necessario est, ac proinde tunc non est liberum ut sit vel non sit: ergo solum antequam res esset poterat Deus esse liber et indifferens ad producendum et non producendum. Vel quia produci deberet illa res ex nihilo tanquam ex termino a quo, ac proinde prius deberet non esse, postea esse. Vel denique quia ut multi juniores dicunt creatio a conservatione necessario debet distingui, nisi enim distingueretur tam proprie dici posset mundus nunc creari sicut dicitur conservari vel creatus esse ante sex annorum millia, quod est contra communem sensum omnium. In re autem producta ab æterno non posset distingui creatio a conservatione; tum quia ad rationem creationis distinctæ a conservatione necessarium est ut ante res non fuerit; tum quia creatio debuisset esse ante conservationem, et non potuit nisi in aliquo instanti fieri creatio rei permanentis, siquidem creatio ut distincta a conservatione exigit ut res immediate ante non fuerit; si enim ante fuit, non creatur sed conservatur: ergo aliquod primum instans dari deberet quo primum res esse cœperit.

Sed nullum ex his argumentis ostendit implicantiam, quod probant solvendo singula argumenta. Prima ergo implicatio nulla est, nam licet causa debeat esse prior natura suo effectu, non tamen debet esse prior duratione. Unde recte Augustinus 6. De Trinit. cap. 1. docet quod si sol esset ab æterno, etiam lumen esset ab æterno. Sicut ergo causa finita habere potest effectum æqualis durationis sibi, ita etiam causa æterna et durationis infinitæ potest habere effectum æternum. Secunda etiam nil valet, nam ut initio quæstionis diximus duratio creaturæ ab æterno productæ non esset æternitas quæ est proprium Dei attributum, sed quædam illius participatio, sicut duratio angelorum æterna a parte post differt a Dei æternitate. Tertia non urget, si quid enim probat, ostendit etiam Deum non potuisse habere ab æterno actus liberos, quia nunquam præcessit potentia ita ut tunc non fuerit actus liber.

Dico ergo: agens non tantum habet libertatem producendi et non producendi antequam producat effectum, sed etiam dum actu producit, ut ostendit Molina 1. Phys. qu. 14. art. 13. disp. 4. et diximus agentes de veritate propositionum de futuro contingenti. Unde ad hoc ut aliqua causa libere producat, non est necessarium ut tempore præcedat effectum. Quomodo autem intelligatur illud dictum: quod est dum est necessario est, loco citato explicavimus. Quarta ratio non urget, dici enim potest, non esse de ratione rei quæ creatur ut ante non fuerit, seu ut nihil ipsius præcesserit, nam ut Conimbricenses et div. Thomas Opusc. de ætern. mundi docent ex Anselmo in Monolog. cap. 8. cum dicitur creatura fieri ex nihilo, solum sensus est negativus, hoc est non fieri ex aliquo subjecto præjacente, quod fieri potest licet nunquam præcesserit non esse rei, ante ipsius esse. Ultimum denique nullam contradictionem ostendit. Nam creatio a conservatione non est semper ex natura rei distingenda, ut enim 2. Phys. disp. 3. qu. 2. dub. 3. circa 2. diximus, interdum re ipsa eadem est actio per quam res primo producitur, et per quam conservatur, quod etiam disp. De tempore qu. 4. dicto 3. ostendimus. Verum tamen est per intellectum distingui hanc eandem numero actionem, ita ut quatenus præcise est productio ex nullo subjecto præexistente, dicatur creatio, quatenus vero terminus talis actionis intelligitur ante præextitisse et per eam actionem conservari in suo esse, dicatur conservatio. Et hæc distinctio sufficit ut formaliter loquendo non possit vere dici rem quæ ante præfuit in hoc instanti creari, licet identice bene dici possit. Nec tamen ex hoc sequitur assignari posse aliquod instans in quo talis actio solam rationem creationis et non etiam conservationis includat, sicut illa qu. 4. De tempore diximus, actionem qua res permanens in tempore producitur esse productionem et conservationem simul. Unde creatio qua Deus ab æterno produxisset rem licet tota simul esset, non tamen deberet esse solum instantanea, nam conservatio qua de facto conservantur angeli, est tota simul, et tamen non in solo instanti. Ita ergo etc.

Probatur secundo conclusio. Nam mundum esse creatum in tempore est articulus fidei: ergo non potest demonstrari; sed si posset ostendi nullam rem potuisse esse ab æterno, posset consequenter ostendi mundum conditum esse in tempore: ergo. Est hoc argumentum div. Thomæ 1. p. qu. 46. art. 2. *Confirmatur primo.*

A parte post fieri potest ut aliquid habeat æqualem durationem æternitati Dei, ut angeli, animæ etc.: ergo etiam a parte ante poterit. *Confirmatur secundo.* Circulationes cœli quas Deus videt possibiles fuisse ante hodiernam, non sunt finitæ: ergo infinitæ: ergo sunt possibiles infinitæ; at non possent esse infinitæ nisi essent ab æterno: ergo poterant esse ab æterno. *Confirmatur tertio.* Si non potuit ab æterno, ponamus Deum fecisse in primo instanti quo potuit. Et tunc sequitur manifeste fuisse ab æterno, cum ante quamlibet finitam durationem posteriorem æternitate, poterat Deus producere. *Confirmat quarto* Gregorius, nam possibilis est productio Fili Dei ab æterno: ergo productionem similiter per quam creatura producitur possibile est ab æterno fuisse, cum non sit major implicatio in una quam in alia.

Alii vero auctores censent nullam creaturam potuisse esse ab æterno. Ita sentiunt Toletus 8. Phys. qu. 2. sub finem, Henricus Quodl. 1. qu. 7. et 8., Marsilius 2. qu. 1. art. 2., Albertus et Bonaventura citati a Valentia et Vasquez, et ipse Valentia 1. p. col. 986. ubi tamen fatetur, nondum hujus rei rationem esse inventam, Holcot 2. qu. 2. art. 5. et est communis SS. Patrum quos ibi Valentia refert. Nam div. Augustinus 12. De civit. cap. 15. angelum ait non semper fuisse, creatura enim dici non posset si semper fuisset; lib. De fide cap. 3. quamlibet creaturam ait habere debere initium durationis quia non est Deus; et lib. cont. Felicianum cap. 7. creaturam ait esse quæ aliquando non fuit. Ambrosius lib. 1. Hexæmer. cap. 3., Athanasius Orat. 2. et 3. Contra Arianos, probant quamlibet creaturam habere initium durationis, quia nulla creatura potest esse Deus et Deo coæterna. Damascenus etiam lib. 1. De fide cap. 9. creationem Deo coæternam esse non posse ait. Deinde Patres agentes contra Arianos frequentissime utuntur hac consequentia: Filius est ab æterno: ergo est Deus, ut videre est apud Cyrillum libro 2. Thesauri cap. 2. libr. 12. cap. 3. et seq.

Respondet Suarez disp. 20. sect. 6. n. 21. Patres argumentari contra Arianos ex suppositione fidei certa, quod scilicet de facto nulla creatura producta sit ab æterno. Contra est, nam Augustinus contra Maximum arianum testatur arianos concessisse, non omnem creaturam cœpisse esse initio temporis, sed aliquam fuisse ab æterno, concedebant enim Christum esse creaturam, et tamen esse ab æterno. Si ergo patres supponant nullam creaturam potuisse esse ab æterno, supponunt id in quo erat controversia. Et demum

ex eo quod non sit Deus inferunt non esse ab æterno, quæ nihil valent si creatura potest esse ab æterno. Minus probabile est quod ait div. Thomas in fine Opusculi de mundi æternitate Patres loqui de coæternitate indefectibili, ita ut velint creaturam non posse habere æternitatem indefectibilem propriam Dei quod et Suaresio placet illo num. 21. Id enim non est aliud quam dicere nullam creaturam posse esse Deum, cum æternitas indefectibilis sit ipse Deus, ex quo nihil probarent contra Arium dicentem Christum esse creaturam, nec habere illam durationem indefectibilem et ideo esse minorem Patre. Hinc omnino evidens est, Patres absolute dicere eo ipso quod aliquid creatum est, non esse æternum.

Dico primo. Impossibile est rem ullam successivam fuisse productam ab æterno. Est div. Augustini 12. Civit. cap. 15. ubi ait tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum, et tenent probantque hanc conclusionem Durandus et Toletus supra quibusdam argumentis, quæ tamen facile ex iis quæ de quantitate et infinito sunt dicta solvi possunt, ac proinde sunt mera sophismata, et solvuntur a Conimbricensibus ubi supra qu. 7. art. 4., Valentia col. 982. Imo etiam argumentum Valentiæ quo probat hanc conclusionem infirmum est.

Probo igitur primo. Si ens successivum esset ab æterno, partes priores et posteriores essent ab æterno; sed hoc manifeste implicat contradictionem: ergo. Major probatur. Nam res successiva sive determinatæ sive indeterminatæ magnitudinis essentialiter includit compositionem ex partibus sibi succedentibus, et in hoc distinguitur a re permanente. Si ergo res successiva esset ab æterno, partes sibi succedentes ab æterno essent; at inter partes quarum una succedit alteri, una est ante aliam, altera post aliam: ergo si res successiva esset ab æterno partes priores et posteriores essent ab æterno. Minor probatur. Nam quod est ab æterno non potest esse posterius duratione altera duratione antecedente. Si enim habet aliquid prius se, verum fuisset dicere illam rem prius non fuisse, et postea esse cœpisse, atque ita habuisse initium sui esse; at partes posteriores habent aliquas partes ante se duratione priores, ita ut cum partes priores sive determinatæ sive indeterminatæ existunt, partes posteriores non existant: ergo impossibile est ut partes priores et posteriores sint ab æterno: ergo etiam ut res aliqua successiva.

Confirmatur. Si res successiva fuisset ab æterno, aliquid fuisset

corruptum ab æterno; sed hoc est impossibile: ergo. Major probatur. Nam res successiva est composita ex partibus quarum cum posterior existit, prior jam corrupta est sive determinata sit illa sive indeterminata, atque ita si ab æterno fuisset compositum tale cujus una pars fuerit corrupta cum alia existeret, sicut illud compositum fuisset ab æterno, ita et aliqua corruptio, nempe partis prioris fuisset ab æterno. Minor probatur. Nam quod corrumpitur debuit esse in rerum natura antequam corrumperetur, et tunc verum erat non esse corruptionem, sed postea secuturam, ac proinde aliquando non fuit corruptio, et postea facta est. At quod prius non fuit, et postea cœpit esse non potest ab æterno fuisse et esse sempiternum, ut optime docet Aristoteles 1. Cœli text. 40.

Secundo sic argumentor ad ostendendum quod nullum ens compositum essentialiter ex partibus prioribus et posterioribus, quale est omne successivum, possit esse ab æterno. Nullum ens duratione posterius Deo potest esse ab æterno; sed omne ens compositum essentialiter ex partibus prioribus et posterioribus, est posterius duratione Deo: ergo. Minor probatur. Nam compositum cujus una pars essentialis est posterior duratione altera, totum est posterius duratione Deo; sed omne ens compositum ex partibus prioribus et posterioribus est tale ut una ejus pars sit posterior duratione altera ut per se patet: ergo. Major probatur. Omne totum cujus prior pars infinito tempore non præcedit posteriorem, quæ tamen duratione posterior est Deo, totum est posterius duratione Deo; nulla enim est duratio rei quæ non sit æterna, quam Dei duratio non præcedat infinite etc. Sed quodlibet successivum est compositum cujus prior pars non præcedit infinito tempore posteriorem partem. Ergo quodlibet ens successivum est posterius duratione Deo. Minor probatur. Nulla pars quæ ita est prior altera, ut sit immediata posteriori, est prior infinito tempore parte posteriore. Sed in composito successivo prior pars est immediata posteriori. Ergo in nullo composito successivo prior pars est infinito tempore ante posteriorem, quæ tamen pars posterior ab æterno non est.

Ex quo evidenter sequitur primo. Impossibilem esse collectionem individuorum sibi succedentium ab æterno, etiamsi quodlibet illorum individuorum esset permanens, si tamen æterno tempore non durasset aliquod. Ratio est. Nam si talis multitudo individuorum succedentium est ab æterno: ergo cum nullum individuum cœperit esse nisi per productionem, si individua fuerunt ab æterno,

etiam eorum productiones, et similiter corruptiones eorum fuissent ab æterno; si enim corruptio non fuisset ab æterno, infinita duratio intercessisset inter generationem et corruptionem, proinde individua generata infinito tempore durassent, ac proinde non fuisset secundum individuum productum nisi postquam primum durasset infinitum, quod est contra hypothesim. At omnino impossibile est corruptum fuisse ab æterno, nam corruptio necessario est posterior generatione, ac proinde non potest esse ab æterno; cum enim sit desitio entitatis prius existentis, essentialiter debet esse posterior entitate rei corruptæ. Si autem nulla est corruptio hujusmodi individuorum quæ fuerit ab æterno, nec erit ulla productio ab æterno, siquidem nulla est corruptio inter quam et productionem rei corruptæ intercesserit infinita duratio; si enim hoc esset, illud individuum durasset infinito tempore, quod ut diximus est contra hypothesim. Solum ergo finita duratione v. gr. centum annorum prior est generatio corruptione, et consequenter generatio eo ipso non fuisset æqualis Deo in duratione. Deus enim ante quamlibet durationem quæ non fuit ab æterno, non tantum centum annorum, sed infinita duratione prior fuit. Confirmatur. Vel illa tota collectio individuorum secundum se totam est ab æterno, et hoc implicat cum individua posteriora ab æterno non fuerint; vel secundum partem: illa ergo pars hujus collectionis quæ est ab æterno, vel est multitudo aliqua individuorum sibi succedentium, et eodem modo hujus multitudinis posteriora individua ab æterno esse non possunt; vel est unicum tantum individuum, et illud fieri non potest ut fuerit ab æterno si nullum posteriorum individuorum fuit ab æterno.

Sequitur secundo. Impossibilem esse propagationem specierum corruptibilium ab æterno per generationem individuorum sibi succedentium ut facta argumenta ostendunt, atque ita etiam evidens est contra Aristotelem mundum eo modo quo nunc est ab æterno esse non potuisse, consequenter nec fuisse ab æterno. Alia vero argumenta quibus aliqui probant mundum non fuisse ab æterno ut videre est apud Conimbricenses 8. Phys. cap. 2. qu. 3. art. 3., Pererium in illud Gen. 1. In principio etc., Valentiam 1. p. col. 975. non probant efficaciter.

Dico secundo. Creaturam aliquam permanentem ab æterno fuisse productam est omnino impossibile. Ita sancti Patres supra citati. Probatur. Impossibile est rem ullam permanentem creatam dari sine actione intrinseca per quam duret. Sed quælibet duratio

creata si non sit tantum instantanea habet successionem partium ut disp. De tempore qu. 1. ostendimus. Ergo sicut impossibile est rem successivam esse ab æterno ut demonstravimus, ita etiam ullam durationem creatam, ac proinde ullum ens creatum, et consequenter optime inferunt Patres, quod si aliquid Deus non est, ab æterno non sit. Et hæc ratio demonstrat conclusionem suppositis iis quæ illa disputatione de tempore diximus. Confirmatur hæc conclusio a quibusdam. Nam ex Aristotele 1. Cœli text. 140. impossibile est quod sempiternum erat prius corrumpi posterius; et quamvis hoc universaliter non admittatur, tamen universaliter verum est, non potuisse rem ab æterno corrumpi, sed necessario debuisse æternum durare, quo posito sic argumentor. Res quæ non pendet in conservari a Deo est a se, et non creatura sed Deus ut ex dictis 2. Phys. disp. 3. qu. 2. dub. 3. patet. Revera enim si non indiget aliqua res ad sui conservationem Dei concursu, nec egebit ad productionem, ut ex eadem disp. qu. 4. dicto 2. constat. Sed res quæ ab æterno fuisset non dependisset a Deo in conservatione, nam sive Deus vellet illam conservare sive non, et sive conservaret sive non, illa tamen res non posset desinere esse ab æterno, sed æternum duraret. Ergo nulla est necessitas conservationis divinæ.

Jam ad argumenta Aristotelis respondeo. Ad primum respondet late Pererius ad 6. Procli. Breviter dico: Deum esse omnino immutabilem, nec ex eo quod de novo aliquid producatur, et incipiat esse creator actu cum ante non esset creator vel creans actu, sequitur mutatio in Deo. Ratio est, nam actio transiens a qua Deus denominatur extinsece creans, vel relatio realis creaturæ a qua creator dicitur, nihil intrinsecum ponit in Deo, sed tantum in creatura, sicut etiam cum ignis incipit esse calefaciens manum, quam ante non calefaciebat, cum ejus actio in manu sit, solum mutat manum et non ignem, qui solum dicitur agens, causa efficiens actu etc. denominatione extrinseca. Nec incipit Deus cum aliquid creat habere de novo actum voluntatis qua velit creare mundum, sed ab æterno sine ulla mutatione, libere voluit mundum condere eo tempore quo condidit, ut recte Pererius ad 6. Aristotelis et Conimbricenses illa qu. 4. art. 4. ad 4. Unde non voluit mundum esse ab æterno, sed voluit mundum tunc incipere cum incœpit, licet ab æterno fuerit quidquid Deo intrinsecum et necessarium est ad creationem mundi. Sicut ergo quotidie Deus creat animas

et concurrit nobiscum ad actiones ad quas ante non concurrebat sine sui mutatione: ita etc. Ad confirmationem Valentiæ respondeo: Deus constituitur actu producens per productionem quæ est actio transiens ut agentes de creatione ostendimus, et non per ens rationis.

Ad secundum. Datur prima productio per quam v. gr. ex nihilo cœli sunt conditi, et talis productio mutatio non est. At vero motus localis quo post productionem moveri cœpit mutatio fuit, sed ex his non sequitur mutationem fuisse ante mutationem, sed tantum creationem fuisse ante mutationem quod verissimum est. Cum autem dicimus prius non fuisse tempus et postea incœpisse, illud prius non significat differentiam temporis, sed solum significat non semper fuisse motum, ac proinde aliquando fuisse Deum, et non motum vel tempus, sicut cum Aristoteles dicit 1. Cœli text. 99. extra cœlum nihil esse, illud *extra* vel *supra* cœlum non significat differentiam loci realis.

Ad tertium respondeo. In primis Deum et naturam facere quod melius est ex possibilibus, motum autem esse ab æterno impossibile est. Deinde falsum est Deum semper facere quod melius est; pro sua enim libertate cum potuerit multa perfectiora creare iis quæ de facto creavit, noluit perfectiora producere. Et quamvis concederetur aliquid potuisse creari ab æterno, tamen div. Thomas 2. Cont. gent. cap. 38. optimas rationes adfert, cur fuerit conveniens non creari nisi in tempore, ut scilicet intelligeremus mundum ab alio habere esse, et Deum nec naturæ necessitate agere, nec ulla re egere, sed seipso beatum esse, licet nulla sit creatura, et ut innotesceret dependentia creaturæ a Deo; quod enim non semper extitit clarum est debuisse habere causam a qua produceretur, quod in re æterna non ita clare apparet.

Ad argumenta eorum qui dicebant aliquid ab æterno esse potuisse, ad primum. Recte ostendit nullam ex illis rationibus ibi allatis ostendere impossibilitatem rei; sed nos alias rationes supra attulimus, quas nondum vidi solutas ab ullo, sicut nec propositas. *Ad secundum.* Etiam Deum esse, animam rationalem esse immortalem etc. est articulus fidei, et tamen potest demonstrari.

Ad primam confirmationem. Nego paritatem, nam ut a parte post sit aliqua res sempiterna, sufficit si nulla duratio sumi possit post quam non existat res permanens vel alia pars rei successivæ, licet quæcunque sumatur finita sit.

Ad secundam. Deus videt actu et simul circulationes omnes

possibiles ante hodiernam, quæ sunt finitæ in infinitum, sicut de cogitationibus beatorum, de partibus in quas continuum est divisibile etc. diximus qu. 6. De quant. Unde non videt Deus ullam circulationem possibilem esse ab æterno, sed videt infinitas syncategorematice. Nec videt ullam qua non videat aliam priorem posse se producere, sicut in quantitate nullam videt partem proportionalem qua non sit minor.

Ad tertiam confirmationem. Nullum potest dari primum instans in quo Deus ita potuerit creare ut ante non potuisset, sed ante quodlibet instans potuit in infinitum, sicut ante quamlibet divisionem quantitatis in partes proportionales versus minimum potest facere aliam.

Ad quartam. Si id quod producitur Deus sit habeatque durationem necessariam et totam simul, fateor produci potuisse ab æterno, secus minime.

Et hæc de motu in communi. Nam de spatio motus, an scilicet possit esse vacuum, et de comparatione motuum in perfectione, velocitate et tarditate, disputatione sequenti dicemus. An vero movens et motum seu agens et passum debeant esse simul 2. Phys. explicavimus. De attributis autem primi motoris, scilicet existentia, libertate, immutabilitate, vel in Metaphysica vel in Theologia est ex professo disputandum.

Disputatio V.

DE MOTU LOCALI.

De alteratione, augmentatione et generatione in libris De generatione disputat Aristoteles, de motu vero locali passim in his Physicorum libris. Nos breviter quæ de locali motu dici posse videntur hoc loco explicare statuimus.

QUAESTIO PRIMA.

An detur aliquis terminus motus localis intrinsecus mobili et qualis.

Motus localis id totum commune habet cum aliis motibus, quod est de intrinseca ratione motus in communi. Unde motus

localis est essentialiter actio quædam et exercitium potentiæ activæ. Quærimus ergo, an talis motus habeat terminum qui fiat per illum intrinsecum mobili.

Prima sententia est Gregorii qui 2. dist 6. qu. 1 art. 2. per motum localem docet nihil acquirere mobile, putat enim ipse ut constat ex 2. dist. 1. qu. 4. art. 1. §. Prima conclusio specialis, et art. 2. in decima objectione et deinceps, sicut omnem motum et omne ens successivum esse idem cum aliqua re absoluta, ita motum localem esse ipsum spatium successive locans mobile secundum diversas sui partes. Fundamentum ejus est, quia putat se demonstrasse non posse dari ens successivum distinctum a permanente. Idem sentit Fonseca 5. Metaph. cap. 15. qu. 7. sect. 5. ad 3. et 5. dicens, terminum motus localis esse locum, et motum localem identificari cum loco.

Secunda sententia est dicentium per motum localem nil produci, sed solum habere terminum extrinsecum scilicet locum. Ita Sotus 5. Phys. qu. 2. art. 2. ad argum. Scoti; Conimbricenses citant 3. Phys. cap. 3. qu. 2 art. 1. Soncinatem, Hervæum etc. pro hac sententia; favet div. Thomas 1. p. qu. 110. art. 3. et Aureolus 3. Phys. qu. 3. concl. 2. Probatur primo ex Aristotele 8. Phys. text. 59. ubi ait per motum localem nil intrinsecum mobili acquiri, textu vero 55. et. 57. terminum motus localis ait esse locum. Secundo probatur ratione. Nam si quis alius est terminus motus localis intrinsecus mobili, vel est absolutus, vel respectivus. Non respectivus, ut infra ostendam; quod vero non possit esse aliquid absolutum, probo. Nam hoc accidens absolutum vel est unum, vel multa. Non unum, nam illud deberet esse successivum aut permanens. Si permanens: ergo cum corpus per unum ubi permanens non possit esse in diversis spatiis successive (unum enim ubi constituere non potest rem nunc hic, postea alibi), sequitur mobile in motu locali non occupare successive plura loca. Si successivum: ergo ejus partes continuari debent; si quod autem est continuativum partium ubi, illud erit in instanti et totum simul sicut et continuativa motus et temporis, nec aliud esse potest quam ubi per quod mobile consituitur in loco sibi æquali permanenter. Sed ubi permanens cum sit species completa prædicamenti ubi, non potest esse continuatio ubi successivi: ergo. Nec multa; si enim per motum localem acquiruntur plura ubi, et non unum per continuationem, sequitur quod sicut termini motus localis non sunt continuati, ita nec partes

præcedentes et sequentes motus continuarentur. Revera enim si partes qualitatis acquisitæ per alterationem non essent continuatæ, nec alteratio esset continua. Ex quo sequitur in motu locali quodlibet ubi simul acquiri totum et non partem post partem, atque ita motus localis non esset continuus, sed coacervatio multarum mutationum instantanearum, quod falsissimum est ut latius lib. De gener. Confirmatur. Nam si datur tale accidens vel illud acquiritur immediate post motum, vel toto tempore quo durat motus. Si primum: ergo acquiritur ubi sine motu locali. Si secundum: contra est, tum quia ubi est accidens immobile ut disp. De loco diximus: ergo non potest convenire subjecto dum actu movetur, nam cum est in subjecto reddit illud immobile: ergo si illud subjectum simul ponatur moveri, simul quiescet et movebitur; tum quia per motum naturalem non potest acquiri nisi ubi per quod res in naturali loco consistat. Illud autem ubi post motum acquiritur, cum primum enim mobile est in loco naturali, cessat motus: ergo.

Tertia sententia est: per motum localem acquiri aliquid intrinsecum ipsi mobili; sed hi non eodem modo rem explicant. Aliqui enim putant terminum esse relationem rationis præsentiæ, et tribuitur Gabrieli 2. dist. 2. qu. 3. Alii ajunt acquiri ubi intrinsecum mobili; ita Durandus 3. dist. 5. qu. 2., Pererius lib. 14. cap. 2. ad 4. quod acquiritur per motum localem ait est ubi subjective existens in mobili, idem lib. 11. cap. 7. ad 2. Idem sentiunt Conimbricenses 3. Phys. cap. 3. qu. 2. art. 2. ubi tamen ajunt, hoc ubi quod est terminus motus localis esse ipsam quantitatem mobilis.

Dico primo. Motus localis est in eo quod movetur tanquam in subjecto intrinsece, et per illum producitur aliquid intrinsecum ipsi mobili, scilicet ubi. Prima pars est Conimbricensium supra et quos ipsi citant Soti, Toleti, Janduni, Durandi, Majoris, Occam; item Suarez disp. 51. sect. 1. et 2. totam conclusionem docet. Probatur primo, quia motus omnis est actus mobilis ut docet Aristoteles 3. Phys. initio, et tum ibi tum 9. Metaph. text. 16. ex professo docet motum omnem esse in mobili: ergo non in corpore circumstante. Deinde si motus non est in mobili: ergo mobile non movetur nisi forte per denominationem extrinsecam. Et præterea non mutaretur mobile per motum, ex eo enim quod extrinsecum aliquid recipiat in se motum et mutationem, ego non mutor: ergo. Ad hæc, potest res moveri localiter in vacuo, et secundum Aristotelem movetur extima superficies ultimæ sphæræ,

et tamen motus illius non potest esse in ullo subjecto extrinseco, cum nullum sit tale subjectum: ergo motus erit vel sine ullo subjecto, vel certe erit in mobili tanquam subjecto.

Secunda pars præter auctores tertiæ sententiæ est Molinæ 1. p. qu. 52. art. 1. et Aristotelis qui 5. Phys. text. 9. docet ad ubi terminari motum localem. Ratio est evidens a Molina allata. Nam motus localis est vera actio et exercitium potentiæ loco motivæ et operatio causæ efficientis ut ostenditur argumentis quibus probavimus motum omnem esse actionem: ergo cum impossibilis sit actio per quam non producatur aliquis terminus realis ut 2. Phys. ostendimus, per motum localem debet aliquod ens reale produci. Illud autem non potest esse nisi in subjecto in quo est ipse motus localis, tum quia ut 2. Phys. disp. 3. qu. 2. dub. 2. dicto 2. ostendimus actio debet esse conjucta intrinsece termino (id quod clarum est in eorum sententia qui actionem ajunt esse idem re cum termino), si autem essent in diverso subjecto actio et ejus terminus, id non accideret. Tum quia dari potest motus localis in vacuo in quo nullus locus extrinsecus acquiritur, et de facto secundum Aristotelem extima superficies primi mobilis ita movetur ut nullum habeat corpus ambiens quod subjectare possit terminum motus. Idem fieret si Deus totum universum alio propelleret etc. Denique quod hoc accidens sit ubi, probatur tum auctoritate Aristotelis; tum quia per motum localem movemur ut simus in diverso loco: ergo aliquid per illum producitur quod formaliter sit ratio constituendi in diverso loco; tum denique quia id quod producitur per motum localem qui fieret in vacuo non posset esse nisi ubi ut inducenti patebit: ergo cum eadem sit ratio de aliis motibus localibus etc.

Respondet Fonseca loco supra citato ad 6. quod licet per motum localem qui fit in pleno aliquis realis terminus acquiratur, scilicet superficies ambiens, per motum tamen in vacuo solum acquiritur spatium imaginarium. Contra est, tum quia ut mox ostendemus non potest superficies ambiens esse terminus motus localis; tum quia spatium imaginarium non potest per veram et physicam actionem produci ex vi potentiæ realis qualis est potentia motiva. At per motum localem tanquam per veram actionem aliquis verus et realis effectus produci debet: ergo.

Et hac conclusione evidenter sequitur primo contra Gregorium, motum localem non esse idem cum medio per quod fit motus.

Tum quia ut ostendimus motus est in mobili tanquam in subjecto, et non est duntaxat in mobili tantum per realem conjunctionem ut loco cit. ad 3. dicit Fonseca, si enim per solam conjunctionem realem esset in mobili, revera mobile non mutaretur per motum, siquidem nihil intrinsecum acquirit cum movetur, sed solas extrinsecas denominationes: ergo sicut Deus potest denominationes extrinsecas acquirere sine mutatione sui, ita etc.; at si motus localis esset medium ipsum, revera non esset in mobili. Tum quia si quid moveatur in vacuo, vel si Deus totum orbem alio transferat etc. verus et realis motus localis dabitur sine ullo spatio reali. Tum quia motus localis realiter procedit et producitur a potentia motiva; sed spatium successive locans, v. gr. aër non producitur a mea potentia loco motiva: ergo. Tum denique quia ut dixi mobile per motum revera mutatur; at non potest mutari per aliquid extrinsecum sibi, scilicet spatium: ergo.

Sequitur secundo. Superficiem extrinsecam non esse terminum motus localis, patet tum quia terminus cujusque actionis est id quod per illam producitur, et ideo terminus calefactionis est calor etc.; sed motus localis est vera actio potentiæ motivæ, nec per illam producitur superficies ambiens, sed aliquid intrinsecum mobili ut ostendimus: ergo. Tum quia motus localis fieri potest sine ullo externo loco ut in vacuo, vel extra cœlos; tunc autem terminus talis motus non esset superficies et tamen deberet dari aliquis terminus, cum non minus sit impossibile motum dari sine termino, quam dari actionem per quam nihil fiat: ergo.

Sequitur tertio. Motum localem non esse realiter idem cum mobili. Probatur, tum quia si motus localis est idem cum mobili: ergo qui producit motum localem in mobili producit ipsam entitatem mobilis, quæ enim sunt idem realiter eorum generatio est realiter eadem ex Aristotele 7. Top. loco 3., et omnino evidens est quod si aliquid vere et realiter producitur, altero non producto vere et realiter, illa habere diversas entitates et realitates. Sed illa sequela est manifeste falsa, non solum quia clarum est quod cum ego moveo lapidem non producam entitatem lapidis, verum etiam quia ex eo sequitur idem esse causam productivam sui. Nam gravitas lapidis effective movendo corpus in quo est, seipsam etiam movet effective saltem secundario, cum ut infra dicetur aliam causam efficientem motus illius per quem mutat locum habere non possit. Et similiter anima movendo corpus movet seipsam, et angelus

seipsum. Tum quia realiter existente subjecto, non existit motus, sed incipit esse absque mutatione alicujus extrinseci maxime si fiat in vacuo. At quorum unum realiter existit, altero non existente, ea realiter distinguuntur. Ergo. A fortiori sequitur ex dictis terminum motus localis non esse relationem, quia ut ostendimus motus localis est vera et realis actio productiva ubi, quod relationi non convenit.

Dico secundo. *Ubi* quod est terminus intrinsecus motus localis non acquiritur post motum localem, sed cum est ipse motus localis; atque ita licet post motum localem acquiratur immediate per mutationem instantaneam terminus seu ubi per quod mobile est in loco sibi adæquato, tamen per ipsum localem motum producitur ubi per quod mobile est in loco successive. Et quod terminus productus per motum localem sit simul cum motu probatur primo. Nam motus est actio per quam fit terminus; sed impossibile est dari actionem nisi detur terminus qui fiat per illum, præsertim si motus sit idem cum termino: ergo tunc est terminus motus localis cum est ipse motus, et non postquam cessavit motus. Confirmatur. In instanti quo primum incipit ubi per quod res cessante motu est in loco adæquato, verum est dicere immediate ante non fuit iste terminus, sed tunc primum incipit: ergo verum est dicere tunc primum esse actionem per quam producitur. Tunc autem non est motus localis: ergo cum motus localis sit actio, non potest terminus qui fit per illum tunc primum accipere esse cum jam non est actio. Sicut enim quod actu nihil est, actu non potest causare effective, ita nec potest per actionem quæ actu nihil est aliquid fieri.

Secundo. Movere localiter est aliquid efficere per veram actionem; sed non est efficere motum, revera enim motus non producitur per alium motum et actionem: ergo est efficere terminum: ergo impossibile est ut sit motus et non fiat terminus, et proinde ut motus sit ante entitatem termini.

Tertio. Corpus dum movetur localiter est in loco etiam toto tempore motus: ergo per aliquod ubi, quod ut mox ostendam debet esse successivum necessario: ergo. Quod vero immediate post motum producatur in mobili ubi permanens per quod sit in loco, patet ex disp. De loco qu. 2. Nam res post motum est in loco per ubi permanens, quod non est productum in motu, siquidem ubi productum per motum est successivum: ergo. Et hæc

mutatio instantanea qua acquiritur ubi permanens realiter et necessario acquiritur post motum, atque ita est terminus motus sicut punctuml lineæ, atque ita etiam ubi acquisitum per talem mutationem vocatur terminus motus licet extrinsecus. Addo tamen, per acquisitionem illius ubi permanentis quod producitur per mutationem instantaneam, non acquirere mobile ullum spatium quod non acquisierit per motum ut disp. De tempore qu. ultima dicto 6. ostendimus. Si quod enim acquireret illud vel esset divisibile, et tunc sequitur non prius partes propinguiores illius spatii acquiri quam remotiores, sed simul et in instanti; vel indivisibile ut v. gr. superficies terminativa spatii. Sed nec hoc dici potest; nam etiam mobile habet superficiem terminativam. Quæro ergo utrum ante instans quo primum non est motus, superficies terminativa mobilis pervenerit ad superficiem spatii, ita ut inter has superficies nihil intercesserit, an non, sed ab illa distabat toto tempore motus. Si primum: ergo nihil novi spatii acquiritur post motum cum illæ duæ superficies simul fuerint et sibi intime præsentes ante illud instans. Si secundum: ergo cum illa superficies mobilis toto tempore motus distaverit a superficie spatii, toto tempore motus aliqua pars divisibilis spatii intercepta fuit inter superficiem mobilis et superficiem spatii: ergo pars divisibilis spatii debet transiri per mutationem illam instantaneam. Unde non idcirco datur hæc mutatio ut per illam acquirat mobile novum spatium, sed ut acquirat ubi permanens per quod etiam post motum remaneat in loco sibi adæquato, cum toto tempore motus fuerit in loco majori se.

Dico tertio. Hoc ubi quod per motum localem acquiritur est successivum et non plura ubi permanentia. Probatur. Nam ex dictis disp. præced. qu. 2. in 2. supposito, motus localis ita est successivus ut non fiat per instantia interrupta, sed continue, ex quo evidens est etiam terminum talis motus successive produci, cum quælibet nova pars motus sit productio novi termini, atque ideo ubi productum per motum localem erit successivum. Confirmatur. Nam si ubi quod per motum acquiritur non esset successivum: ergo solum acquirerentur in motu ubi infinita quorum quodlibet immediate post aliud totum simul acquireretur. Sed hoc est impossibile, tum quia vel ista ubi immediate sibi succedentia durant aliquo tempore, vel quodlibet solum durat in instanti. Si primum: ergo cum res non moveatur quamdiu habet ubi quod ante habuit, siquidem in motu locali semper unum ubi perditur

aliud acquiritur, sequitur rem non moveri illo tempore. Si secundum: ergo motus conflatur ex infinitis mutationibus instantaneis sibi succedentibus, et consequenter etiam duratio motus, scilicet tempus conflabitur ex indivisibilibus durationibus, tum quia etiam puncta corporis moti moveri deberent per acquisitionem ubi indivisibilium immediate sibi succedentium, quoties enim corpus acquirit novum ubi, etiam ejus punctum acquirit ubi per quod constituatur in loco in quo non erat ante. Cum autem quodlibet ubi puncti constituat punctum in nova parte spatii, sequitur etiam in spatio dari unum punctum post aliud immediate. Nec dicas: puncta moveri per accidens motu subjecti, nam ut qu. 4. De motu ostendimus, revera indivisibilia continui habent proprium motum in se subjectatum. Sicut ergo agentes de rarefactione dicemus aliquam extensionem in ordine ad locum totam simul acquiri, aliam vero esse extensionem successivam qualis est quæ in toto tempore rarefactionis acquiritur: ita similiter ubi quod per motum acquiritur successivum est, quod vero per instantaneam mutationem, permanens.

Quomodo autem partes succedentes ipsius ubi continuentur, vel partes extensionis quas habent in ordine ad subjectum divisibile, ex dictis disp. De motu qu. 2. patet. Ex quibus etiam constat successionem non esse de essentia hujus ubi, cum ipsa successio sit quantitas, ubi vero spectet ad distinctum prædicamentum. Unde ibidem ad 2. argum. diximus divina virtute fieri posset ut ubi quod habuit res toto tempore motus, remaneat in re etiam post motum, et ita ponatur res in infinitis locis. Et ita eadem realitas est partium ubi cum una post aliam successive fit, et si tota entitas partium simul conservaretur, sicut eadem entitas caloris est quæ successive producitur, et quæ simul conservatur, vel etiam simul produci potuit. Divisiones autem prædicamenti ubi per suas differentias qu. 2. De loco explicavimus.

Ad fundamentum primæ sententiæ patet ex dictis De tempore posse dari rem successivam.

Ad primum secundæ sententiæ respondeo: si quando Aristoteles docuit terminum motus localis esse locum, intelligit de termino extrinseco, qui sensibilior et notior est ubi intrinseco. Revera enim cum Aristoteles probat in vacuo non posse dari motum localem, si putasset terminum motus localis esse locum extrinsecum, efficaciter ex eo probare potuisset suum intentum, quod scilicet in vacuo non potuisset esse terminus localis motus, et tamen

nunquam eo argumento est usus. Quod vero 8. Phys. text. 59. ait per motum localem nihil amittere vel acquirere mobile, solum loquitur ut ipse explicat de accidentibus sensibilibus, de quantitate, qualitate etc., horum enim nihil per se acquiritur per motum localem et hoc sufficit ad Aristotelis intentum, qui eo loco solum probare volebat, motum localem posse etiam incorruptibilibus convenire, quia per illum non acquiritur accidens quod incorruptibili officiat.

Ad secundum. Ubi quod acquiritur per motum, est accidens absolutum. Hoc autem accidens unum est eo modo quo res successivæ sunt unum per continuationem, licet constet partibus prioribus et posterioribus realiter distinctis, sicut et tempus. Continuantur autem hæ partes sicut et partes motus per ubi quod producitur in instanti, quod etsi sit species prædicamenti ubi, potest tamen esse etiam unio et modus partium ubi, ut disp. De quantitate qu. 5. dicto 1. et in Logica qu. 2. De quant. ad 1. argum. diximus. Ad confirmationem. Ubi quod est terminus motus localis acquiritur dum est motus. Ad primum quod contra hoc afferebatur respondeo. Ubi est immobile eo quod transferri ex uno loco in alium nequeat, non tamen est immobile eo quod constituat subjectum in quo est immobile. Imo potius ubi successivum constituit suum subjectum in motu, quia per partem ubi advenientem corpus non est in eodem loco in quo erat per partem ubi præexistentem. Ad secundum. Per motum successivum formaliter et immediate non acquiritur ubi quod habet res post motum, sed illud ubi est terminus mutationis instantaneæ, et sicut illa mutatio instantanea dicitur terminus motus eo modo quo punctum dicitur terminus lineæ, ita etiam ubi productum per illam mutationem dicitur terminus motus localis.

QUAESTIO SECUNDA.

An in instanti, vel in vacuo motus localis fieri possit.

Dico primo. Licet divina virtute una res in instanti transferri possit alio, non transeundo per medium, tamen omnino impossibile est motum localem fieri in instanti. Prima pars est Molinæ 1. p. qu. 8. art. 1. disp. 2. et fusius qu. 53. art. 2. ubi id probat, quia quotidie Christi Domini corpus in cœlo existens constituitur per

transsubstantiationem sub speciebus sacramentalibus ita ut non transeat per medium. Imo ut illa qu. 53. ait Molina, div. Thomæ sectatores putant etiam angelos naturali virtute posse in instanti transferre se ab extremo ad extremum, quod tamen ego non puto esse probabile, tum quia sicut posset se transferre immediate in distans non per medium, ita etiam posset agere in distans non per medium, cum non sit difficilius transmittere virtutem quam substantiam; tum etiam quia eodem modo posset transferre corpus, cum nulla in hac re sit major difficultas. Secunda pars traditur bene a Conimbricensibus 6. Phys. cap. 6. qu. 1. art. 2., Durando 4. dist. 43. qu. ultima, Scoto 2. dist. 2. qu. 9. ad 4., divo Thoma 1. Phys. lect. 12. et Aristotele 6. Phys. text. 29. Licet enim Deus facere posset in instanti ut corpus occuparet simul totum spatium quod successive transiret, producendo scilicet tot ubi in corpore quot necessaria sunt ad hoc ut corpus totum illud spatium repleret, et ut immediate post instans corpus tale remaneret in solo termino ad quem cessante Deo a conservatione omnium aliorum ubi, quod fieri posse disp. De tempore ostendimus, revera tamen sine motu locali per instantaneam mutationem id fieret. Et ratio cur motus localis in instanti esse nequeat est, nam quod in instanti est, totum simul est, nec una ejus pars potest esse prior alia; instans enim non componitur ex partibus prioribus et posterioribus sicut tempus, atque ita evidens est id quod mensuratur instanti non habere partes priores et posteriores. Sed motus localis ut a mutatione distinguitur est aliquid successivum et consequenter habet partes priores et posteriores. Ergo motus localis ut distinctus a mutatione instantanea non potest in instanti fieri, atque ita motus localis proprie dictus necessario fieri debet in tempore, licet mutatio localis possit in instanti fieri. Gregorius tamen in 4. dist. 44. qu. 4. art. 2. ad 7. et 2. dist. 6. qu. 3. art. 2., Major 4. dist. 49. qu. 8. contra nos sentiunt, sed eorum fundamenta bene resolvunt Conimbricenses.

Dices: quod in instanti videtur, in instanti est; sed motus localis in instanti videtur, siquidem visio fit in instanti ut alibi ostenditur: ergo. Respondent optime Conimbricenses ad 1. quod licet res permanentes videri possint in instanti, motus tamen successivus non nisi in tempore per visionem successivam videtur. Et cum visio dicitur fieri in instanti, id non ita intelligitur quasi necessario debeat esse in instanti duntaxat, nam cum fixis oculis

aspicimus aliquid per quadrantem horæ, non solum in instantibus temporis, sed et in partibus visio reperitur. Solum ergo dicitur visio fieri in instanti, quia quantum est ex se non repugnat visioni fieri in instanti, licet aliqua visio fiat in tempore. Ibi etiam optime docent Conimbricenses quod licet possit lumen in instanti produci in toto aëre, eo quod non idem numero lumen permeat omnes partes aëris, tamen rem quæ percurrit totum spatium, non posse in instanti totum percurrere. Si autem concedamus infinitum impulsum a Deo imprimi lapidi, non sequitur id quod Aristoteles ait 8. Phys. text. 79. et Conimbricenses supra, futurum motum in instanti, sed solum in tempore indeterminato minori quocunque tempore determinato assignabili. Et tamen adhuc posset velocius moveri illa res; nullus enim potest esse motus tam velox quo velocior dari nequeat ex Aristotele 6. Phys. text. 15. Ratio ergo est, nam quilibet motus successivus fit in tempore, quod est divisibile in infinitum, atque ita potest in minori tempore fieri.

Dico secundo. Divina virtute posset fieri motus localis in vacuo, et quidem successivus. Probatur. Nam localis motus est productio ubi intrinseci inhærentis mobili, atque ideo terminus motus localis non est locus realis seu superficies: ergo potest dari terminus motus etiam in vacuo, et illud ubi inhærens mobili produci poterit a Deo successive, independenter a quolibet corpore extrinseco, sicut de facto in extima superficie cœli concedere debet Aristoteles in sua sententia: ergo sicut illa superficies acquirere potest accidens intrinsecum quod sit terminus motus localis, etiamsi nullo corpore ambiatur, ita quodlibet corpus licet nullo corpore ambiatur acquirere poterit ubi, quod Deus successive potest in illo producere, nec ad motum localem necessarius et locus extrinsecus.

Objicis cum Aristotele 4. Phys. text. 71. et sequ. quo medium per quod fit motus localis densius est, eo tardius moveri rem, et quo subtilius ac rarius eo celerius experientia constat, atque ita qualis est proportio spatii ad spatium secundum raritatem et densitatem, talis etiam est proportio celeritatis motus unius ad celeritatem alterius motus. Sed in vacuo nulla est proportio subtilitatis ad plenum quantumvis rarissimi corporis, cum in vacuo nullum omnino sit corpus, ac proinde nec ulla omnino resistentia proveniens a medio: ergo etiam nulla erit proportio celeritatis motus qui fieret in vacuo, ad celeritatem motus in pleno, et con-

sequenter nec esset ulla proportio durationis motus in vacuo, ad durationem motus in pleno, atque ita in instanti moveretur res in vacuo.

Ut ad hoc argumentum respondeamus suppono, successionem partium motus ex duplici capite oriri. Primo et potissimum ex incompossibilitate partium ubi per motum acquisitarum inter se, nam simul non potest naturaliter idem corpus informari a duobus ubi, et esse in pluribus locis; unde nulla potentia naturalis potest efficere ut duo ubi diversa eidem rei inhæreant simul, sed semper ita movet potentia motiva, ut producendo ubi novum corrumpatur præcedens, etiamsi nulla esset medii resistentia; Deus vero posset quidem omnia ubi simul producere in corpore, tamen potest etiam successive producere. Hujusmodi autem ubi successiva quia celerius vel tardius possunt sibi succedere, ex majori perfectione vel applicatione potentiæ motivæ oritur ut celerius sibi succedentia producantur. Secundo oritur successio in motu locali ex resistentia medii; cum enim medium non possit penetrari a mobili, scindi debet, cui scissioni plus minus resistit medium pro majori raritate vel densitate. Et quamvis nulla talis resistentia medii daretur, adhuc posset ubi acquiri successive propter naturalem illorum incompossibilitatem, ut juxta sententiam Aristotelis in motu extimæ superficiei primi mobilis patet. Ex quo apparet discrimen inter motum localem et alterationem, nam alteratio fit in instanti si subjectum non habeat oppositam qualitatem per quam resistat, motus vero localis etiamsi medium non resisteret fieret successive. Ratio disparitatis est, nam in alteratione partes formæ quæ acquiruntur non sunt incompossibiles naturaliter, nec una alteram excludit. At una pars termini motus localis incompossibilis est cum altera parte naturaliter, nec simul cum illa esse potest, atque ideo etiam sublata omni resistentia extrinseca motus localis fieret successive ab agente naturali. Addunt Conimbricenses 4. Phys. cap. 9. qu. 5. art. 1. causam successionis etiam esse intercapedinem seu spatium quod est vacuum. Sed revera cum illa intercapedo nihil sit, si illa sola est causa successionis, nulla penitus est causa successionis.

Jam ergo respondeo ad objectionem negando majorem. Omnino enim falsum est velocitatem et tarditatem motus ex solo medio oriri, ac proinde si duplo rarius sit medium, duplo celeriorem esse motum, nam per idem medium quod gravius est duplo

celerius fertur deorsum: ergo potissima causa celeritatis vel tarditatis provenit a potentia motiva. Medium ergo solum facit ut si talis potentia motiva posset movere mobile per hoc spatium v. gr. una hora, si solum consideraretur ejus virtus motiva præscindendo ab omni resistentia extrinseca, posita eadem virtute motiva propter majorem vel minorem resistentiam medii, citius vel tardius transiturum illud spatium. Unde sublata omni resistentia extrinseca solum tanta celeritate transit aliquid, quanta ejus vis motiva potest ciere, ut v. gr. angelus e cœlo in terram sine resistentia aëris venit, non tamen in instanti, quia impossibile est naturaliter ut simul habeat in se omnia ubi per quæ constituatur in toto spatio a cœlo ad terram porrecto, sed successive descendit, majori vel minori velocitate prout majorem vel minorem habet potentiam motivam.

Dico tertio. Si divina virtute daretur vacuum, nulla res posset in eo naturaliter moveri. Ita Aristoteles 4. Phys. text. 65. et deinceps, Pererius lib. 11. cap. 10., Gregorius 2. dist. 6. qu. 3. art. 2., Albertus, Aureolus, Jandunus etc. citati a Conimbricensibus 4. Phys. cap. 9. qu. 5. art. 1., Zabarella lib. 1. De motu gravium cap. 10., qui omnes hoc fundamento nituntur: si daretur motus in vacuo, ille fieret in instanti; sed impossibile est motum localem in instanti fieri ut probant ibi Conimbricenses, Toletus 4. Phys. qu. 9. quia si in instanti moveretur in instanti esset in termino a quo, ad quem et in spatio interjecto et ita haberet plura ubi, essetque naturaliter in pluribus locis simul: ergo. Unde non volunt Pererius et alii motum fieri posse in instanti, sed potius argumentantur a destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Majorem probant eo modo quo in præcedenti conclusione diximus probari ab Aristotele, sed jam ibi ostendimus hoc argumentum nihil concludere. Est tamen hæc conclusio contra Conimbricenses et Toletum citatos atque Sotum 4. Phys. qu. 3., Durandum 4. dist. 43. qu. 4., Scotum 2. dist. 2. qu. 9. etc.

Probo igitur hanc conclusionem. Nam si daretur vacuum, corpus in eo constitutum v. gr. lapis dupliciter se habere posset. Vel primo ita ut contingeret immediate latus loci intra quem datur vacuum, vel ita ut non contingeret. Si contingeret, evidens est nulla re naturali posse ab illa superficie dimoveri; si enim dimoveretur necessario relinqueret vacuum in spatio quod occupabat prope superficiem loci contiguam. At experientiis in disput. De

loco allatis constat in corporibus esse vim tenendi corpus contiguum et illud trahendi, quæ vincit omnem gravitatem et omnem vim motivam præter divinam et forte angelicam aliquam ut dictæ experientæ probant. Ergo si semel attigerit corpus superficiem loci, nulla ratione poterit ab ea avelli per suam gravitatem, sive tangat supremam sive infimam superficiem loci. Et eodem modo animal non posset ambulare supra terram quam pede attingit, si daretur vacuum. Si non contingeret superficiem loci: sequitur etiam quod si moveretur naturaliter, naturaliter vacuum efficeret, nam ubi erat corpus illud ante motum, ibi non erat vacuum, sed plenum corpore, si autem inde recedat corpus relinquet illud spatium vacuum, et replebit aliud spatium vacuum. Sed naturaliter non potest ulla causa vacuum causare: ergo. Nec est ad rem quod Conimbricenses 4. Phys. cap. 9. qu. 4. art. 1. ad 2. respondent: in illo casu non agens naturale sed Deum causaturum vacuum. Revera enim si naturali virtute sua relinquat corpus ubi quod habebat per motum localem, naturaliter causabit vacuum.

Præterea quod gravia et levia naturaliter non possent moveri si daretur vacuum, sic probo. Nam gravia et levia naturaliter moventur non tam ut sint in determinata parte universi, quam ut gravia sint sub levioribus, leviora supra gravioria. Sed in vacuo si ponatur terra, non haberet aliquid levius infra se ut posset moveri infra illud: ergo. Major patet. Nam si aqua v. gr. movetur ad certum spatium, et non potius ut sint supra graviora et infra leviora: sequitur quod cum occupare possit spatium in quo nunc est terra, non quiescere naturaliter in suo loco; imo potius si in terræ cavernis esset, naturaliter ascenderet ad illam partem universi quæ illi naturaliter est assignata. Deinde experimur oleum vel aërem in vitro quiescere, et tamen statim ac infunditur aqua, supra illam moveri, contra vero in profundissimis puteis aër naturaliter quiescit: ergo non movetur ut sit in spatio aliquo, sed ut sit supra graviora se. Similiter si in uno vase confundantur terra, aqua et aër, in quacunque parte universi semper aër supra aquam, aqua supra terram ascendet, et tamen si ista confusio fieret in ea parte universi quæ terræ est propria, non descenderet terra infra aquam, nisi dicamus moveri illam ut sit infra leviora. Etiamsi enim esset supra aërem, adhuc in suo spatio a natura determinato maneret. Unde constat falli eos qui ajunt totum spatium orbis sublunaris in quatuor partes divisum, ita ut quodlibet elementum

habeat suam partem ad quam etiam secluso quocunque ordine partium universi ferantur elementa. Licet enim de facto in quatuor illas partes dividatur hoc spatium propter ordinem elementorum quæ totum illud occupant, tamen si ordo corporum secludatur, non erit magis naturale hoc spatium quam illud elemento. Unde si cœli ambitus minor esset, ignis esset in eo spatio in quo nunc est aër, aër in eo in quo nunc terra.

QUAESTIO TERTIA.

An unus motus localis continuus, altero celerior esse possit.

Certum est ut disp. præced. qu. 2. diximus, motum localem non fieri per mutationes indivisibiles, siquidem spatium divisibile in indivisibili instanti transiri non potest, nisi vel ab extremo ad extremum sine medio res transiliat, vel simul sit in pluribus locis, quorum utrumque impossibile est. Nihilominus Galenus lib. De dignoscendis pulsibus cap. 1. asseruit motum localem non fieri omnino continue, sed inter quascunque mutationes successivas mobilis, intercedere morulam quietis, licet insensibilem. Probat, nam nisi hoc dicatur, explicari non potest quomodo unus motus sit celerior altero. Si enim duo mobilia continue moverentur sine morulis illis, fieri non posset ut unum celerius moveretur altero, et ita ait solum illos motus esse celeriores qui paucioribus morulis et brevioribus est interruptus, eos tardiores qui pluribus et diuturnioribus. Ratio illius est: nam omnes motus quorum posteriores partes sequuntur æque cito post priores, sunt æque veloces. Sed cujuslibet motus continui partes posteriores sequuntur æque cito post priores. Ergo omnes motus continui sunt æque veloces. Minor probatur. Cujuslibet motus continui quælibet pars subsequens sequitur immediate post præcedentem; sed nihil potest sequi citius quam id quod sequitur immediate post aliud: ergo quælibet pars cujuslibet motus continui æque cito sequitur post aliam partem præcedentem in uno motu continuo ac in alio: ergo omnes sunt æque veloces. Unde constat Galenum non velle motum localem fieri per mutationes instantaneas, sed solum tollere unitatem motus, siquidem ad unitatem numericam motus necessaria est continuitas partium ipsius, quam tollit Galenus interponendo quietem inter partes motus.

Confirmatur. Sphæra quæ continuo movetur in plano in quolibet instanti temporis tangit punctum lineæ. Si ergo alia sphæra posset continuo moveri velocius, sequeretur quod plura puncta tangens in linea quam tetigerit sphæra tardior, et tamen in quolibet instanti temporis unicum duntaxat tetigisset, sicut et mobile tardius: ergo æque multa puncta tetigissent, tot scilicet quot sunt instantia in tempore, et tamen mobile velocius plura tetigisset, quod est manifesta contradictio. Idem argumentum ad alterationem transferri potest. Agens enim quod continuo operatur in quolibet instanti producit aliquid indivisibile et toto tempore quo agit non plura indivisibilia producit quam sint in tempore in quo operatur. Sed agens velocius in eodem tempore plura indivisibilia produceret. Ergo signum est rem cum tarde operatur non operari continue, sed interdum cessare, et ita æquali tempore minus producere quam aliud.

Supponendum est, ex communi usu vocabuli motum velocem aliud non esse quam multum motum seu multas partes motus in pauco tempore, tardum autem esse parum motum in multo tempore. Unde recte notat Toletus 7. Phys. qu. 4. motum brevem a veloci distingui eo quod brevis motus solum sit qui parvo tempore durat, velox vero addit insuper multum termini produci per illum, quæ velocitas et tarditas in motu provenit plerumque velut a radice a virtute agentis et resistentia passi, seu quod idem est ex agentis virtute collata cum resistentia majori vel minori passi vel medii. Unde idem agens in subjecto et medio minus resistente velocius operatur.

Dico ergo breviter. Motum continuum tam localem quam alterationis etc. posse esse velociorem altero etiamsi nullis morulis interrumpatur continuitas talis motus. Probatur primo. Nam ut supra ostendimus motus localis fieri non potest per solas instantaneas mutationes sibi succedentes, sed necessario saltem aliqua pars debet esse continua, licet post illam sequatur quies, ut etiam Galenus concedit. Quo posito sic argumentor. Sit rota ferrea quæ moveatur in orbem, tunc ut etiam Galenus fatetur aliquanto tempore movetur continue sine mora intercepta talis rota. Illa autem parte temporis majus spatium conficit extima pars radii rotæ, quam illa quæ centro est vicinior: ergo velocius movetur cum æquali tempore majus spatium conficiat. Unde Aristoteles lib. Quæst. mechan. initio, in corpore ait sphærico quodlibet punctum lineæ

quod a centro egreditur, eo celerius movetur quo a centro est remotius. Idem fiet si lignum oblongum super plano in gyrum circumducatur continue ita ut una ejus extremitas fixa maneat. Et denique eadem ratione cum homo super terram movetur, caput velocius movetur pedibus cum a centro longius distet, atque ita majorem lineam describat ut notat etiam Clavius thesi 1. In sphæram folio 149. Deinde omnino contra sensum et rationem est dicere quod cum grave fertur deorsum vel sagitta a tormento emissa sursum, aut cum homo continue movetur sæpe interquiescere.

Confirmatur. Nam agens necessarium non impeditum necessario agit; sed gravitas lapidis respectu motus deorsum in aëre est agens necessarium, nec potest a medio, scilicet aëre impediri, licet enim aër resistat, efficere tamen non potest ut corpus maximæ molis sistat in medio; qua enim ratione facere potest ut sistat in medio itinere brevi tempore, eadem facere posset ut diu ibi hæreret, cum mobile postmodum non habeat majorem virtutem ad se movendum, nec aër ad resistendum minorem vim. Ergo si aër non potest sistere illud per longum tempus, nec poterit per breve, nec est ratio cur in hac potius quam in illa parte mundi quiescat. Confirmatur 2. Si unus motus ideo est tardior quia intercedunt morulæ inter partes motus: ergo cum aliquis motus est tardissimus v. gr. rotæ horologii, morulæ essent sensibiles. Denique omnino contra sensum est negare vel corpus quod gravius est non celerius descendere quam quod minus grave est, vel in medio quiescere, sicut etiam negare quod celerius producatur calor ab agente fortiori quam ab imbecillo, et tamen ut alibi ostendemus cum id quod calefacit v. gr. ignis sit agens necessarium debite approximatum, non potest ullo temporis spatio cessare ab actione. Confirmatur 3. Partes cœli viciniores polis tardius moventur quam remotiores, tamen omnes simul moventur, et si illæ morulæ intercederent omnes simul et æquali tempore quiescerent. Nam non potest unius continui una pars quiescere alia moveri sine rarefactione vel flexibilitate quod communiter negatur in cœlis posse reperiri.

Ad argumentum Galeni respondeo, negando minorem. Ad probationem. Inter partes sibi immediatas possunt esse aliquæ quæ citius sequuntur post immediate præcedentes quam aliæ quia ex partibus quæ immediate sibi succedunt, possunt aliquæ habere minorem durationem quam aliæ et ita sibi celerius ac velocius succedere. Ut enim disputatione De tempore qu. 2. dicto 2. diximus partes

motus habere possunt durationes diversas, et per diversas durationes possunt illius partes magis vel minus extendi in spatio durationis sicut per extensionem in ordine ad locum majorem, magis extenditur corpus rarum, quam densum. Si ergo partes motus habeant durationem per quam diutius durent duratione successiva, dicitur tardus motus; si vero eaedem partes habeant durationem per quam non tam diu durent, dicitur motus velox. Si autem diu durent partes motus, quælibet pars subsequens licet immediate sequatur post priorem partem, tardius tamen illam sequitur et plus durationis insumitur in successione illarum partium. Et ita constat non esse difficile concipere quomodo partes licet sibi immediate succedant, tamen possint celerius vel tardius succedere, si innitamur principiis illa disputatione De tempore positis. Intelligi enim bene potest quamlibet partium succedentium diutius durare successive, licet immediate aliam sequatur, in quo consistit tarditas actionis et motus. Colligimus autem diutius durare partes motus, ex eo quod videmus parvum termini produci vel parvum spatii transiri a mobili. Et sane multo difficilius est concipere quomodo in quantitate continua permanente immediate post punctum a quo incipiunt distare duæ lineæ, aliquando magis, aliquando minus distent si faciant angulum rectum, vel acutum, vel obtusum. — Ad confirmationem late respondimus disp. De quant. qu. 4. ad 3. primæ sententiæ, ubi variis exemplis ostendimus hanc esse proprietatem admirabilem infiniti, ut pauciora pluribus respondeant.

Quomodo autem cognosci possit, quis motus sit celerior alio, docet Aristoteles 7. Phys. a text. 21. Breviter: illi motus quibus eodem tempore tantumdem termini est acquisitum, sunt æque veloces; si per unum motum duplo plus termini acquiritur eodem tempore quam per alterum, duplo velocior erit ille. In motu autem locali quæ eodem tempore æque magnum spatium conficiunt æque veloces sunt; quod duplo majus, duplo velocius est, et sic deinceps secundum proportionem formæ ad formam, vel spatii ad spatium in eodem tempore desumitur proportio motus ad motum quoad velocitatem. Spatia autem æqualia dicuntur in motu locali, si inter terminum a quo et ad quem æqualis sit distantia. Unde si duo mobilia unum majus alterum minus ab eodem termino a quo, ad eundem terminum ad quem perveniant, celerius motum est quod minus est, quia majus spatium confecit, ut per se patet. Ex quo etiam patet eos motus esse inter se comparabiles in velocitate quorum termini sunt

comparabiles in intensione vel magnitudine. Ad quod licet Aristoteles cit. et Toletus ibi qu. 4. requirant ut illi termini sint ejusdem speciei infimæ, id tamen non videtur necessarium. Nam revera formæ diversæ speciei comparabiles sunt inter se in magnitudine et intensione. Sed quando formæ sunt hoc modo comparabiles, etiam motus ad illas formas in velocitate comparabiles sunt: ergo. Major patet. Nam tam est intensus calor ut quatuor ac frigus ut quatuor, et circulares sunt inter se comparabiles; demonstrant enim mathematici periferiam circuli habere determinatam proportionem cum diametro: ergo et motus qui fit per periferiam et per diametrum eodem tempore, comparabiles sunt, ac proinde etiam motus rectus et circularis, licet id neget Aristoteles ubi supra. Revera enim motus circularis solis velocior est motu recto formicæ. Si Aristoteles cit. contrarium innuit, forte disputando non definiendo loquitur.

QUAESTIO QUARTA.

An idem corpus simul possit duobus diversis motibus localibus moveri.

Videtur id posse fieri, *primo* quia nauta in mari quæ ab oriente versus occidentem pergit moveri potest motu proprio a prora in puppim, vel ab uno latere navis ad aliud, tunc autem duplici motu movebitur. *Secundo* potest idem moveri motu recto et circulari, ut si rota alligata sit navi pergenti versus occidentem, potest super suum axem moveri circulariter: ergo. *Tertio* idem corpus duplici motu circulari potest moveri, nam planetæ ab oriente versus occidentem moventur spatio 24 horarum super polos mundi; et præterea super polos zodiaci ab occidente in orientem moventur quo motu sol percurrit intra annum omnia signa zodiaci ut late Conimbricenses 2. Cœli cap. 5. qu. 4. art. 1. ostendunt. Quod autem hic motus non fiat super polos mundi constabit ex lib. De cœlo, si enim ita moverctur, semper in eadem parte horizontis oriretur et occideret ajunt Conimbricenses, contra experientiam. Idem patet si rota moveatur ab ortu in occasum, et formica ab occasu versus orientem in eà pergat. Propter hæc argumenta Clavius cap. 1. In sphæram §. De motibus orbium cœlestium ait, non posse quidem nec per eosdem nec per diversos polos idem corpus circulare moveri diversis motibus simpliciter, posse tamen diversis motibus secundum

quid. Tunc enim ait moveretur motibus diversis simpliciter, quando simul accederet v. gr. ad occidentem et simul recederet mobile, quod tamen ait in cœlis non accidit, quia sol v. gr. nunquam recedit ab occidente ita ut accedat ad orientem, sed potius semper ab oriente versus occidentem ferri. Tamen dicitur motu proprio ab occidente moveri, quia sol vicior fit semper partibus orientalioribus primi mobilis. Et hac in re optime sentit.

Dico tamen, impossibile est omnino naturaliter idem corpus duobus diversis motibus localibus sive oppositis, sive disparatis simul moveri. Probatur primo argumento Mayronis 2. dist. 14. qu. 3. Motus localis est acquisitio alicujus ubi, et sicut implicat actionem esse sine termino, ita implicat dari motum localem per quem non producitur ubi intrinsecum mobili. Sed impossibile est naturaliter ut idem corpus habeat duo ubi, sicut impossibile est naturaliter ut idem corpus sit in diversis locis et a se distet. Ergo similiter impossibile est naturaliter ut idem corpus duobus motibus localibus moveatur. Confirmatur 1. Nam per illos duos motus non potest unum et idem ubi acquiri, nam naturaliter non potest idem terminus duplici actione produci: ergo duo ubi acquiruntur: ergo res quæ movetur erit dum movetur in diversis locis a se distantibus ut ait Mayronis.

Confirmatur 2. Naturaliter idem corpus non potest esse in diversis spatiis: ergo naturaliter non potest res moveri simul per diversa spatia, necessario siquidem res dum movetur est in illo spatio in quo movetur, nec moveri potest ubi non est: ergo si pluribus motibus moveatur, per idem spatium debet moveri. Sed per idem spatium non potest res duplici motu moveri: ergo. Minor probatur. Nam per idem spatium non potest corpus duplici motu moveri, nisi ad oppositas e regione partes moveatur; si enim ad latus moveretur non per idem spatium moveretur. Sed impossibile est ut per idem spatium et per eandem lineam rectam moveatur duplici motu versus utrumque finem lineæ. Et ratio est, nam illi motus necessario deberent esse æquales vel inæquales in velocitate, eo quod necessario transirent eodem tempore spatii partem æqualem vel inæqualem. Si essent æquales motus et qui est versus orientalem et qui versus occidentalem partem lineæ: ergo post finem motus mobile manebit eodem loco quo fuit initio motus, ac proinde non erit motum, nam post quodlibet tempus tantumdem distabit illud corpus ab occidente et oriente quantum distabat ante motum. Ex eo

enim quod æque velociter moveatur versus occidentem ac versus orientem, sequitur tantùm accessisse versus orientem, quantum recessit ab oriente. Si motus sint inæquales, sit v. gr. duplo velocior motus qui est ab oriente in occasum, tunc sequitur eodem tempore quo mobile fit vicinius duobus palmis occidenti, per alium motum duplo tardiorem fieri idem corpus proximius orienti uno palmo: ergo jam erit elongatum magis ab occidente quam fuerat antequam moverentur. Sed supponimus esse approximatum duobus palmis: ergo simul erit approximatum et elongatum quod fieri non potest nisi idem corpus sit in duobus locis. Secundo. Mobile versus eandem partem non potest duplici motu moveri; revera enim nulla est ratio cur dicamus duos esse motus quando mobile versus unam duntaxat partem movetur: ergo si duplici motu moveatur res, ad diversas partes spatii movebitur: ergo simul appropinquabit partibus inter se distantibus. Sed hoc est impossibile; si enim mobile appropinquet simul rebus inter se distantibus: ergo nunquam potestl utramque per motum assequi, sic enim distaret et non distaret a qualibet illarum. Cum enim assequitur unum terminum distaret ab alio termino magis quam ante, et tamen si appropinquavit ve pervenit etiam ad alium terminum, non distabit vel certe minus distabit: ergo cum non sit illud corpus simul in pluribus locis, distabit simul et non distabit a partibus ad quas movetur.

Confirmatur. Si mobile moveatur duobus motibus versus utramque partem rectæ lineæ, vel æque celeriter versus utramque movebitur, et sic utramque extremitatem lineæ æque cito attinget, et ita simul erit in utraque parte distante; vel inæquali, ut v. gr. celerius moveatur versus orientem: ergo magis accedit continuo ad partes orientaliores lineæ, et magis magisque recedit a partibus occidentalibus. Cum enim illi duo termini inter se distent, quanto aliquid magis accedit ad unum terminum, tanto magis recedit ab alio, et tamen etiam continuo accedit ad partes occidentaliores per motum tardiorem, quia movetur versus illas partes: ergo continuo magis ac magis distabit a partibus occidentalioribus, et simul minus et minus distat ab illis. Et hæc argumenta æque urgent in motu recto ac circulari, et de motibus per se ac de motibus quorum unus sit per se alter per accidens.

Nec Clavii responsio evacuat vim argumenti. Revera enim non admittit ipse duplicem motum qualem nos impossibilem diximus, sed solum contendit (id quod ad cœlorum apparentias sufficit), ex

vi duplicis vel etiam triplicis potentiæ motivæ posse idem corpus ita moveri unico motu, ut hic motus diversus sit a quocunque eorum quem per se produceret quodlibet agens, et ideo in tali motu diversa appareant quæ non apparerent si ab unico agente cieretur.

Pro solutione argumentorum notandum est, motum localem non cognosci a visu, nisi ex approximatione vel continuo recessu ab aliquo termino, unde fit ut sæpe tribuat motum rei quæ nullo modo movetur, quomodo navigantibus videntur montes moveri. Et similiter aliquis motus duplo interdum celerior videtur quam sit, ut si navi maxima celeritate pergente a prora in puppim jaciatur sagitta, illa dum per navim movetur, duplo celerius moveri videtur quam si navis consisteret, eo quod citius attingat puppim quam attingeret immota existente navi. Similiter si tres ordines hominum collaterales secundum rectam lineam disponantur, incipiantque simul ab eodem loco moveri versus occidentem, ita tamen ut qui sunt in primo ordine moveantur celerrime, qui in secundo tardius, qui in tertio tardissime, videbuntur nobis a longe aspicientibus in diversas partes pergere, ita ut qui in secundo et tertio ordine sunt versus orientem progredi videantur. Simili de causa interdum res videntur longissimum spatium confecisse cum revera nullum confecerint, ut si navis ab ortu in occasum moveatur, et eadem velocitate qua navis fertur, nauta moveatur a prora in puppim, tunc licet videatur plurimum spatium transivisse utpote qui a prora ad puppim pervenerit, in eodem tamen spatio manet post motum in quo prius fuit antea perinde ac si ab angelo detentus fuisset, et eidem puncto fixo cœli respondet, tantum denique distat ab ortu et occasu in fine motus, quantum initio. Imo si baculum fixum in aqua manu teneret nauta, illi corresponderet etiam dum esset in puppi, quod signum est in eodem loco manere illum, et solum movere pedes, ita ut moto pede per vectionem ad motum navis cui innititur continuo ex vi potentiæ motivæ nautæ restituatur pes iterum ad eundem locum in quo antea erat. Et hoc est quod defatigat nautam. His positis

Ad primum respondeo. Nauclerum non moveri duplici motu clarum est, nam cum nauclerus in navi quæ ab oriente versus occidentem pergit a prora ad puppim tendit vel movetur æque celeriter ac navis (seu ut formalius loquar, vel tantam vim motivam exerit quanta sufficeret ad motum æque celerem producendum ac est motus navis) vel celerius, vel tardius. Si æque celeriter, jam

ostendimus tunc non moveri illum, ut constat si altera manu teneat baculum in aqua fixum; solum ergo id præstat tunc nauta ut (quoniam pes dum navi innititur simul cum nave movetur deorsum), restituat æquali celeritate pedem ad idem spatium in quo ante erat. Unde pes qui navi innititur movetur cum illa, alter vero pes qui non innititur navi, non movetur cum illa, sed impellitur a nauclero versus orientem, et tantum spatii percurrit quantum motu versus occasum percurrerat dum inniteretur navi, et quantum descendit versus occasum is qui innititur navi, atque ita figitur pes in eodem spatio in quo erat ante, ut non sit vicinior vel remotior orienti quam fuerit ante.

Si vero celerius moveatur nauta versus orientem, tunc etiam solum uno motu movetur secundum quamlibet partem, et simpliciter movetur tantum versus orientem. Licet enim secundum pedem qui navi innititur, dum ei innititur, moveatur versus occidentem, quia tamen illa pars moveri potest ita celeriter a nauclero in contrariam partem, ut valde superet celeritatem navis, hinc est ut illa pars et consequenter totum corpus quod a nauclero impellitur, magis accedat ad orientem, quam ante recesserat dum movebatur ad motum navis, et ita in fine motus nauclerus vicinior erit orienti. Si vero tardius moveatur, licet pedem quem elevat ipse moveat versus orientem, eodem tamen tempore pes ille non tantum spatii conficit quantum conficit alter motus ad motum navis versus occidentem, et ita simpliciter movetur versus occidentem. — Eadem est ratio si saxum trahatur per navim a prora in puppim. Si enim eadem celeritate trahatur qua navis fertur, saxum immotum manebit, perinde ac si angeli ibi detinerent, et trahentes solum conservant in illo solo et ubi, quod ammitteret nisi ab iis traheretur. Si majori vi trahatur quam devehatur a navi, tunc solum movebitur versus orientem, si denique minori impetu trahatur quam sit impetus navis, tunc solum movebitur versus occidentem ad motum navis.

Verum est ille motus quo movetur nauta vel saxum sive versus orientem sive versus occidentem duntaxat, diversus est ab eo quo movetur si altera duntaxat causa, scilicet navis vel trahens concurreret. Et ideo etiam ex vi duplicis illius causæ producitur ubi diversum ab eo quod produceretur a qualibet causa movente per se, ut in hac figura patet. Sit enim navis ABC, quæ ab oriente in occasum feratur; nauta vel saxum D., aqua per quam movetur

navis EFG. Si nauta non ascenderet versus puppim sed ad solum motum navis ferretur, tunc intra unum minutum perveniret ad E, et acquireret ubi per quod constitueretur in E. Si tamen moveatur simul ad puppim eodem tempore, scilicet intra unum minutum, perveniet ad F duntaxat. Eadem est ratio si nauclerus moveatur ad latus navis et non ad partem directe oppositam ei ad quam navis fertur. Nam et tunc unico motu movebitur; si enim pergat versus meridianum latus navis, tunc movebitur unico motu diverso ab eo quo moveretur, si vel sola navis, vel solus homo moveretur. Nam non movebitur ad occasum recta, nec recta ad meridiem, sed versus punctum aliquod quod inter meridiem et occidentem sit ut constabit si a loco a quo incipit moveri ducatur corda ad punctum in quo cessat a motu, apparebit enim motum illum esse obliquum inter occasum et meridiem. Et eodem experimento cordæ potest deprehendi, posse nautam ita moveri ut per lineam rectam feratur versus meridiem si motum suum dirigat versus punctum inter orientem et meridiem interjectum. Idem fit si per manum moveatur sursum vel deorsum.

Ad secundum. Vel rota movetur circulariter versus eandem partem versus quam fertur navis, vel versus alteram. Si primum, non movebitur duplici motu, sed ita movetur unico motu ac si rotaretur per illud spatium per quod pergit navis; cum enim movetur tali motu non habet axem fixum, sed etiam axis movetur, unde similis esset ille motus, motui rotæ in curru. Si autem moveˆtur in partem diversam, vel movetur in partem oppositam ei ad quam movetur navis, vel non in oppositam sed ad latus. Si hoc secundo modo moveatur, tunc eodem modo movebitur rota, quo moveretur in terra si ab uno rotetur versus septemtrionem, ab alio trahatur continue versus occasum; tunc enim simpliciter movebitur versus occasum, ita tamen ut oblique moveatur secundum quamlibet partem versus occasum, ac proinde licet quælibet pars nunc accedat nunc recedat magis a septemtrione, tamen secundum omnes partes semper accedit ad occidentem. Unde quælibet pars, et consequenter tota rota movetur uno motu, et acquirit unum ubi diversum ab eo quod acquireret si unum solum ex illis moventibus moveret rotam. Si autem primo modo moveatur, tunc etiam unico motu circulari movetur ad eam partem ad quam navis. Si enim figatur palus in puncto a quo incepit rota moveri et ducatur funis ad punctum ubi cessat motus, apparebit semper magis accessisse

ad occasum, licet quælibet pars accesserit per lineam gyrativam, ac proinde mota sit per spatium diversum ab eo per quod mota fuisset, si a sola navi delata fuisset sine rotatione in oppositam partem. Unde si navis tardissime pergat, celerrime autem circumvolvatur rota, movebitur rota celerrime et plurimum spatii conficiet, non quidem recti, sed circularis a quo ambitur. Sicut enim fieri potest ut sphæra fixa in uno loco celerrime circumvolvatur, et tamen non acquirat spatium secundum omnes partes diversum ab eo in quo fuerat, sed solum ideo celeriter moveri dicitur quia quælibet pars sphæræ pluries respondet eidem parti spatii: ita fieri potest ut rota velocissime moveatur, licet exiguum spatium conficiat, eo quod quælibet pars periferiæ rotæ pluribus partibus spatii circularis responderit.

Ad tertium respondent aliqui: solem moveri duntaxat ab ortu ad occasum, tardius tamen quam primum mobile, et ideo præcurrit primum mobile, atque ideo videri orbes inferiores retroduci in ortum cum non ita sit. Sed revera hoc bene rejiciunt Conimbricenses 2. Cœli cap. 5. Licet enim hoc modo explicari possit quomodo videantur planetæ et firmamentum retrorsum agi, revera tamen si hoc solum modo fieret, omnes stellæ motu diurno eosdem circulos citra et ultra æquinoctialem describerent, neque nunc magis nunc minus ad nostrum verticem accederent vel ab eo recederent. Et præterea in eodem horizonte eisdem semper locis orirentur et occiderent, cum nihil esse posset quod talem diversitatem causaret si tantum super polos mundi ex vi unius potentiæ motivæ cierentur. Et denique hoc impugnant ea quibus Clavius in cap. 1. Sphæræ fol. 59. probat non per eosdem polos mundi, sed per alios moveri octavam sphæram et planetas etc. Respondeo ergo: ex vi duplicis potentiæ motivæ vel etiam triplicis etc. concurrentis ad motum orbis, solis etc. fieri ut videatur pluribus motibus cieri cum tamen unico cieatur, diverso ab eo quem haberet si solum ab una causa moveretur, ut ex dictis patet.

QUAESTIO QUINTA.

A quo, et cur velocius in fine moveantur gravia.

Egimus de motu locali; nunc de motore agamus, an scilicet motor a re mota necessario debeat distingui. Hac de re latissime

disputant Pererius lib. 7. art. 15., Conimbricenses 8. Phys. cap. 4. qu. 1., Zabarella lib. De motu gravium, Sotus 8. Phys. qu. 3., Toletus 2. Phys. qu. 2., 8. Phys. qu. 4., Suarez disp. 18. Metaph. sect. 7. a n. 21. In qua re

Prima sententia est dicentium gravia et levia moveri localiter, non a seipsis quasi habeant in se principium effectivum motus, sed moveri vel a cœlo ut volunt quidam apud Niphum 8. Phys. text. 33., et Zabarellam lib. 1. De motu gravium cap. 2., vel a generante ut docet Aristoteles 8. Phys. a text. 29. et 32., 2. Cœli text. 9., lib. De motu animal. cap. 3., quod Conimbricenses ubi supra art. 2. et 3. ita explicant ut velint generantem esse causam efficientem principalem talis motus, causam vero instrumentalem esse ipsam formam substantialem rei gravis, et etiam ipsam gravitatem. Idem fere Soncinas 9. Metaph. qu. 8., Javellus qu. 9., idem Ferrariensis, Capreolus, Cajetanus etc. citati a Conimbricensibus. Favet div. Thomas 1. 2-æ qu. 18. art. 1. et 1. Contra gent. cap. 97. Quod autem gravia non moveantur a seipsis ut a causa efficiente principali probant Conimbricenses primo. Movere seipsum tanquam causa principalis motus est proprium munus viventis ut habet Aristoteles 8. Phys. text. 29., 2. Cœli text. 9., 1. De anima text. 19. et libr. 2. text. 13. nec alio indicio viventia a non viventibus discernuntur. Sed elementa non sunt viventia. Addit Aristoteles, ea quæ se movent posse a motu cessare, et moveri diverso modo quod elementis non convenit. Confirmatur. Nam in re quæ movetur distingui debet pars movens et mota, ut in animalibus pars movens est cor etc. Sed elementa cum sint homogenea non habent partes diversæ rationis quarum una sit movens alia mota: ergo.

Dico primo. Nec locus, nec cœlum, nec medium est quod effective movet gravia ad sua loca naturalia. Ita Zabarella illo cap. 2. Probatur primo, nam licet locus moveat grave ut ad illum feratur per modum finis, eo quod finis illius motus est in loco naturali constitui, hæc tamen motio metaphorica est, hic vero quærimus causam efficientem talis motus; necessario enim dari debet efficiens causa illius. At hæc non potest esse locus, ita ut quemadmodum magnes trahit ferrum mediante virtute motiva a se transmissa, moveat etiam locus. Tum quia talis virtus non posset a corpore naturali transmitti ad quamcunque distantiam, elementa tamen ex quacunque distantia moventur ad propria loca; tum quia

corpora graviora tardius moverentur ad locum suum quam minus gravia, eo quod locus non tam facile posset trahere graviora ac leviora. Similiter quæ ex altiori loco cadunt vehementius feruntur, quod tamen non fieret si locus traheret æque ipsum mobile. Et præterea talis motus esset a principio externo. Quod si Aristoteles 4. Phys. text. 4. dicat locum habere vim attractivam intelligitur de tractione metaphorica, per quam tanquam finis dicitur esse causa motus.

Secundum probatur eodem modo quo ostendimus motum gravium quo ad vacuum vitandum sursum feruntur non fieri a cœlo. Nam cœlum remissius operatur in locis distantibus quam in propinguis et a corpore interjecto impeditur ejus operatio, ut muro arcetur nimius solis ardor etc. At in specubus subterraneis remotissimis a sole æque velociter grave fertur deorsum: ergo. Addit Aristoteles 1. Cœli text. 89. quod si per extrusionem pellatur grave deorsum, majorem terram tardius ferri deorsum, et præterea in fine tardius movenda; quod enim magis resistit trusioni, vel quod remotius est ab eo quod impellit, tardius feruntur eo quo impelluntur. Addit Zabarella secundum hos motum deorsum, violentum esse.

Tertium probatur. Nam medium v. gr. aër movetur eo quod a gravi commoveatur, quando scilicet ipsum grave impellit aërem ejusque locum occupat: ergo causa motus medii est quia impellitur a gravi: ergo non potest medii motus causare motum gravium, de quo bene Zabarella lib. 1. De motu gravium cap. 6.

Dico secundo. Gravia non moventur effective a generante, sed a gravitate tanquam a causa principali effectiva. Prima pars est auctorum mox citandorum et probatur eodem fere modo quo ostendimus substantiam non semper produci ab eo quod produxit accidentia. Nam motus localis gravium habere debet causam efficientem immediatam actu existentem ex Aristotele 2. Phys. text. 38. Sed generans sæpe jam est corruptum et nihil actu quando fit motus a gravibus vel levibus: ergo cum id quod non est, agere effective non possit ut 2. Phys. ostendimus (licet id negent hic Conimbricenses art. 4. ad 1. quod tamen alibi concesserunt ut 2. Phys. ostendimus), debet alia causa efficiens actu existens dari quæ moveat gravia. Quo etiam argumento constat gravitatem vel formam elementi gravis non producere motum solum instrumentaliter, ita ut causa principalis sit generans. Nam ut loco cit.

ostendimus quilibet effectus debet habere causam principalem actu existentem a qua producatur, nam causa instrumentalis ex se incompleta est et insufficiens ad producendum effectum independenter a concursu causæ principalis; si enim sufficiens esset, revera non esset instrumentalis, sed principalis causa. Deinde quod nihil est, nec actu concurrit ad effectum non est causa illius effectus: ergo nec est causa principalis, quæ argumentatio a negatione superioris ad negationem inferioris est optima. Eodem modo probat Zabarella lib. 1. De motu gravium cap. 4. non fieri talem motum a removente prohibens, nam remoto impedimento durat motus licet corrumpatur removens. Præterea aliquando idem est removens, ut si ex filo suspensus lapis tandem filum rumpat: ergo.

Secunda pars probatur. Aristoteles enim gravitatem et levitatem vocat potentias effectivas motus, nam in primis 4. Cœli text. 25. gravia et levia ait habere principium activum sui motus, et 4. Phys. text. 86. densum et rarum quatenus gravitatem et levitatem causant, lationis factiva sunt ait, idem 8. Phys. text. 32., 3. Cœli text. 28., divus etiam Thomas 1. 2. qu. 36. art. 2. descensionis ait gravium causa sicut finis est locus, principium autem motus est inclinatio naturalis quæ est ex gravitate. Et 1. p. qu. 105. art. 5. generans ait solum dicitur movere grave, quia dat illi gravitatem, Deus autem non hoc solum modo concurrit ad operationes creaturarum. Deinde probatur ratione. Nam hujusmodi motum fieri non a forma substantiali gravium præcise evidens est, eo quod manente eadem forma substantiali res potest nunc gravis esse nunc levis, et consequenter nunc ferri sursum nunc deorsum ut in exhalatione et vapore apparet quæ ascendunt licet substantialiter sint terra et aqua. Et similiter eadem forma manente si res fiat magis vel minus gravis, movetur celerius vel tardius, atque ideo signum est augeri vim effectivam talis motus: ergo a gravitate et levitate tanquam causis principalibus provenit talis motus, non tanquam a causis formalibus, quia per gravitatem res consistere potest in loco ac proinde non per gravitatem formaliter descendit, sed per descensum: ergo tanquam a causis efficientibus. Confirmatur. Nam nulla alia causa hujusmodi motus assignari potest ut ostendimus; deinde celeritas motus crescit et decrescit prout gravitas crescit vel decrescit: ergo signum est principium talium motuum esse gravitatem. Dicitur autem motus proveniens a gravitate et levitate naturalis, si gravitas et levitas

connaturalis sit ei quod movetur. Si enim non sit connaturalis ut cum exhalatio terrea rarefacta ascendit, tunc motus naturalis non est, et etiamsi Deus igni gravitatem inderet, non moveretur naturaliter deorsum.

Et hæc quidem si de re ipsa disputemus certissima sunt. Sed quæstio est de nomine inter Scotum et Thomistas, an ex eo quod agens produxit formam a qua naturaliter manat gravitas quæ immediate movet, tribui possit motus generanti vel removenti prohibens. Nam Scotus contendit non posse nec debere propter hoc motum tribui generanti, sicut animal licet accipiat vim qua se moveat a generante, non ideo tamen tribuitur ejus motus generanti. Et eodem modo quælibet creatura accipit a Deo vim operandi atque ideo Deus deberet dici principalis causa omnium effectuum, nec ulla creatura diceretur causa principalis actionis alicujus. Thomistæ vero ajunt tribui posse et debere generanti ea quæ per emanationem et non per veram actionem sequuntur ex aliqua re. Et Conimbricenses citati art. 2. ea ajunt posse tribui generanti quæ spectant ad naturalem perfectionem rei productæ in eo instanti in quo producuntur. Sed hæc et similes controversiæ sunt de modo loquendi.

Ad auctoritatem Aristotelis qui docet grave moveri a generante, viventia a seipsis, respondeo. Id intelligi debere eo modo quo 2. Phys. disp. 1. qu. 1. dicto 4. innuimus. Hoc enim dat Aristoteles discrimen inter animalia et gravia, nam animalia ita se movent ut etiam in locis naturalibus existentia possint incipere motum, et ab illo sistere, ac proinde non acceperunt a generante potentiam per quam determinata sint ut semper moveantur. At vero gravia non hoc modo se movent ut scilicet possint incipere motum per se, et ab illo cessare, sed acceperunt a generante naturam et consequenter qualitatem quæ est gravitas, per quam ita determinantur ad motum ut non possint nisi dum sunt extra locum naturalem et removentur impedimenta, moveri, nec pussunt sistere antequam ad locum naturalem perveniant nisi violenter, cujus contrarium est in animalibus ut diximus. — Ad confirmationem: etiamsi concedamus movens per se, et per se motum debere distingui, dicimus gravitatem esse movens per se; est enim causa principalis motus, sicut calor caloris, et virtus impressa motus localis violenti. Id vero quod per se movetur est corpus quod est subjectum gravitatis ad cujus motum per accidens movetur etiam

gravitas, sicut in viventibus quæcunque dicatur esse pars movens, eadem necessario movetur ad motum viventis saltem per accidens; quamvis movens et motum debere semper distingui naturaliter, non possit universaliter ostendi ut disp. De motu qu. 7. diximus, et expresse docet Zabarella lib. 1. De motu gravium cap. 13.

Dico tertio. Causa cur gravia et levia velocius in fine moveantur est quia minus resistit medium in fine motus quam initio, et ita minorem resistentiam debet vincere grave in medio quam initio. Est Pererii lib. 14. cap. 3., Zabarellæ lib. 1. De motu grav. cap. 16. Antequam probetur conclusio. suppono necessarium esse quod motus gravium in fine sit velocior quam initio ut docet Aristoteles 5. Phys. text. 61., lib. 8. text. 76., 1. Cœli text. 88., lib. 2. text. 35., licet Simplicius apud Pererium et Conimbricenses 2. Cœli cap. 6. qu. 1. art. 1. hoc in dubium revocent. Experientia enim constat eo majorem ictum fieri a re gravi quo ex altiore loco descendit, et quo quis fortiorem ictum vult efficere eo altius securim attollit, ex quo dat causam Aristoteles qu. 19. mechan. cur si securis super lignum ponatur et ingens imponatur onus, minus scindat, quam si securis elata percutiat. Fateor tamen in motu levium non posse id experientia cognosci, levia enim quo magis ascendunt eo magis distant a nobis nec facile ob tenuitatem sensu percipiuntur, nihilominus idem in levibus accidere, nisi aliquid obsistat credibile est. Dixi: nisi aliquid obsistat; aliquando enim levia initio celerius moventur quam in fine, ut in fumo et vapore constat, quia scilicet initio majorem habent levitatem ab extrinseco impressam, quam sensim amittunt, reducendo se ad nativam gravitatem et frigus; præterea magis unitæ sunt partes vaporis initio, atque ideo facilius dividunt medium, postea vero levioribus partibus pervolantibus, graviores dissipantur et ad movendum fiunt ineptæ.

Jam ergo explicatur et probatur conclusio optime a Zabarella. Experientia certum est ut qu. 2. diximus medium resistere plurimum corpori quod movetur per illud, eo quod necessario debeat scindi medium ut per illud feratur mobile. Unde etiam constat facilius quem moveri per medium quiescens quam per medium adverso motu latum, et multo etiam facilius si medium ad eandem partem feratur ad quam mobile, ut in navi et hominibus cum ex adverso ventus validus perflat etc. experimur et docet Aristoteles 4. Phys. text. 71.; medium enim si adverso motu moveatur magis

resistit quam si quiesceret. Jam ergo lapis cum deorsum ferri incipit aërem sibi subjectum et quiestem premit et commovet qui propter continuitatem movet etiam et impellit aliquam aliam partem sibi subjectam, sicque lapis cum ad eam partem aëris pervenit invenit eam motam versus eandem partem, versus quam movetur lapis atque ita velocius movetur per illam partem. Ex eo autem quia motus lapidis velocior sit in illa parte medii, magis impelli subjectam sibi partem aëris quam impulerit ante, atque ita illa parte medii quo diutius movetur eo plures partes aëris et eo etiam vehementius impellit. Et quo velocior fit motus aëris deorsum eo velocius per illum movetur lapis ob dictam causam. Et ratio est, nam velocitas motus augetur propter excessum motivæ virtutis supra resistentiam medii, atque ideo quo minor est resistentia medii, eo motus est celerior. Sed in descensu lapidis minuitur magis ac magis continue resistentia medii propter causam dictam. Ergo licet virtus motiva lapidis semper eadem sit, excessus tamen ejus supra resistentiam medii semper magis augetur et ideo motus fit velocior. Et hoc est quod Zabarella ait motum esse velociorem in fine propter motum præcedentem, quia scilicet motus præcedens fuit causa ut medium commoveretur versus illam partem, versus quam fertur mobile, atque ita ut minus resisteret. Quomodo autem velocitas motus gravium crescere nequeat in infinitum, ex qu. 2. dicto 2. patet.

Ex his facile est reddere rationem cur motus violentus non fiat velocior in fine, sed tardior ut recte Aristoteles 1. Cœli text. 89. Nam motus naturalis cum fiat a propria qualitate mobilis permanente toto tempore motus, et simul etiam minuatur resistentia medii, necesse est velocitatem motus augeri. At vero virtus movens violenter, scilicet impetus semper minuitur et debilitatur, ac proinde licet minor sit resistentia medii, non potest tamen ob defectum virtutis æque celeriter moveri, et ideo tardior fit motus violentus in fine quam initio, eo quod initio virtus movens est fortior, in fine debilior. Et hanc puto fuisse mentem Aristotelis, qui velocitatem in fine docet nasci ex incremento virtutis motivæ, non quod velit augeri gravitatem rei, sed quia crescit excessus virtutis motivæ supra resistentiam medii, quo diutius mobile fertur.

Dices: Aristoteles 1. Cœli text. 88. sic argumentatur: terra quo propius accedit ad centrum eo movetur velocius; ergo si infinitus esset motus, infinita esset celeritas; ergo infinita gravitas,

ubi majorem velocitatem tribuit Aristoteles majori gravitati. — Respondeo vel ibi per gravitatem intelligit gravitationem seu motum deorsum ut exponit Zabarella loco cit. cap. 17., sicut etiam 4. Cœli text. 29. cum docet graviora esse quædam in aëre quam in aqua, vel ut alii volunt argumentatur Aristoteles ad hominem contra eos qui putabant gravitatem augeri in motu, ex quo infert Aristoteles fore infinitam gravitatem si per infinitum spatium moveatur.

Et ex his facile est ostendere alias causas hujus velocitatis ab auctoribus allatas, vel impossibiles esse, vel insufficientes ut late ostendit Zabarella lib. 1. De motu grav. cap. 15. Aliqui enim ajunt gravitatem v. gr. mobilis crescere quo magis accedit prope terram, diminui quo magis ab ea distat, et idcirco majorem gravitatem esse quæ causa est majoris velocitatis. Alii ajunt qualitatem impressam gravibus cum sursum projiciuntur aliquanto tempore descensus lapidis durare, et ita resistere ne æque celeriter moveatur ac in fine cum jam impetus ille penitus deficit. Alii totam hujus rei causam ad medium referunt. Docent enim vel ideo velocius moveri quia quo propius est grave centro eo minus restat medii quod resistat ejus motui; vel ut ait Durandus 2. dist. 14. qu. 1. quia aër quo vicinior est terræ eo est minus levis, atque ideo minus nititur contra motum gravis descendentis; vel denique quia medium impellit grave deorsum, unde non tantum gravitas, sed et impulsus a medio productus causaret motum velociorem. Verum non eodem omnes modo explicant qua ratione impellatur lapis a medio.

Sunt qui velint a partibus medii quæ sunt post mobile, impelli corpus, quia inquiunt propter metum vacui, partes quæ erant post mobile illud insequuntur et impellunt. Alii ajunt partes medii subjectas lapidi comprimi et condensari, sed earum resistentiam tandem superans lapis, scindit et dividit medium, ejusque partes motus velocitate antevertit, atque ita circa latera mobilis præcurrentis partes aëris densatæ relinquuntur quæ se rarefacientes, et consequenter majorem occupantes locum, impellunt a tergo mobile, atque ita quo magis augetur velocitas et magis comprimuntur partes medii subjectæ mobili, eo majori impetu fit rarefactio et impulsio mobilis. Experientia autem constat rem cum rarefit impellere aliud ut in fulminibus et bellicis tormentis patet. Alii denique ajunt, lapidem v. gr. descendentem deorsum pellere

partem medii sibi subjectam, quia tamen velocius movetur quam pars medii a se impulsa scindit et præcedit partem impulsam medii. Illa ergo pars medii impetu accepto a lapide descendente, trudit a lateribus deorsum lapidem, et in eo producit impetum sicut produceretur si ab homine deorsum projiceretur. Unde lapis in secunda parte medii jam movetur celerius quam in prima propter impetum acceptum a medio, quem ante non habebat, hinc fit ut secundæ parti sibi subjectæ majorem tribuat impetum, quam ubi illam scidit ab ea magis impellitur a lateribus quam a prima, et sic consequenter quo vehementius impellit lapis partes medii eo vehementius ab iis impellitur et celerius movetur. Unde ajunt quod motus aquæ in canali non sit velocior in fine quam initio nisi vel canalis sit in fine declivior vel magis impellatur ab alia aqua in fine.

Hæ igitur omnes sententiæ aliquid habent quod mihi non statisfacit. Primo enim quod gravitas mobilis non sit eo major quo vicinius est centro mobile probat Simplicius apud Zabarellam illo cap. 15., quia inquit ex hoc sequitur eandem rem in loco altiori minus ponderare quam in propinguo terræ. Sed hoc nihil valere recte ostendit Zabarella. Sicut enim inquit minueretur res quæ ponderatur, ita etiam pondera eadem proportione minuerentur vel augerentur. Probatur ergo, tum quia quo ex altiori loco cadit lapis eo majorem ictum facit, quod signum est velocius moveri, et tamen sive ex altiori sive ex demissiori loco cadat quando est æque vicinus terræ, æque magnam gravitatem seu vigorem vel roborationem qualitatis haberet juxta illam sententiam, et consequenter æque velociter moveretur.

Secundo. Illa causa de virtute impressa quæ initio motus deorsum nondum plene defecit, etsi in iis quæ sursum projiciuntur locum habere possit in iis tamen quæ superius quieverunt, atque adeo nullam habent virtutem impressam et per remotionem prohibentis deorsum feruntur locum non habet, cum tamen etiam ista ferantur velocius in fine et multo minus in iis quæ superius gignuntur gravibus.

Tertio. Quod paucitas medii superandi circa finem motus, rem non expediat, sic ostendo. Nam mobile si ex loco altiori descendat, velocius in fine descendet et ictum majorem faciet, quam si ex loco propinguo demitteretur, et tamen circa finem motus eadem quantitas aëris est superanda utrique mobili. Deinde non totus aër est qui resistit ne scindatur, sed solum pars vicina

mobili quæ immediate scindi debet, sicut cum ego versus orientem pergo, non resistit mihi totus aër qui usque ad orientem extenditur. Ex quo apparet non plus aëris resistere mobili initio quam in fine, sicut nec nobis ambulantibus versus ortum plus aëris resistit si simus occidentaliores, quam si orientaliores, ut experimur cum eadem facilitate utrobique ambulemus.

Quarto. Durandi sententia nullam habet probabilitatem, nam secundum eam non potest explicari cur mobile ex altiori loco dimissum moveatur velocius. Præterea medium non resistit per levitatem quasi sursum intendo contra motum lapidis, cum in loco naturali non gravitent vel levitent elementa, sed solum quia continuitatem scindi non patitur. At cum in infima aëris regione densius sit medium, magis etiam huic scissioni resistit, et sic tardius movebitur grave prope centrum. Denique quomodo medium impellat gravia deorsum non facile explicatur, nam quod aër qui sequitur mobile propter metum vacui non impellat gravia, clarum est. Cum enim movetur deorsum ad vacuum replendum trahitur contra suam naturam pars aëris supra lapidem existens, atque ideo potius aër qui sequitur et trahitur retardat motum. Ergo cum aër trahatur a lapide descendente non poterit moveri velocius ipso lapide, ut ei possit impetum addere. Deinde tam initio motus quam in fine semper æque velociter movetur aër ad impediendum vacuum, ac proinde si a tali motu impellitur grave semper æqualiter impelletur, nec movebitur in fine velocius quam in principio. Confirmatur. Si aër movetur ad replendum vacuum, non majori impetu movetur quam sit necessarium ad vacuum implendum. Quod vero non fiat tanta condensatio medii, ut ex ea vehemens rarefactio sequi possit, atque adeo maximus impetus, experientia constat præsertim si figura rei mobilis sit aptissima ad scindendum medium. Et nos cum movemur non sentimus ullam notabilem densationem, fluidus enim est aër natura sua, et qui facile cedat dividenti.

Ultimo Conimbricenses 6. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 8. et 2. Cœli cap. 6. qu. 1. art. 2. dicunt grave habere vim producendi in seipso impetum qualem projiciens imprimit lapidi, ita tamen ut non nisi præcedente motu id possit, et quo diutius movetur eo majorem possit producere impetum in seipso. Facile tamen refellitur ex eo quod cum aqua per tubos movetur, non movetur velocius in fine nisi in casibus supra dictis. Præterea illa major velocitas motus quæ fit ab impulsu est præternaturalis respectu gravis,

ut patet si quis e loco non adeo alto projiciat tanto impetu lapidem, quantum habuisset lapis si nemine projiciente e loco alto caderet. Ergo præter virtutem naturalem moventem non eget grave tali virtute præternaturaliter se movendi. Ad hæc non potest dari ratio cur non producat grave si violenter moveatur a projiciente talem impetum.

Probabilius dici posset id quod ultimo loco supra retulimus, partes medii impulsi a lateribus impellere mobile. Dici enim posset aerem habere vim producendi impetum, si tamen impellatur, ita ut impulsus ille sit conditio, sicut in brachio motus præcedentes impressionum impetus. Verum hoc non est necessarium dicere, cum ratio celerioris motus in fine, sufficienter modo a nobis explicato assignetur, et præterea quia concedi deberet ab aere produci etiam in projectis talem impetum, et consequenter projecta moveri in infinitum. Ridiculum enim est dicere aërem solum producere talem impetum cum res movetur naturaliter, neque enim aer discernere potest sit ne motus aliquis naturalis an violentus.

QUAESTIO SEXTA.

A quo moveantur projecta, impulsa et tracta.

Omissis variis motus localis divisionibus Aristoteles 7. Phys. text. 10. dividit motum localem in eum qui fit ab extrinseco principio et qui ab intrinseco. Quæstione præcedenti explicavimus quæ sit causa efficiens motus eorum quæ ab intrinseco moventur; nunc de iis quæ moventur ab extrinseco idem est examinandum. Docet vero Aristoteles ibi, motum qui fit ab extrinseco esse pulsionem, tractionem, vectionem, vertiginem. Pulsionem autem duplicem esse; vel enim impellens deserit rem impulsam, vel eam comitatur. Et illa quidem dicitur proprie projectio, hæc vero pulsio. Quærimus ergo quæ projiciuntur quam habeant causam efficientem motus; ubi enim hoc resolverimus facile de pulsione, tractione etc. determinabimus.

Ratio difficultatis est, nam projectum debet habere causam efficientem actualem sui motus, quia effectus novus non potest produci nisi aliqua causa actu operetur. At terminus motus projectorum est novus effectus. Ergo habere debet causam sui productivam. Ea vero non est primum movens, quod scilicet impulit

rem sed tamen eam deseruit, tum quia illud movens potest corrumpi durante tali motu rei projectæ; tum quia licet non corrumpatur, non potest juvare mobile distans, nec illud movere. Aliud autem a quo moveatur non apparet: ergo.

Prima sententia est dicentium, causam motus projectorum non posse esse aliquam qualitatem quæ a projiciente imprimatur mobili et perseveret aliquamdiu moveatque projectum, sed ab aere circumstante impelli rem projectam. Ita Pererius lib. 14. a cap. 4., Averroës et Simplicius 8. Phys. text. 82., Mayronis 2. dist. 13. qu. 7., div. Thomas 3. Cœli text. 28. in fine lect. 7., Fracastorius lib. De sympathia cap. 3., et eadem videtur sententia Aristotelis 8. Phys. text. 82. et 4. Phys. text. 68., item sect. 71. Probl. 6. et in Quæst. mechan. qu. 33. Verum quomodo moveatur a medio, non eodem modo explanant. Aliqui ut Fracastorius volunt vehi a medio impulso sicut onera a navi. Alii impelli ajunt a medio; illud enim condensatum a projiciente, se postea rarefacit et ad nativum statum revocat. Sicut enim videmus saxo in aquam projecto partem aquæ condensatam se rarefacere et proximam impellere, quæ rursus condensata se rarefaciens aliam partem impellit per aliquod spatium, ita aer qui primum a projiciente impellitur, post projectionem reducit se ad raritatem, et ita prima pars se rarefaciens impellit secundam, illa aliam etc. Hæ autem partes se rarefacientes versus eam partem versus quam projectum est corpus impellunt corpus projectum. Hinc ait Fracastorius a principio segnior est motus propter resistentiam totius aeris nondum positi in motu, mox factis multis circulationibus, et potente jam aere sese expandere velocitas augetur donec summa fiat, ad quam dum perventum est lentescit sensim motus, aere qui ante est plurimum rarefacto ac jam condensatione continenter magis ac magis desinente, minorata obsistentia. Et hoc tandem modo solutio fit circulorum et vectio cessat.

Probant hanc sententiam ostendendo non posse produci ullam qualitatem in mobili, a qua fiat motus. Primo, nam ut ait Aristoteles 2. Cœli text. 35. projecta velocius moventur in medio motu quam initio et majorem ictum ibi facit, unde tormenta in debita distantia constituta majorem stragem edunt, quam si nimis vicine admoveantur. At si moverentur a qualitate impressa, cum hæc qualitas initio sit intensior velocius moveret quam in fine: ergo. Similiter si a tali qualitate movetur non potest explicari cur in

pluma etc. produci non possit talis qualitas, ac proinde æque moveatur pluma ac lapis projectus, et tamen videmus levia non posse projici, sed tantum gravia.

Secundo. Si datur talis qualitas quæro: in quanam specie qualitatis collocetur, sit-ne prima an secunda qualitas? sit-ne ejusdem speciei vel diversæ in omnibus motibus? Si enim ejusdem, quomodo sursum et deorsum movet; si diversæ, quomodo idem numero brachium tam facile qualitates specie distinctas producit?

Tertio. Nulla est potentia productiva hujus qualitatis in mobili, ut inductione patet. Præterea non potest explicari an producatur hæc qualitas in instanti vel in tempore: ergo. Si enim in instanti, cur bombardæ longiores fortius projiciunt, sicut et brachium quo magis removetur. Si in tempore, quomodo cum duo globi impingunt, cum non quiescant in puncto reflexionis producitur impetus? et cum non habeat contrarium cur non possit in instanti produci. Denique si per motum imprimatur illa virtus, cur si manum extensam feram et in vola lapidem, non imprimitur illi virtus quæ lapidem e manibus abripiat?

Quarto. Hæc qualitas nullam habet causam corrumpentem in mobili; gravitas enim et levitas non sunt contraria huic qualitati, tum quia unum uni est contrarium, tum quia si essent contraria: ergo cum grave sursum projicitur ejus gravitas remitteretur: ergo semper illa qualitas durabit, et in infinitum movebit. Confirmat Pererius. Nam non potest assignari in qua parte mobilis recipiatur talis qualitas: ergo.

Quinto. Corpus projectum si impingat in parietem resilit, et tamen paries non producit talem qualitatem, semper enim produceret quoties aliquid illi applicaretur: ergo.

Dico primo. Projecta non moveri a medio v. gr. ab aere tanquam a causa efficiente motus illorum. Et primo quod medium non moveat tanquam vehens projectum patet, tum quia flante vento in contrariam partem ei ad quam projectum fertur, non permanet circa corpus motum aliqua pars aeris a qua vehatur; tum quia fieri potest ut motus in aere inceperit et in aqua continuetur, per aquam autem certum est ab aere non deferri mobile; tum denique quia pars aeris quæ vehit projectum non movetur ex se, sed potius in suo loco naturali quiescere debet: ergo non a virtute naturali sed a qualitate accidentali movetur. At eandem qualitatem potest recipere projectum, et sicut aer vehens dicitur

moveri, ita dici potest ipsum projectum moveri. Confirmatur. Nam secundum illam sententiam non potest explicari cur motus projectorum in medio sit vehementior quam initio, cur levia ut plumæ non æque bene projiciantur atque gravia.

Secundo quod ab aëre rarefaciente se impelli non possit projectum, probatur. Tum quia sæpe aëris condensatio exigua est et tamen motus velocissimus, ut cum ex chorda balistæ vel arcus emittitur sagitta subtilis, parum admodum ictus chordæ subtilis condensat aërem qui natura sua facile scinditur, et tamen velocissime movetur sagitta, quod multo efficacius probabit, si ante arcum ponatur membrana aëri impervia per quam sagitta expulsa transeat, tunc enim aër impeditus ab illo corpore objecto non apparet qua ratione ultra membranam moveat sagittam. Tum quia etiamsi medium non condensetur nec rarefiat potest moveri projectum, ut si globus projiciatur per foramen quod omnino repleat. Tum quia velocius movetur aër cum perflat validus boreas quam dum se rarefacit ex impulsu chordæ arcus, et tamen non potest sagittam tanto impetu movere: ergo improbabile est velocissimum motum sagittæ ab aëre se rarefaciente provenire. Tum quia non est credibile si quod movetur sit valde grave, illud propter densitatem aëris posse detineri ne decidat, quia sæpe aër sub corpore aliquo gravi et lato descedente naturaliter, magis condensetur dum aliquod corpus projicitur, et tamen non impellit sursum et ad latus rem descendentem.

Dico secundo. In projecto producitur a projiciente qualitas quædam a qua movetur projectum ita ut principalis causa hujus motus sit illa qualitas quæ impetus vocari potest. Ita Scaliger Exercit. 28., Toletus 8. Phys. text. 86., Conimbricenses 7. Phys. cap. 2. qu. 1. art. 8., Sotus 8. Phys. qu. 3. ad 2., Capreolus 4. dist. 1. qu. 1. art. 3. ad 3. Aureoli contra 3. concl. Div. Thomas Quæst. de anima art. 11. ad 2. virtus ait seminis est permanens, sicut virtus moventis quæ est in projectis, et qu. 3. De potentia art. 11. ad 5. in sagitta ait manere impulsum projicientis; idem habet 1. Cœli text. 88., 2. Cœli text. 35. lect. 8., unde suspicantur aliqui id quod pro prima sententia ex 3. Cœli allatum est divi Thomæ non esse, et forte nec commentarios in libros de Cœlo. — Hunc autem impetum non in medio, sed in projecto produci ostendunt Conimbricenses. Nam revera æque produci potest talis impetus in re projecta ac in medio, imo multo melius. Unde videmus

celerius moveri lapidem quam plumam, quod tamen non fieret si solum medium impelleretur, et illud quasi veheret projectum. Præterea quod ajunt quidam hunc impetum produci ab ipso corpore impulso et non a projiciente refellitur: nam si illud produceret semel: ergo semper posset æque producere quando esset æque ad agendum applicatum ac ante, nec adesset impedimentum. Postquam enim aliquod agens necessarium sufficienter applicatum est ad agendum, et produxit effectum sibi proportionatum, si maneat eadem applicatio semper manebit effectus, si nullum impediens majus quam initio de novo adveniat: ergo si in projecto est virtus ad producendum in se impetum, semper producet postquam semel cœpit moveri, nisi adsit impedimentum, nec unquam cessabit motus illius. Deinde non posset explicari cur quo fortius impellitur res velocius moveatur, si non producitur a projiciente impetus.

Nostra ergo conclusio est hanc vim produci effective in mobili a projiciente, quod probatur, tum quia reliquæ omnes sententiæ sunt improbabiles; tum etiam quia admissa hac virtute ea omnia quæ de motu projectorum quæri possent intelliguntur, ut ex solutionibus argumentorum constabit. Confirmatur, nam omnes concedunt a magnete, sucino etc. produci in re qualitatem per quam moveatur res sive sursum sive ad latus, quod non minus est difficile quam admittere in re impellente talem virtutem.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondent Conimbricenses, ideo celerius moveri in medio quia tunc plures partes aëris sunt concitatæ, quæ suo appulsu rem jactam impellunt. Contra tamen est, nam si medium potest augere impetum lapidis: ergo potest æque intensum impetum producere ac projiciens produxit; impossibile enim est ut augeat aliquod agens qualitatem nisi posset etiam gradus remissiores producere: ergo nunquam cessabit motus projectorum. Nam in medio est vis productiva æqualem impetum ei quem habuit lapis a projiciente: ergo licet magis et magis distet a projiciente, poterit ab aëre impetum recipere.

Respondeo ergo: paulo post initium motus velocius moveri mobile, non quia tunc majorem habeat impetum, sed quia minorem invenit resistentiam quam initio. Aër enim initio plus resistit, postea impulsus fertur versus eam partem versus quam projectum, ideoque minus resistet ut quæstione præcedenti explicavimus, atque ita minor virtus celerius movet propter minorem resistentiam medii. Unde paulatim deficiente impetu, licet minuatur resistentia, minus

tamen celeriter movetur. Ad illud quod addebatur de pluma respondeo. Quodlibet corpus posse recipere in se impetum, nam ignis v. gr. impelli potest si per flammam projiciatur lapis, vel rota gyretur, vere enim etiam flamma in gyrum feretur etiam post ablatam rotam saltem exiguo tempore. Et tamen si impetum non recepisset non solum cessante motu rotæ, sed nec quidem dum rota gyratur ignis gyraretur, sed solum rota moveretur circa ignem sicut circa asseres etc. Deinde fulmen et alias exhalationes accensas deorsum impelli e nube certum est. Verum tamen est corpora graviora melius in se recipere impulsum, vel quia densiora sunt ideoque plus impetus in illis producitur propter multitudinem materiæ quam in corpore raro, multa vero qualitas licet non sit intensior fortius agit: unde calor intensior in subjecto raro minus calefacit, quam remissior in ferro; vel quia intensior qualitas producitur in duris qualia sunt gravia, quam in mollibus (hanc enim qualitatem intensibilem esse ex successiva ejus desitione constat). Nam durum magis resistit propellenti, et ideo majorem ictum recipit et per consequens intensiorem impetum; mollia autem qualia sunt leviora cedunt propellenti, nec tantum ictum recipiunt quantum dura, qua etiam de causa quædam mollia difficilius scindimus quam dura, licet durum quatenus durum difficilius deberet scindi. Eodem ergo modo licet grave quatenus grave difficilius moveri deberet sursum, quatenus tamen habet alias conditiones quæ gravitatem comitantur facilius projicitur.

Ad secundum. Hæc qualitas est potentia naturalis quatenus est productiva ubi, nec est prima qualitas vel ex illis orta, quemadmodum nec lux vel species visibiles etc. Omnes autem impetus existimo esse ejusdem speciei et sicut eadem vis attractiva magnetis, sucini etc. movet sursum et deorsum, ita impetus idem specie movere potest sursum et deorsum. Unde hæc qualitas ex se indifferens est ad movendum sursum et deorsum, sicut et magnetis qualitas, et a projiciente secundum ejus directionem determinatur ad motum sursum vel deorsum.

Ad tertium. Difficile est explicare quæ sit potentia productiva impetus, nihilominus existimo primo: potentiam motivam animalis esse causam efficientem hujus virtutis. Nam ea maxime utimur ad impellendum, et perfectioni vel imperfectioni illius proportionatur major vel minor impulsus: ergo signum est eam esse causam, nec est aliud in animali quod sit principium magis proportionatum

istius effectus. Existimo secundo: præter gravitatem et levitatem ac potentiam se rarefaciendi dari virtutem impulsivam in quolibet corpore, per quam apta sunt imprimere corporibus obviis impetum si trahantur vel vehantur ut patet si navis trahatur per aquam, impellit enim aërem etc. Hanc autem vim impulsivam puto non esse gravitatem vel levitatem, sed ipsam impenetrabilitatem quantitatis. Si enim omnia alia auferantur a quantitate, gravitas scilicet, levitas etc. et sola quantitas sine subjecto conservetur ut in speciebus Eucharistiæ, adhuc si vehatur vel trahatur producet impetum in aëre vel aqua. Eo enim ipso quod vehitur talis quantitas, et occurrat illi corpus occupans locum ad quem ipsa vehitur, percutit corpus illud et producit in illo qualitatem qua mediante trudatur. Unde quantitas non producit hanc virtutem nisi posito contactu forti, sicut nec sonus producitur sine tali contactu. Si autem res penetrabilis trahatur ut angelus etc. non movebit corpus obvium, sed transibit.

Ad illud quod quæritur, an producatur in instanti, respondeo. Aliquando produci in instanti, quando ictu aliquo res propellitur; illa enim virtus nec ante nec post contactum producitur, cum immediate post contactum res impulsa recedat a projiciente. Similiter quando projectus manu lapis impellitur, tunc primum imprimitur virtus cum e manu emittitur, tunc enim maxime applicatur virtus impulsiva, et ante solum movebatur lapis vectus ad motum manus. Unde si ante instans quo ultimo conjuncta est manus lapidi, aperiatur vola et permittatur lapis excidere, non movebitur nisi deorsum. Aliquando tamen productio hujus impetus fit in tempore, ut cum producitur a corpore se rarefaciente; tunc enim producitur impetus in tempore quod immediate sequitur post instans a quo corpus incipit se rarefacere, ut in pila tormentorum ab igne incluso in tormentis se rarefaciente. Propterea autem tormentum longius fortius jaculatur, quia major fit in illo rarefactio cum non tam cito possit in liberum aërem flamma erumpere, et ideo majori vi globus impellitur. Eodem modo producitur impetus in tempore a corpore se condensante ut in sagitta ab arcu se condensante. Verum tamen est, quod licet in hoc casu producatur aliquis impetus cum primum incipit se condensare arcus, tamen vehementiorem impetum produci in sagitta tunc, quando chorda ab arcu extenditur quantum potest, et tunc non permittens arcum consendari quantum posset, sed illi resistens vi maxima, exprimit

sagittam. Unde si chorda sit ita longa et permittat arcum condensari quantum potest, non ita celeriter impelletur sagitta, licet ante arcus magna vi fuisset rarefactus, et se magna vi condensasset. Unde præcipua vis eo instanti producitur in sagitta a chorda quo arcus non potest se amplius condensare

Ad quartum respondeo. Hæc virtus conservatur immediate a Deo ut causa principali sicut etiam calor etc., nec est illi contraria gravitas et levitas ut argumentum ostendit. Corrumpitur autem, quia sicut sunt quædam qualitates quæ postquam semel productæ sunt, semper in suo esse permanent donec a contrario corrumpantur, et sunt aliæ quæ in sua conservatione pendent a causa secunda per cujus absentiam corrumpantur, ut lumen etc.: ita sunt quædam media quæ nec statim corrumpuntur, nec semper in eodem statu manent, sed paulatim corrumpuntur ut sonus et impetus, cujus rei rationem a fine reddidimus 2. Phys. disp. 3. qu. 2 dub. 3. circa 2. Unde hæ qualitates paulatim evanescunt licet nullum habeant contrarium corrumpens. Fateor tamen in corpore gravi et minus durare impulsum et difficilius produci, quia aliquando resistit gravitas huic impulsui, seipsa formaliter, sicut densitas medii resistit ne sonus tam clarus et tam procul extendatur per illud. Quid autem hæc resistentia formaliter sit lib. De gener. dicetur.

Addo præterea hunc impetum etiam postquam non potest movere aliquamdiu permanere ut disp. præced. qu. 6. diximus, et recte Conimbricenses 8. Phys. cap. 8. qu. 1. art. 1. et art. 3. ad 1. contra primam conclusionem. Ad confirmationem. Hæc qualitas cum careat contrario potest in toto mobili produci in instanti. Et quamvis in sola ejus parte producatur illa tamen traheret alias partes secum, ut accideret si exigua vis motiva habens exiguam sphæram activitatis, moveret ingens corpus quod Deus spoliasset omni gravitate.

Ad quintum respondeo. Aristoteles 4. Cœli text. 25., 8. Phys. text. 34. docet corpora resilientia moveri ab eo quod primum motum produxit. Dico tamen quod si corpora collisa sint talia ut per ictum condensentur, ut cum pila vento inflata alliditur ad murum vel lapis ad utrem inflatum, tunc certum est percutiens cum impetu se rarefaciendo resilire, vel si percussum se rarefaciat impellere percutiens. Si vero non comprimantur ut condensentur, tunc iste impetus per quem resilit non producitur a corpore percusso, sed a projiciente, ita ut eadem virtus motiva quæ prius movebat,

occurrente impedimento in aliam partem moveat. Et signum a posteriore est, nam si projiciens magnam vim applicuit, magno impetu resilit pila, si parvam parvo. Eodem modo dicendum est, quando duo projecta sibi occurrunt ita ut utrumque resiliat, moveri a projiciente ut recte Aristoteles 8. Phys. text. 32.

Dices: quando grave pendet ex fune moveturque circulariter donec quiescat, a quo moveatur? A gravitate enim moveri non potest quæ sursum non movet, et tamen illa res sæpe sursum movetur. Respondeo: gravitas illius rei deorsum fert, sed detinetur a fune, qui per detentionem producit qualitatem a qua sursum fertur. Sed iterum corrumpitur gravitate deorsum premente, et tunc violenter retinens iterum producit qualitatem debiliorem, eo quod motus gravis deorsum fuerit minus velox, donec omnino nihil producat.

Ex his facile explicatur quomodo fiant alii motus ab extrinseco. Quæ enim vehuntur et trahuntur sine impetu ullo impresso moventur, nam si grave sursum trahatur statim ac tractio remittitur descendit; at si haberet in se impetum non subito descenderet. Eodem modo saxum navi vectum non recipit impetum ut simili experientia patet. Gyratio vero rotæ fit per impressionem alicujus impetus, nam etiam cessante movente, aliquamdiu movetur rota, licet verum sit tractionem etiam sæpe concurrere ad gyrationem. Moventur autem a vehente et trahente, vecta etc. quia dum movetur navis v. gr. necessario etiam movetur res illi conjuncta, ac proinde ab eodem producitur ubi in re quæ vehitur, a quo producitur in vehente. Impulsa autem, quæ scilicet moventur a motore insequente corpus, ita ut non trudat illud, sicut fit in projectis, sed semper movens sit contiguum moto, quod paulatim propellitur ad locum ubi erat aliud corpus, ita moventur ut nullus producatur impetus in illis. Nam cessante impulsione statim cessat motus, et tamen si virtus motiva fuisset impressa, saltem exiguo tempore si ablata essent impedimenta moveretur impulsum. Verum est aliquando ita impellitur res ut simul etiam producantur impetus in illa, eo quod etiam cessante impellente ab impulsu aliquamdiu motus duret ut cum navis a ventis impellitur etc. *Ubi* autem successivum quod in corpore impulso producitur, existimo quod producatur a corpore impellente, mediante virtute qua se movet vel certe mediante impenetrabilitate, licet alii velint a re impulsa produci ubi successivum in seipso quemadmodum producit ubi permanens postquam cessavit impelli ab alio.

Dices: quando homo impellitur, anima rationalis a quo movetur? Respondeo: motus ipsius spiritualis est, ac proinde non producitur ab agente corporeo, sicut nec ejus *ubi,* sed moto corpore ipsa anima producit in se motum spiritualem per quem movetur ad motum corporis.

Ex dictis etiam resolvitur illa quæstio, an verum sit quod Aristoteles 8. Phys. text. 37., 3. Phys. text. 8. et 16. ait movens corporeum ut moveat localiter debere moveri, de quo Conimbricenses 8. Phys. cap. 4. qu. 1. art. 4. ad 3., div. Thomas 1. p. qu. 3. art. 1. Certum est rem spiritualem ut Deum, angelos etc. movere posse licet non moveantur. Similiter gravitatem vel impetum existentem in mobili, ita movere ut simul moveantur; corpus autem movens pulsione et vectione necessario movetur cum movet ut patet ex definitione horum motuum. At vero corpus trahens non necessario movetur dum trahit, sed potest alterando id quod trahitur trahere, ut sol vapores, magnes ferrum etc., licet quod movet trahendo per impulsum prius debeat moveri ut experientia patet; licet enim quis manu teneat lapidem non trahet nisi moveatur.

Et hæc de motu locali, et in universum de iis quæ in octo libros Physicorum dicenda videbantur, nam quæ de primo motore et ejus attributis docet Aristoteles, alterius sunt instituti.

INDEX

RERUM QUAE HOC TOMO CONTINENTUR.

PROLOGUS GENERALIS . . . . . pag. V
PROLOGUS DE HUJUS RECENSIONIS ET OPERIS RATIONE . . . „ VII
SENTENTIAE . . . . . „ XI
IMAGO AUTOGRAPHI . . . . . „ XII

TRACTATUS IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS DE PHYSICO AUDITU.

Procœmium generale . . . . . pag. 1
De philosophiæ naturalis nominibus, inventore, objecto, utilitate ac divisione . . . . . „ 1
De octo librorum Physicorum auctore, inscriptione, objecto et divisione . . . . . „ 11

IN PRIMUM LIBRUM PHYSICORUM ARISTOTELIS.

Procœmium . . . . . „ 15
Dubia quædam circa hoc procœmium Aristotelis . . . . . „ 16

DISPUTATIO I.

De principiis rerum naturalium in communi . . . . . „ 24
QUAESTIO PRIMA. An sint aliqua rerum naturalium principia . . . . . „ 24
„ SECUNDA. Quid sint principia rerum naturalium . . . . . „ 42
„ TERTIA. Quot sint principia tam mutationis quam compositi naturalis . „ 49
„ QUARTA. An principia debeant esse contraria . . . . . „ 61

DISPUTATIO II.

De prima rerum naturalium materia . . . . . „ 65
QUAESTIO PRIMA. An sit materia prima . . . . . „ 65
„ SECUNDA. Quid sit materia prima; ubi an habeat entitatem et existentiam realiter distinctam a forma, et an sit pura potentia . . . . . „ 70
„ TERTIA. An materia possit existere sine omni forma . . . . . „ 82
„ QUARTA. An materia habeat potentiam ad omnes formas substantiales, et an hæc potentia sit idem cum materia et de illius essentia, an una vel plures . . . . . „ 91
„ QUINTA. An materia habeat potentiam receptivam immediatam ad omnes formas accidentales corporeas, seu quod idem est, an sit immediatum subjectum quantitatis et aliorum accidentium . . . . . „ 100
„ SEXTA. De proprietatibus materiæ . . . . . „ 118

DISPUTATIO III.

De forma et privatione . . . . . pag. 125
QUAESTIO PRIMA. An sit et quid sit forma substantialis . . . . . „ 125
„ SECUNDA. Quomodo producantur formæ substantiales, et quid sit educi ex potentia materiæ . . . . . „ 132
„ TERTIA. An sint in eadem parte materiæ plures formæ substantiales; ubi de forma corporeitatis, et cur formæ substantiales non inhæreant . . „ 139
„ QUARTA. Quid sit privatio et quomodo sit principium mutationis . . „ 165

DISPUTATIO IV.

De corpore naturali seu composito naturali . . . . . „ 172
QUAESTIO PRIMA. Quid sit corpus naturale et an habeat partes ex quibus componatur; ubi an forma sit tota essentia compositi naturalis, vel potius ex illa et materia fiat unum per se . . . . . „ 172
„ SECUNDA. An materia et forma ad hoc ut efficiant unum compositum, debeant uniri per unionem distinctam ab utroque extremo, ubi quid sit hæc unio . . . . . „ 177
„ TERTIA. An compositum naturale distinguatur ex natura rei a partibus simul sumptis et unitis . . . . . „ 193

IN SECUNDUM LIBRUM PHYSICORUM ARISTOTELIS.

Procœmium . . . . . „ 199

DISPUTATIO I.

De natura . . . . . „ 199
QUAESTIO PRIMA. Quid sit natura, et quomodo sit principium motus et quietis . . „ 200
„ SECUNDA. An materia et forma et compositum sint natura . . . „ 209
„ TERTIA. Quid sit necessarium ut aliquis motus dicatur naturalis vel violentus „ 213

DISPUTATIO II.

De causis in communi, et earum tam inter se quam cum effectibus comparatione . . . . . „ 218
QUAESTIO PRIMA. Quæ sit propria ratio causæ in communi . . . . . „ 219
„ SECUNDA. Quot sint genera causarum, et an idea seu exemplar sit distinctum causæ genus . . . . . „ 223
„ TERTIA. An omnes quatuor causæ necessario sint connexæ, an sint sibi mutuo causæ, et quem ordinem inter se collatæ habeant . . . . . „ 237
„ QUARTA. An omnis causa realiter distinguatur ab effectu, vel potius idem sui ipsius causa esse possit . . . . . „ 246
„ QUINTA. An omnis causa sit prior effectu, vel potius causa et effectus sint simul . . . . . „ 249

DISPUTATIO III.

De causa efficienti . . . . . „ 252
QUAESTIO PRIMA. Quid sit causa efficiens et quæ sit ejus causatio seu causalitas; ubi etiam quid sit causalitas in communi . . . . . „ 252
SECUNDA. Quid sit actio quæ est causalitas efficientis; ubi etiam de passione „ 260

Dubium 1. An actio distinguatur ex natura rei a termino per illam producto . pag. 260
„ *2.* In quo subjecto sit actio . . . . . „ 268
„ *3.* An creatio et conservatio sint actiones inter se et a termino distinctæ „ 273
„ *4.* De specifica et numerica actionum diversitate ; ubi etiam de passione „ 283
QUAESTIO TERTIA. An res creatæ ut aliquid efficiant debeant actu existere, et cum illis debeat Deus actu concurrere . . . . . „ 287
„ QUARTA, An ad hoc ut causa efficiens agat requiratur contactus, vel potius agere possit in distans . . . . . „ 296
„ QUINTA. An causa efficiens debeat esse nobilior et præstantior effectu . „ 304
„ SEXTA. Quo differat causa efficiens principalis ab instrumentali . . . „ 307
„ SEPTIMA. Quod sit principium producendi substantiam in rebus naturalibus, seu an substantia immediate producat substantiam . . . . . „ 314
„ OCTAVA. De variis divisionibus causæ efficientis ; ubi etiam, an plures causæ totales ejusdem rei dari possint, et an semel corruptum possit reproduci, nec non de causis per accidens . . . . . „ 330

DISPUTATIO IV.

De causa materiali, formali et finali . . . . . „ 351
QUAESTIO PRIMA. An materia sit causa formæ, et forma vicissim materiæ ; ubi etiam de causalitate materiae et formae in communi . . . . . „ 351
„ SECUNDA. An finis sit causa realis, ubi de ejus causalitate et effectibus „ 364
„ TERTIA. An omne agens agat propter finem . . . . . „ 375

IN TERTIUM, QUARTUM ET RELIQUOS LIBROS PHYSICORUM ARISTOTELIS.

De quantitate, tempore, loco et motu . . . . . pag. 381

DISPUTATIO I.

De quantitate . . . . . „ 382
QUAESTIO PRIMA. An quantitas distinguatur realiter a re quanta ut materia . . „ 382
„ SECUNDA. An sint partes actu et realiter inter se distinctae in quantitate continua . . . . . „ 388
„ TERTIA. An continuum componatur ex indivisibilibus, an ex semper divisibilibus, ac proinde infinitis partibus actu . . . . . „ 397
„ QUARTA. An in continuo sint aliqua indivisibilia, puncta scilicet, lineae et superficies . . . . . „ 411
„ QUINTA. An extensio in ordine ad locum, impenetrabilitas et figura distinguantur a quantitate et quid sint . . . . . „ 424
„ SEXTA. An naturaliter vel supernaturaliter dari possit infinita multitudo et magnitudo . . . . . „ 434

DISPUTATIO II.

De tempore . . . . . „ 448
QUAESTIO PRIMA. Quomodo duratio a re durante distinguatur, et an duratio rei permanentis habeat partes sibi succedentes . . . . . „ 448
„ SECUNDA. Quid sit tempus, quomodo distinguatur a motu, et an sit ens reale „ 458
„ TERTIA. An res omnes creatae mensurentur tempore, et an sit unicum duntaxat tempus . . . . . „ 468
„ QUARTA. Quomodo tempus et in eo res aliae incipiant et desinant esse „ 473

DISPUTATIO III.

De loco et vacuo . . . . . pap. 486
QUAESTIO PRIMA. Quid sit locus; ubi de ejus immobilitate, aliisque passionibus „ 486
„ SECUNDA. An res quaelibet sit in loco formaliter per accidens de praedicamento *ubi*, et quaenam res, quibusve modis sint in loco . . . . . „ 494
„ TERTIA. De vacuo et modo quo agentia naturalia obsistan ne detur vacuum „ 506

DISPUTATIO IV.

De motu et mutatione in communi . . . . . „ 509
QUAESTIO PRIMA. Quid sit mutatio et motus, quomodo inter se et a termino differant, et in quo praedicamento ponantur . . . . . „ 510
„ SECUNDA. An successio per quam motus a mutatione proprie dicta distinguitur, sit de essentia motus; ubi et de mutatis esse . . . . . „ 520
„ TERTIA. De terminis motus; ubi ad quae praedicamenta detur motus successivus . . . . . „ 527
„ QUARTA. De subjecto motus, an scilicet possit esse aliquod indivisibile „ 532
„ QUINTA. De unitate generica, specifica et numerica motuum . . . „ 538
„ SEXTA. De motuum inter se et cum quiete contrarietate; ubi an inter motus contrarios quies necessario intercedat . . . . . „ 543
„ SEPTIMA. An omne quod movetur ab alio moveatur . . . . . „ 552
„ OCTAVA. An motus vel alia res creata fuerit, vel esse potuerit ab aeterno „ 555

DISPUTATIO V.

De motu locali . . . . . „ 567
QUAESTIO PRIMA. An detur aliquis terminus motus localis intrinsecus mobili et qualis „ 567
„ SECUNDA. An in instanti vel in vacuo motus localis fieri possit . . „ 575
„ TERTIA. An unus motus localis continuus altero celerior esse possit . „ 581
„ QUARTA. An idem corpus simul possit duobus diversis motibus localibus moveri „ 585
„ QUINTA. A quo et cur velocius in fine moveantur gravia . . . . . „ 591
„ SEXTA. A quo moveantur projecta impulsa et tracta . . . . . „ 601